M. Tört. G.
400.

M. Tört. O.
400.

Excellentissimo ac Illustrissimo Domino Carolo e Comitibus Palfy ab Erdöd Insignis Ordinis Aurei Vellensis, simul et S. Stephani Regis Apostolici Magnae Crucis Equiti, S. C. R. et M. Camerario et Actuali Intimo Status Consiliario, Curiae Reginae per Hungariam Magistro, Comiti Posoniensi, Hottuis Posoniensis Supremo ac Perpetuo Comiti, Arcisque Reginae Posoniensis Praefecto atque ac Supremo Capitaneo, per I. Regnum Hungariae, Provinciarum adnexarum Ordinis S. Stephani Regis Apostolici Cancellario,

In Testimonium gratitudinis, profundaeque Venerationis Suae, et gratae Provinciae Nomine hanc Notitiam Topographico-Politicam Comitatus Zemplinensis offert

J. Jos: Csaterkáy
Subs. Zemplinensis.

NOTITIA
TOPOGRAPHICA, POLITICA
INCLYTI COMITATVS
ZEMPLÉNIENSIS
PER
ANTONIUM SZIRMAY
DE SZIRMA.

PRIVS EIVSDEM COMITATVS ORDINARIVM NOTARIVM, DEIN S. C. ET R. A. M. CONSILIARIVM AVLICVM, ET TABVLAE IVDICIARIAE DISTRICTVALIS CIS-TYBISCANAE PRAESIDEM CONSCRIPTA.

EDITA

ET INDICIBVS PROVISA INDVSTRIA

MARTINI GEORGII KOVACHICH

SENQVICIENSIS,

AA. LL. ET PHILOS. DOCT. II. COMITATVVM ZEMPLÉNIENSIS, AC PEST PILIS ET SOLTH ARTICVLARITER VNITORVM TABVLAE IVDICIARIAE ASSESSORIS, ARCHIVI EXCELSAE CAMERAE REGIAE HVNGARICO AVLICAE REGESTRANTIS.

BVDAE.
TYPIS REGIAE VNIVERSITATIS PESTANAE
1805.

525. 347

M. AC[illegible]EMIA
KÖN[illegible]RA

EXCELLENTISSIMO, AC ILLVSTRISSIMO

DOMINO

IOSEPHO

E COMITIBVS

ESZTERHÁZY

DE GALANTHA,

PERPETVO IN CHEZNEK, S. C. ET R. A. M. CAMERARIO, ACTVALI INTIMO STATVS, ET AD EXCELSVM CONSILIVM REGIVM LOCVMTENENTIALE HVNGARICVM CONSILIARIO, INCLYTI COMITATVS ZEMPLÉNIENSIS SVPREMO COMITI.

MAGY. AKADÉMIA KÖNYVTÁRA

EXCELLENTISSIME, AC ILLVSTRISSIME DOMINE COMES!

Pridem ego iam, eximiis dotibus Tuis, quas, quod cum Tua comitate saepius congrediendi copiam nanciscerer, aliis forte penitius cognitas habeo, illectus, illustre aliquod monumentum literarium excitare, atque illi, meae de Te cum affectu existimationis indicium, exstantioribus literis inscribere auebam, nisi nuperorum temporum durities, quam adhue sentimus, exaucto rerum omnium pretio, prela Typographorum votis lentiora effecisset.

Habeo complura, de rebus domesticis hoc scopo nauiter elaborata Opera literaria propriae industriae, quae, quod res, ab aliis apud nos nondum eliquatas, ex abditioribus Archiuorum fontibus erutas

complectantur, aetatem ferent, et quia hoc nomine apud posteros pretium retinebunt, Tui quoque memoriam, qualem ex veritate vellem, conseruare possent.

Verum enimuero aliud se se, istud ipsum, alienae quidem industriae soboles, insigne tamen prorsus obtulit monumentum, ab illustri Autore ipsi Patriae consecratum, cui ab eodem in ius meum benefice translato, atque a me luce publica donato, volente eodem, tanto meliori iure nomen Tuum inscribere poteram, quod nobilissimae Prouinciae Zempliniensis, cuius ego quoque publicum aliquod membrum me esse in parte gloriae reputo, benigna voluntate Augustissimi Domini nostri, prudenti Tuo Gubernio concreditae, notitiam Topographicam et Politicam diligentissime expositam complectatur.

Sagacissimus, idemque diligentissimus, ac de rege et patria bene meritus Autor Antonius Szirmay eiusdem Comitatus radicale, et Magistratuale membrum, praeter amplissimum, quod in ordinem redegit, et Regestis prouidit, Prouinciae Tabularium ineditos iuxta, atque editos genuinos historiae fontes ita delibauit, vt, quod ad rem fecisset, exhausisse, paucosque non consultos reliquisse videretur, cuiusmodi industria tale specimen edidit, vt aliorum quoque singulorum Regni Comitatuum notitiam, ad eius exemplar exactam deinceps iure desiderare possimus.

Vnum desiderabatur, quod ad Opus omnibus numeris absoluendum pertinere videbatur, vt loca, quae Autor e monumentis eruit, ac e propria etiam personali notitia descripsit, Lectoribus in vno conspectu exhiberentur; verum istud quoque ornamentum, Tuo boni moderatoris studio, impendiisque Tuis, curata quae adiicitur, Tabula Topographica, operi accessit.

Vi-

Vides igitur motiua, quibus inductus, Operis huius principem hanc editionem Tuis ex illustri prosapia natalibus, eximiis eruditionis, prudentiae, industriae, comitatis et popularitatis, sincerae in Patriam charitatis, constantis in Regem fidei, feruidi in promouendas literas studii, et aliis dotibus, virtutibus et cumulatissimis meritis, consecrare in animum induxerim; vti illustrae Opus Tuo nomine, ita Te tali dignissimum esse, reputans munere

Neque dissimulandum Tibi esse reor, quando probe nosti, Te a me gratuito et amari, et suspici, quibus potissimum gradibus altius Tui in animum meum penetrarit existimatio. Inter haec principem locum occupat, apud me semper maximi habitus nativus animi candor, quem in Te altas egisse radices, facile quisque aduertet, qui Te tantillo attentius obseruauerit.

Sed, ne dum ea, quae imprimis in magnis viris maximi aestimo, explicare duntaxat volui, Tuas dotes, earum enumeratione, celebrare voluisse videar, vnum adhuc, neque plura, quae possem, addam, studium nimirum prouehendi bonas literas, generatim quidem, sed quod imprimis bonum Patriae Ciuem decet, sinceriorem rerum domesticarum notitiam. Probe Tu aduertisti, sub gloriosissimo, eoque Clementissimo Augustissimi et Sacratissimi Principis et Domini Domini Nostri FRANCISCI II. Rom. Imp. et Hungariae Regis, veluti veri nominis Patris Patriae, licet multis grauato Regimine, Studio Rerum Hungaricarum, imprimis historico et iuridico nouam illucescere epocham, quae vt splendidior et apud posteros memorabilior euadat, pro virili adlaboras.

Si ego quoque testis idoneus esse possem, lubens, facilisque profiterer, me, haud fauente fortuna exercitum, ac diu multumque, probatum, Tuis adhor-

hortationibus haud mediocriter erectum, atque confirmatum, iis etiam conatibus literariis inhaesisse, quibus, velut ingratis, non nulli non minus animis mihi fauentes, nuncium faciendum esse existimabant.

Si igitur his persuasus, tantam Tui existimationem concepi, atque, vt huius publicam professionem eliciam, istud nomini Tuo inscriptum monumentum in lucem produxi, accipies hoc animi mei Testimonium eo pretio, quod mihi gratissimum esse posse, nosti, vt Te patriae porro etiam talem exhibeas, atque studiis quoque meis faueas, qui iugi cum memoria sum

EXCELLENTIAE TVAE

deuotus Cultor
MARTINUS GEOR. KOVACHICH.

Budae in musaeo Instituti mei Historico-Diplomatici die 3. Novemb. 1803.

PRAE-

PRAEFATIO AUTORIS.

Dum Notitiam Historicam Comitatus Zemplén ederem, eamque *Partem primam* operis mei compellarem; suadebant amici: vt de meliori ordine notitiam potius Politicam, Topographicamque praemitterem. Ego hanc posteriorem esse volebam propter prouocationes, compendii causa ad Notitiam Hiſtoricam hocce in opere factas. Caeterum cum superis fauentibus haec quoque Pars operis mei in optatum finem eousque deducta fuerit, donec prior Censuram pertransiit, quaenam sit ex his prima? quae secunda? jam nunc parum ad rem facere videtur. Vtramque eodem tempore publici juris faciam, omissaque partium desi-

designatione hanc Notitiam politicam, Topographicam, illam vero Notitiam Historicam compellabo. Vtere vtraque Lector beneuole, prouti volueris! faue, et vale!

Dabam ruri meo Anno 1797.

ANTONIUS SZIRMAY.

PRAE-

PRAEFATIO EDITORIS.

Pauca de hoc Opere, cum ne Autor quidem plura praefatus sit, monenda habeo. Iam ipse, praefixus ei titulus indicat, duabus illud partibus constare, notitia *Politica*, et *Topographica*. Priorem absoluit Autor primis 174. Paragraphis vsque paginam 131. procurrentibus; posteriorem reliquis vsque ad finem Operis complexus est. Quid parte hac Topographica praestare conatus sit, expressit ipse concinno, sibique familiari compendio pag. 131. §. 175. quomodo autem promissa expleuerit, Lectores ipsi videre, facileque iudicare possunt. Reperient illi vtique ad plerasque villas et pagos obscuriores non aliud, quam parochiam, religionem, & linguam Incolarum, capacitatem culti terreni, et possessorum nomina ab Autore expressa, sed vna facile coniicient, non omni plebeae habitationis loco tanta euenisse, aut gesta esse, vt singula historicis antiquitatibus memorabilia euasissent, aut saltem non omnia ad posterorum memoriam literis mandata sunt. Penes nobiliora tamen Oppida, Castra, Arces, Castella, et Possessiones diligenter Autor adnotauit, quid quid e monumentis historicis,

cis, et diplomaticis eruere potuit; aut de situ naturali monendum habuit; vt adeo fateri oporteat, opus esse suis numeris absolutum, in eoque Autorem prorsus egregie versatum, specimen edidisse, ad quod reliquorum quoque omnium Comitatuum notitias Politicas et Topographicas rite exactas optare omnino possimus, ex quibus deinde vniuersi Regni Notitias huiusmodi, omnibus numeris absolutas, deducere pronum esset.

In hac parte Politica et Topographica prouocat Autor persaepe ad *Notitiam Historicam*, vbi plura memorabilia, locis quibusdam adscripta, velut proprio loco retulit, eoque ostendit, se notitias historicas a Topographicis prudenter separasse, neque, dum Topographiam exponit, Historiam exhaurire voluisse, idque ibi expleuisse, quod hic penes nonnulla loca desiderari videretur. Ex istis prouocationibus liquido colligitur, Autorem suam Notitiam Historicam prius, quam Topographicam editioni destinasse, quod igitur Topographica prius typis impressa in lucem publicam prodeat, non eius facto, sed nostro consilio euenit, ei rationi innixo, quod ad historiae intelligentiam, notitia locorum natura sua requiratur.

Sunt quædam in Geographia, quae saepe, plura in Topographia, quæ semper mutationibus obnoxia sunt. Ex praediis, postquam inpopulantur, possessiones, ex his, dum Nundinarum

Pri-

Priuilegium obtinent, Oppida euadunt, possessoria ex perennalibus in hypothecaria, et vicissim, transeunt, et perennales quoque possessores vario iure mutantur. Ne igitur Autores errorum perperam arguantur; semper ante oculos tempus habere oportet, quo scripserunt. Ita noster ea loca, quae ad Praeposituram S. Crucis de Lelesz pertinebant, passim tradit, ad fundum Religionarium administrari, cum tamen interea, restauratae eidem Praepositurae postliminio cesserint.

Mappa Topographica Comitatus Zemplénienſis huic Operi beneficio moderni Supremi Comitis adnexa, non est ex ista Topographia desumta, sed seorsim adornata, quae si non omnia loca, in hoc Opere descripta exhibeat, nec erroris arguenda est, nec pro imperfecta, hoc saltem nomine habenda.

De hoc opere nihil aliud meriti mihi vendicare possum, quam quod eius ab Illustrissimo Autore in ius meum translati edendi, et Indicibus prouidendi curam susceperim. Sumtibus porro impressionis tum ipsius Inclyti Comitatus, tum Illustrissimi D. Iosephi Iekelfalussy beneficio, ac liberalitate adiutus sum, quod ideo commemorandum erat, vt ex isto quoque exemplo pateat, aetate nostra apud Hungaros nec publica, nec priuata studia desiderari, quibus Domestica ornamenta, commodaque prouehantur. Cum Opus non tam familiari lectioni, quam repertorio notitia-

titiarum, dum illud consulendum est, deseruiat Indices familiarum et personarum, locorumque omnino necessarii erant, quos abundare potius, quam deficere oportebat, eoque nomine minime aspernandi erunt, si quid superflui exhibere videbuntur; suffectura tamen esse censebamus nuda familiarum, locorumque nomina cum subiectis paginarum numeris, in quibus de singulis eorum recurrit mentio, nisi vbi loci accedere debebat determinatio, an Castrum, Oppidum, Possessio, vel Praedium aut mons, vel fluuius sit. Reperiet eorum beneficio Illustris Nobilitas I. Comitatus, non modo Maiorum suorum, sed iurium quoque, ac possessoriorum, in Opere memoriam, et agnoscet Autoris de se bene merendi studia, quorum nos quoque participes esse voluimus.

Budae in Museo meo Instituti Iuridico Diplomatico Historici die 28. *Decembris Anno* 1803.

Martinus Georg. Kovachich
Senquiciensis m. p.

ZEM-



ZEMPLÉNIENSIS COMITATUS

Notitia Politica, Topographica.

§. 1.

Comitatus Zemplén nomen accepit a Castro antiquissimo *Zemlun*, dein *Zemlin Zemplén* dicto, ad ripam fluuii Bodrogh sito, quod a Slauico *Zem* terream munitionem designat.

§. 2. Partem Regni Septemtrionalem, siue Districtum Cis-Tybiscanum occupat. Qua Septemtrionem respicit, montibus Carpaticis, quos accolae *Bezkéd* nominant, a Regnis Galliciae, et Ladomeriae, *Toplya* item, *Ondava* et *Hocsa* fluuiis a Sárossiensi Comitatu, §. 42. 71. 72. sejungitur, ab oriente *Laborcza*, et *Latorcza* fluuii §. 64. et 68. Unghvarinenses disterminant, a meridie *Tybiſco*, et praeterfluente *Takta*, ac vena *Törökér* §. 56. et 61. a Szabólcsiensibus separatur, ab occidente denique amnes *Sajó*, et *Hernadus* Borsodienses §. 74. et 75. Aba-Ujvarinensesque, Submontani item montes *Vár-hegy*, ac valles *Határ-völgye*, et *Aranyos*, dein *Ronyva* amnis, expost catena montium *Szalánczienſium* et *Dargóviensium* §. 46. 49. et 73. Aba-Ujvariensem Comitatum ab eo distinguunt.

§. 3. Metarum Ungensium mentionem faciunt sequentes literae, „ Ludovico DEI gratia Illustri Regi „ Hungariae, Magister Dominicus, filius Iob Vice-Co„ mes Magistri Nicolai, Comitis de Ungh, et quatuor „ Iudices Nobilium de eodem, se obnoxios cum fideliss„ simis famulatibus. Innotescimus Vestrae Serenitati: „ quod literae Vestrae Magnitudinis nobis fuerint aspor„ tatae hunc tenorem continentes: Ludovicus DEI gratia „ Rex Hungariae Magistro Nicolao Comiti de Ungh, vel „ Vice-Comiti, et quatuor Iudicibus de eodem, salu„ tem, et gratiam. Dicunt nobis Nicolaus, et Gregorius, „ filii Dionysii Nobiles de Mokcha Comitatus de Ungh „ querulose: quod Magister Ladislaus filius Michaëlis „ Bani captiuasset fluuium *Stemepataka*, ratione sui „ nominando *Dragnov-pataka* alio nomine, quod fideli„ tati Vestrae praecipimus, quatenus mittatis ex vobis „ unum, vel duos viros idoneos, qui sciant, et inqui„ rant ab omnibus, quibus decet, vt si sit *Steme-pa„ taka* haereditaria possessio filiorum Nicolai, ac si „ hoc nomine nominetur *Steme-pataka*, vel *Dre„ gov-pataka*, et quantocius facti fideliter rescribatis. „ Dat. in Wissegrad in octauis purificationis B. Virgi„ nis. Nos vero mandatis Vestrae Serenitatis inclinati, „ vt tenemur, misimus ex Nobis duos viros idoneos „ Stephanum filium Philippi, et Andream filium An„ denoch, qui ad Nos redeuntes vnanimiter retulerunt: „ vt ab omnibus vicinis, et commetaneis, et ab omnibus „ quibus licuit, sciuissent, et inquisiuissent: vt memora„ tus fluuius *Steme-pataka* vocaretur, et non *Dregnov„ pataka*, semper fuit haereditaria possessio filiorum „ Dionysii vsque *fluuium Laborcz, qui fluuius sepa„ rat Comitatus Zemplyn, a Comitatu Ungh.* Da„ tum in Kapos in octauis Dierum Cinerum Anno 1354.“

§. 4.

§. 4. Longitudo, si spectetur a Körömia villa usque passum Viravensem in Galliciam ducentem, facile 24. milliaria, latitudo vero primum duo, deinde inter Tólcsva, et Viss vnum tantum, sed postea quatuor, sex, et octo milliaria complectitur.

§. 5. Forma externa est instar leonis excubantis, pectore quasi porrecto ad Tybiscum, reliqua corporis parte retracta, in fine veluti dilatatis lumbis versus Galliciam, et Sarossienses extensa. In capite plana, in collo montana, in medio plana, et depressa, pulchre inter montes vallibus campestribus interjectis, in fine denique rursus collina est.

§. 6. Montes prouinciae incipiunt inter Oppida Tokay, et Tarczall, indeque paulum abrupti iterum se erigunt, et veluti expansis alis a meridie partim vergunt in occasum, partim in ortum, atque hic rursus reflexi, in septemtrionem continua serie, vsque in Galliciam, et Sárossiensium fines procurrunt.

§. 7. Descriptionem eorum a Principe, et per vniversum terrarum orbem decantatissimo *Tokay* monte ordimur; tametsi iure meliori *Tarczalinensis* dici posset, tum a subiecto in occasum oppido Tarczall, tum quod maiores nostri Pannoniam occupantes illum sic a strenuissimo milite *Turzol* nominauerint. Vti ex Anonymo Belae Regis Notario Not. Hist. §. 7. ostendimus. Eminet is inter duo oppida, Tokay, et Tarczall, solusque e planitie campestri attollitur. Brachia extendit in diuersissimos cliuos, opportunumque vitibus praebet hospitium. Vsque ad dimidium mera vestitus vite est, ad summum praeceps, in vertice conuexus, et caluus, vnde et *Kopasz-tetö*, siue *Calvus vertex* nominatur. Vulgus striges eo conuenire noctu solere, choreasque ducere fabulabatur. Reperitur in Tabulario prouinciae publicus processus de Anno 1703. contra Sagas illic

choreas ducentes, cumque et puella quadragenaria in examen traheretur, seque cum Diabolis ob provectam suam aetatem saltasse negaret; Notarius Comitatus Franciscus Keresztes faceti vir ingenii examini puellae illud Anecdoton subiecit: *Negyven eſztendös leánnyal már az ördög ſem akart táncolni!* quod nempe cum puella quadragenaria iam neque Diabolus saltare voluerit. Pars orientem, et occidentem versus procreat vinum mediocris qualitatis, quamuis et hic excellant cliui *Meleg-ódal*, et *Aranyos*. Optimum profert fructum meridionalis, vocaturque *Mézes-malé* quasi *Mellea placenta*. Posterioris sortis vina sunt, quae septemtrionem versus gignuntur. Solum in vertice lapidosum est, a dimidio usque ad imum resolutum, et friabile, ex arena, sabulo, et argilla mixtum. Intime sub terra mons totus saxosus est, sex tantum scaturigines in eo, tres ad Tokay, totidem ad Tarczall reperiuntur.

§. 8. Tokayensem sequuntur alii viniferi montes *Hegyallya* dicti, qui ab oppido *Bodrog-Kereſztúr* porriguntur in septemtrionem, et brachio uno protensi versus occasum tenent radicibus oppida Zombor, Mád, Tállya, Szántó, altero in orientem fovent sub se serie perpetua vicos, atque oppida Kis-falud, Szeghi, Erdö-Bénye, Liszka, Tólcsva, Vámos-Ujfalu, Zsadány, Sára, Olaszi, Petrahó, Patak, Ardó, usque ad Sátorallya-Ujhely. Vbi mons Magos-hegy ex eo prae caeteris notabilior: quod hunc igniuomum olim fuisse crater, et copiosa circa eum lava prodat. Montes hi omnes vna solum valle a Tokayno monte dirimuntur, pari passim gloria vini. Discrimen eorum, iuxta et nomenclatura suis locis occurret.

§. 9. Vicinus his in meridiem est mons eximius Szerencsiensis, per Hungaros a felici Pannoniae occupatione sic compellatus. Not. Hist. §. 7. pari interiecta val-

valle rescissus, vitifer, quamuis disparis fructus. Brachium unum communicat cum vicinis pagis Ond, et Golop, alterum vero brachium ad pagum Monok extendit.

§. 10. Haud minorem laudem meruerunt, qui a montibus Hegyallya recedunt in orientem, et alii vicini, ab Hegyallensibus interiecta dirempti planitie, qui a Bodrogo inter Zemplén oppidum, vicos Szőlöske, Lagmocz, Bári, Nagy, et Kis-Toronya ab occasu, ab ortu vero inter Czéke omnes viniferi, inter Kásó autem, Kiszte, et Gercsely syluosi in septemtrionem usque ad Velejthe vicum uno, et amplius milliari protenduntur.

§. 11. Sunt et interamnani montes in insula *Bodrog-Köz*, quorum primus est mons *Kövesdinus* e regione Hegyallyae priores non tantum exaequans altitudine, sed etiam iisdem multo amoenior. Duo eius iuga sunt, tanquam capri cornua et ideo incolis *Bak-hegy* dicitur, ex quorum verticibus totam regionem interamnensem usque ad montem Tokay prospicies. Caeterum hic quoque mons vinifer est, et per latera vaste colitur vite praestanti, seiunctum exigua valle a se habet collem peramoenum, cui arx Kövesd supereminet. Solo superne arenoso, et friabili, interne saxeo, marmoreo.

§. 12. Hunc altitudine, et nobilitate vini subsequitur Helmeczinus, amoenitate autem praeit. Rotundior enim est, et ita planus in summo: vt maiori commoditate non tantum in orientem vsque Munkács, et meridiem vsque Debreczinum, sed etiam in septemtrionem usque Carpathos montes prospectum exhibeat. Pedem vnum occidentem versus extendit supra vicinam possessionem Szentes, vbi etiam vite colitur. Caeterum hic saxo in laminas per naturam ita discisso abundat; vt si ars naturae accederet, elegans sane stratum pauimentis aedificiorum suppeditaret.

§. 13.

§. 13. Mons Krivostyán discedit ab his extra insulam septemtrionem versus milliaribus quatuor, estque in finibus provinciae Ungensis in ripa Laborczae amnis vlteriore, qua ex ditione Homonnensi egreditur. Longior est, et pulchre obiecto in meridiem latere, tenetque vineas nitidi potus gratia commendabiles.

§. 14. Vicinus priori in occasum, et vno Laborcza tantum interfluente diremptus est mons Barkó, fastigio, longitudine, et vinearum similitudine priori proxime accedit. Est ei a septemtrione rudus arcis sui nominis, de qua multa in notitia Historica diximus, et infra adhuc dicemus.

§. 15. Mons Varanó a Barkone distat vno milliari in occasum, supereminetque. Toplae fluvio, et oppido sui nominis, edito fastigio, aperto, terreus totus, vitem (vti conscriptiones perhibent) adhuc anno 1732. ferebat, sed quia austeram, ideo a posteris derelictam.

§. 16. Maior est hoc mons Homonna, solo aeque molli, et argillaceo. Vestiebatur et hic vite anno adhuc 1732. per media latera, paucis tamen vineis, fructuque nihil meliore, et ideo in agriculturam cum vineis Domássiensibus converso.

§. 17. Ostensis iugis, et montibus viniferis, recensenda venit vinorum omnis generis in hac regione fertilitas, et diuersitas. Fertilitatem quod concernit; cum mediocri vindemia post singulum fossorem procreatur vas vini, tres vrnas continens, calculo a numero fossorum ducto mediocri vindemia procreantur facile 80. et amplius millia doliorum vini, siue vrnarum 240. millia. Ex his primae classis sunt: Tállya, Ond, Rátka, Mád, Zombor, Tarczall, Tokay, Bodrog-Keresztúr, Kis-Falud, Szeghi, Liszka, Erdö-Bénye, Tólcsva, Zsadány, Petrahó, Patak, Vámos-Ujfalu, Sátor-Ujhely, Olaszi, Kis-Toronya. Secundae classis: Monok,

Sze-

Szerencs, Bekecs, Kövesd, Szentes, Király-Helmecz Zemplén, Szöllöske, Nagy Toronya, Bári, Lagmocz. Tertiae classis: Gál-Széch, Krivostyán, Barkó.

§. 18. Sicut autem situ, et nomenclatura, ita bonitate, et virtute differunt. Dulcissima, et fere optima sunt Tarczaliensia ex Mézes-mál, Tokayensia, et Madensia. Maxime substantiosa Tállyensia, quae ioculari sermone in Concilio etiam Tridentino approbata dicuntur. Zomboriensia omnium fere fortissima. Szeghiensia, et Zsadányiensia maxime aromatica. Tólcsvensia, et Bényensia diutissime durant, nec quidquam commissa mari capiunt vitii. Reliqua cum Insulanis paulo mitiora. Laudant etiam suum Gálszécsienses, Krivostyánienses, Barkóvienses vinum, quia nimis limpidum, et miros eiulatus in bibentibus excitat.

§. 19. Traditio de vinis Tállyensibus in Concilio Tridentino approbatis originem inde habet: quod Cardinalis Georgius Draskovichius Colociensium Archi-Praesul, tunc Episcopus Quinque-Ecclesiensis anno 1562. ad Sacrum Concilium ex parte Regni Hungariae delegatus Tállyense vinum de meliori grano secum attulerit. Accidit forte: quod prandio cum reliquis purpuratis Ecclesiae Patribus a Summo Pontifice exciperetur, vina Campaniae, de lachrima Christi, et sexcenta alia longa serie adlata dilaudabantur. Profert et Hungarus Praesul suum Tállyense Italica longo interuallo post se relinquens, Sanctissimoque mensae Praesidi prisca Hungarorum sinceritate propinat. Degustat hic nectar hocce Coelicum, et vnde? adlatum rogat. Ex *Tál lya* reponit ille. Non potuit Summus Sacrorum Antistes bonitate potus pene sibi ereptus non exclamare: Summum Pontificem *Talia* vina decent!

§. 20. Traditio haec prouincialium non caret legitimo testimonio. Recenset hoc factum Ioannes Bocatius

Con-

Consul Cassoviensis, Tridentino Concilio coaeuus, Hungaridos Libro II. Bartphae anno 1599. inpresso, qui sic habet:

Hungara ni Getici sentiret acinacis iras,
Nonne satis felix terra vocanda foret?
Vt taceam reliquas, queis coelitus aucta superbit
Dotibus, est sapido nobilitata mero.
Incola qua passim generosas educat vuas,
Est locus, Hungarice *Tállia* nomen habet.
Hinc Bacchi latices abuexerat Hungara tellus,
Dulcia Pontifici dona ferenda suo.
Mox Pater admiscens cupidis noua pocula labris
Laudat, et unde liquor sit bonus iste? rogat.
Hungarus huic Praesul, cui nota locique, merique
Conditio: est matri *Tállia* nomen, ait.
Gratulor ergo mihi Papa dicit, *talia* nobis
Vina, Patrem Sanctum *Tallia* vina decent.

Item Samuel Timon in notione Tybisci de vino Tállyensi:

Permaneat, vigeatque huius laus summa Lyaei,
Summum Pontificem *Tallia* vina decent!

§. 21. Sed et de reliquis sua sunt provincialibus adagia Ungarica, et Latina. Ex his vt notiora de *Mád*, de *Tállya* de *Keresztúr*, velut petulca praeteream, memoratu magis digna sunt sequentia:

De vinis Hegyallensibus in genere:

Visebat Bacchus totum sua Regna per orbem,
Dispiciens: praestent quae meliora mero?
Denique *Tokkaji* claram progressus ad oram,
Vidit et hisce locis culmina sacra sibi.
Obstupuit: quod delicias adametque, feratque
Zemplén, iam gelido terra propingua polo.

Post

Post *Ceruum* (a) scandit, montanaque circumspexit,
Quae *Mada*, quae *Tarczall*, quae quoque *Zombor* (habet.
Amplius obstupuit sua dona locosque, meraci
Oreque mox fudit talia verba suo:
Campanos colui, et *Chios* per tempora multa,
At demum aeternos hic mihi figo lares.

De Tokkajensi.

Tokkajum suprema tenet fastigia vini,
Sed *depressa* (b) caue, pocula *celsa* cape.

De Tarczall.

Vinum de *Tarczall*, a melytül az ember le borúl arczall.

De Zombor.

Vinum de *Zombor*, már azt lehet mondani hogy bor!

De Liszka.

Sarmata *Liszkanis* degustat pocula cellis
Suspirans: *Utinyam plyurima Lyiska foret!* (c)

De Olaszi.

Huicce loco belle nomen dedit *Itala* tellus,
Gignit enim Ausoniis aemula vina cadis.

De Tolcsva.

Evan Tolcsvensis quoniam vel *Caecuba* vincit, (d)
Est bonus, at melior, quia permeat aequora salvus.

De

(a) *Szarvas* collis vitiferer praecipuus Tarczalini.

(b) Nam in humilibus locis vilius nascitur.

(c) *Lyiska* Polonice vulpes. Molliter pronunciant Poloni literas n. l.

(d) *Caecubum* vinum olim apud Romanos suppar Tolcsvensi. Ita Horat. *Caecuba vina serens Alcon Chium maris expers.*

De Patak.

Quam multis tantum non ridet *Bodrogus* amnis,
Quantum ex *Flumineo* (a) parva lagena cado!

De Bénnye.

Vinum de *Bennye*; a' melytül a' Kupetz azt mondgya:
Ennye! (b)

De Ujhely.

Doliola Ujhelii non sunt ita prisca falerni,
At crebro seris gratia rebus inest.

De Szerencs.

Huic equidem perfecta foret *fortuna*; sed illi
In patria lingua littera summa deest. (c)
Vnde tritum illud Hungaricum:
Vinum de Szerencs, Lengyelnek meg se jelencs.

De Monok.

Non placeat cuncto hic Bromius si forte palato,
Gaudet heris se non displicuisse suis.

De Toronya.

Hoc multi laudant, aliqui nec nobile dicunt,
Iurgia contemnens Sarmata saepe rapit.

De Kövesd.

Quod de Kövesdi mittit vindemia monte,
Est Bodrogani gloria prima soli.

De Bári.

Vinum de Bari, addig vólt hires, még éltt Makripodáry. (d)

De

(a) *Patak* Ungarice *Flumen.*

(b) *Ennye!* particula admirantis.

(c) *Szerencse*, siue fortuna. Nam ob Hegyallensia exiguam habet distractionem.

(d) Makripodary Hyacinthus Episcopus Chanadiensis sub Leopoldo I. Imp. anno 1659. hoc vino usus fuisse dicitur ex praescriptione Medicorum.

De Krivostyán.

Est variis titulis alter pretiosus Iachus,
Dote salutifera sum pretiosus ego. (a)

De Barkó.

Exterus ignorat, qualem det Barko Lyaeum?
Nam quidquid praelis exprimit, ipsa bibit.

Item:

Barconi acetum forte ne puta vile,
Quia vilius erat, quamdiu fuit vinum.

Item:

Vinum de Barko, melytül sír nem csak a Czigány Rajkó, de visítt tölle még a' rigó-is, és a' Szájkó! (b)

§. 22. Caeterum illud de vinis harum partium, praesertim quae de vuis passis exprimuntur, mirabile: quod singulari medendi vi praedita sint. Corticis Peruviani vsus in vino hoc exhibetur per nostros medicos optimo cum effectu. In deliquiis animi est maximum Cordiale. Pro effaetis confortans, roborans, et reuera lac senum, moderate, praesertim vesperi, sumptum, ad prolificationem plurimum conducit. „ Depulsum, eius „ haustu lethargum, calidas, quartanas item curatas „ febres, sedatam plurium horarum phraenesim, ho„ minemque sibi ita redditum: vt supremo rite com„ parari potuerit agoni," dudum ante me Thuroczy in Hungaria suis cum Regibus Anno 1743. compendio data adnotauit, et ego in me ipso expertus sum.

§. 23. Tanta tamen est in disquirenda vini huius medica vi Medicorum nostrorum oscitantia: vt cum Stephano Weszprémy Medic. Doctore in Medicorum Ungar.

(a) Habet vim Diarhaeticam, urinam pellentem.
(b) *Rajkó* Zingari prolem vocant.

gar. Biographia Cent. altera parte priori pag. 116. „ mirari neutiquam desinam: quod vinum Tokaynum „ omnium ferc mortalium consensione reliquarum totius „ Europae prouinciarum vinis praestantia anteferendum, „ nemo unquam Civium nostrorum in hanc usque diem „ lege artis, vt meruerat, et debebat, quantum qui- „ dem scire licet, rite examinauerit, et usum Physico- „ medicum nos edocuerit. Fontes Ungariae medicatos „ plures nostrum singularibus libellis descripserunt, „ varios naturae thesauros, et alia; cur in decantatis- „ simum o! populares dulcissimi, ac vere Diuinum li- „ quorem Hungariae profecto nectareum, et plus quam „ Nepenthis elogio dignum, solius naturae beneficio in „ montibus Tokayno vicinis parari solitum curatius in- „ quirere amplius negligemus? "

§. 24. Publicarunt equidem plures viri Clarissimi dissertationes suas de vino Tokaiensi, vtpote:

Paulus Keler Bartphensis de vineis Hungariae Thorunii. 1712,

Ioannes Matolai Vetusoliensis disquisitionem Physico-Medicam de vini Tokaiensis cultura, indole, praestantia, et qualitatibus insertam appendici Actor. Nat. Curiosor. Vol. VII.

Bartholom. Zarubal Metamorphoses, seu natales Poëticos submontanarum Superioris Hungariae Vrbium, ac vinearum. Cassoviae 1728.

Daniel Fischer tractatum Medico-Physicum de terra medicinali Tokayensi a Chymicis quibusdam pro solari habita. Wratislaviae 1732.

Adamus Fucker Tabulam Geographicam montium vitiferorum, vtpote Tokayensis, Tarczall, Máda, et reliquorum, nec non regionis vicinae Eperiessini. 1749.

Samuel Domby Borsodiensis dissertationem inauguralem Physico-Chemico-Medicam de vino Tokayensi Traiecti ad Rhen. 1758. Pe-

Petrus Ioenichius commentationem de vineis Hungariae editam Thorunii in 4. 1761.

Fukker Cassoviensis Medicus recentiori aeuo 1790. Dissertationem Germanico idiomate de vino Tokayensi conscriptam.

Verum Dissertationes istae plerumque Inaugurales, et exercitationes saltim Academicae, ac vt ipsimet viri hi Eruditi fatentur, fugitivo calamo, et sine cura conscriptae sunt; nullus autem horum materiem hanc pro dignitate liquoris nobilissimi Oeconomice, Physice, Chemice, et Medice pro commendatione etiam apud exteros ad lancem rite expendit, et nec a Nobis, qui non sumus Medici, desiderari potest, et ideo cura hac Spectabili Domino Ioanni Weisz de Dercsény Medic. Doctori, et Ordinario Comitatus Physico, qui publicae exspectationi semet hac in parte satisfacturum Nobis appromisit, relicta;

§. 25. Historicae potius Nobis superandae venient quaestiones: quandonam vineae his in partibus coli, et quando inclarescere caeperint? Vineas in Hungaria iam sub Pannoniis cultas fuisse demonstrat Belius in Prodromo. Mentionem vinorum Pannonicorum facit Eutropius. De vineis Pannonicis Claudianus Romanus Poëta canit Anno post Christum natum 423.

- - - - - - - hinc obsidione solutus
Pannonius, potorque Savi - - - - - - - -
Rursum cote nouat nigras rubigine falces,
Exesosque situ cogit splendere ligones.
Agnoscit causas, et collibus oscula notis
Figit- - - - - - - et opacum vitibus Istrum
Conserit.

Probum Imperatorem patria Sirmiensem anno post Christum natum 282. primum in Pannonia vites plantase, opereque militari Almum montem apud Sirmium,

et

et Aureum apud Maesiam Superiorem (nunc Serviam) vineis conseuisse scribit Aurelius Victor. In Diplomate antiquissima vinearum est mentio apud Katona Hist. Crit. Tom. 3. pag. 508. vbi „Magdalina Comitis Martini vxor monasterio S. Petri in praedio Kathariensi „ constructo praedium Mura, mansiones vinitorum, seruos, et vineas donat Anno 1136.“ Sed haec omnia de vino Sirmiensi, Servico, Danubio, Savo, et Murae fluminibus vicino. Soproniensium pariter vinearum antiquissima est tam in Diplomatibus, quam Scriptoribus mentio. Iam „Stephanus V. Rex totam vicesimam „ decimarum tam in blado, quam in vino per Comitatum „ Suprun confert Monasterio Fratrum Ordinis Cisterciensis de monte S. Mariae perpetuo possidendam. „ Anno 1270. Ex Orig. Tab. Camerae Regiae. Idem „ Rex“ Sagittarios suos de Comitatu „ Supruniensi a „ solutione tributi, quod *Koro-Cheber* nuncupatur de „ vineis suis propriis eximit.“ Anno 1270. Ex Tom. 11. Dipl. Com. Franc. Széchény. Attamen et vineas Tokayenses ante adventum Hungarorum iam cultas fuisse non obscure indicat Anonym. Belae Regis Notarius, qui postquam Cap. 17. recensuisset: „qualiter „ Arpad Dux, et sui Nobiles ultra montem Turzoll „ (*Tarczal*) castra metati fuissent in campo iuxta fluuium *Tucota* (Takta) usque ad montem *Zerenche*;“ iteratis vicibus Cap. 16. 22. commemorat: quod *in monte Turzoll magnum Áldamás fecerint*, imo Cap. 22. diserte dicit: „quod singulis fere diebus *inebriati* fuerint propter euentum laetitiae.“ Iam *Áldomás* apud Hungaros non aliud, quam *potum benedictionis pro vsucapione* designat, et inebriatio singulis diebus non aliunde, quam a vini potu prouenire debuerit.

§. 26. Vineas tamen has anno 1241. Tartaris integro triennio hic commorantibus desolatas, et per Belam

lam IV. Regem deductis ad pagum Olaszi, et oppida Patak, ac Olaszi Liszka Italicis coloniis non solum instauratas, sed etiam vitibus Italicis nouiter plantatas Not. Hist. §. 22. diximus. Colonias has ex ditionibus *Venetis* deductas fuisse ostendit inductum ibidem Diploma, quo Cyprianus Comes de Sarus (*) ex mandato Regis Belae IV. diuidit metas *Venetorum* in *Olaz*, et *Potok* Anno 1252. *Italorum* etiam ac *Latinorum* nomine veniunt, siue quod Dominium Venetum sit pars Italiae Superioris, siue quod ex alia quoque Italiae parte adductae fuerint, vnde et oppidum Olaszi Liszka terram *Italorum* idem Rex compellat Diplomate, quo „ pro obtinendo sibi, ac animae felicis recordationis „ Colomanni condam Regis, carissimi fratris sui salutis „ aeternae remedio terram *Lizka-Olozy*," siue (vti Wagner Anal. Scep. part. I. pag. 303. habet) „ *Italorum*, et *Latinorum* nuncupatam, ad se immediate pertinentem, et vineam cum vno situ Curiae in „ Potok sine haerede decedentis donat perpetuo Ecclesiae B. Martini de Scepus. Anno 1248." Hoc privilegium per insultus Cumanorum, et Newgarorum (quos Claris. Katona Tartaros Nogaienses fuisse censet) amissum renouat Andreas III. Anno 1290. Colonias vero has non alio fine, quam ad colendas vineas, et quidem per ipsummet Regem inductas fuisse patet, tum ex praerecensiti Diplomatis verbis: *terram ad se immediate pertinentem*, tum quia *vinitores Regii* compellantur alio diplomate, quo idem Rex Bela „ ob remedium, „ et salutem animae suae Fratribus in *Thurul* S. Augu„ stini Regulam profitentibus, quatuor mansiones *vini-*

„ *to-*

(*) Fuit is etiam Italus, de Ciuitate Florentina oriundus, vti ex alio Diplomate apud Carolum Fejérvary citato loco patet.

„ *torum suorum* villam inter *Potok*, et *Oloz* positas „ donum dat.“ Anno 1257. Kaprinay Hist. Dip. pag. 203. Nouiter denique maiori in parte plantatas fuisse remonstrat ipsa desolatio patriae, per quam vineae etiam integro triennio incultae, nouiter quasi plantari debebant, sed et non obscure indicat illud Diploma Stephani V. filii Belae IV. quo decimam partem omnium tributorum, per quemcunque exigi consuetorum Episcopo Agriensi addicit, ac de Zempléniensi Comitatu sic loquitur: „Item decimas vini, *vbi vineae modo sunt* „ *plantatae*, vel plantabuntur in posterum, per Deci„ matores Episcopi, vel Capituli dicabuntur. Anno 1271. Ex. Mss. Com. Ign. de Batthyán.

§. 27. Vitium quoque Tokayensium speciem Italicam esse diximus Notit. Hist. §. 22. eo potissimum argumento: quod hae natura, ac specie ab aliis vitibus per Hungariam plantatis longissime differant, dein quod coloniae ad eas colendas deductae fuerint Italicae, denique quod vitium Hegyallensium quaedam species hodiedum *Rumonya*, siue *Romana* vocetur, imo quod praecipua earum species *For-mint* dicta ab Italica voce *For*, quae *Forum* designat, siue vrbe aliqua Italiae *Foro-Iulio* ditionis Venetae, *Foro-Minucii* Italice *For-Mi*, *Foro-Livii* Italice *For-Li*, aliisue *Fororum* nomine insignitis locis derivationem nomenclaturae suae accepisse videatur. Societas Ungarica Debreczini, quae Anno 1795. Ungaricam Grammaticam, Viennae Typis Albertianis procusam edidit, *For-mint szöllö* Uvam *Formianam* vocat. eamque a *Formiae* Regione amaenissima Italiae derivat pag. 338. Et merito; quia iam Horatius Poëta Romanus illius meminit: *mea nec Falernae temperant vites, neque Formiani pocula colles.* Lib. 1. Ode 20. Cum tamen species vitis etiam Malvaticae, incolis *Góhér* dictae in tractu Hegyallensi reperiatur, a si-

similitudine veri haud alienum est: aliquas species vitium sive ex Morea peninsula promonthorio *Napoli di Malvasia* prouentu vini nobili, siue alia regione Graeciae orientalis ad ditionem Venetam spectante, seu aliis maris Ionii, Adriaticique insulis, ad quas fugiens Rex se receperat, siue horsum transportatas fuisse, siue reliquias priorum vitium Pannonicarum supermansisse.

§. 28. Sunt autem vitium Tokayensium species praecipuae sequentes: *For-mint* vuas dulces succulentas, aromaticas, caudice durabili, et ideo solis ardore maxime torreri solitas, soloque Hegyallensi optime congruentes proferens. *Madarkás* est species vuae *Formint*, sed minor, succo dulci et spisso, quia per sturnos circumuolitantes nimiopere appetitur, ab auibus nomen accepit, prior vero ad distinctionem huius etiam *Hólyagos-for-mint* nominatur. *Góhér* vua dulcissima in passas quidem cito vertitur nobilissimas, Malvaticisque simillimas, sed quia cito maturescit, per apes, item vespas, et crabrones ob dulcedinem exsugitur, nulli fere alteri usui deserviens, quam quod vinicolarum gulam iam mense Iulio exsatiet. (*) Est autem duplex vuae huius species, *Török-Góhér*, et *Budai-Góhér* dicta. Prior ex peninsula Morea, posterior ex partibus Cis- et vltra Danubianis horsum translata. *Muskatal* vuae Asiaticae species, odore nucis *Moscatae*, dulcoris singularis, palmite non vsquequaque durabili, et ideo non admodum propagari solito. *Hárs-levelü* fragrantiae eximiae floribus sambuci consimilis, durabilis, succulenta, solo Tokayensi conueniens, spisso quasi melle inpinguata, et ideo solis ardore in vuam passam optime cum *Formint* excoquitur. Huic proxime

(*) Vuam Auguſtam vocat Pankl in Oeconom. Rur.

me affinis est vua *Balafánt*, caudice durabili, bacca globosa, succo dulci, spisso, melleo, vuas passas maiores producens. *Leány-szöllö*, et *Fejér-szöllö* species inter se non multum differentes, nisi quod prior flauedinem quandam auro concolorem a sole mutuetur, posterior autem prouectissima etiam vindemia pallescat; vtraque aluum promouens, nimis succulenta, et ideo praesentissimum dissenteria laborantibus medicamentum. *Polyhos* vua carnea, quia vuas numerosas, easque grandiores profert, locis humilioribus per plebeios plantari solita, sed quia succum austerum, mucedinem facile contrahentem producit, e nobilioribus vineis exulat. *Rósás* rosei coloris, succo tamen albo, succulenta, durabilis, sed non aeque dulcis, ac reliquae saporis, vino tamen quotidiano vsui deseruituro accommodatissima. *Gersett*, caerulescentis coloris, succo, et qualitate priori consimilis. *Purcsin*, atro caerulei coloris, densissima bacca, durabilis, succo rubescente, et ideo praesertim si cum cuticula maceretur, liquorem rubrum producens, dulcis saporis. *Kecske-csecsü*, uberi caprae consimilis, cute splendicante, bacca oblonga, carnea, cuticula duriore, dulcis saporis, succo albo, non alteri fere vsui deseruit: quam quod antequam gelu torreatur, collecta diutius duret pro hyeme reposita. *Rumonya* siue *Romana* priori consimilis, tantum quod magis laeuigata, baccam oblongam incuruatam proferat. *Bogár-szöllö* aliis *Bolgár-szöllö*, siue vua *Bulgarica*, prioribus qualitate similis, tantum quod colore iam rubescente, iam caerulescente ab iis discrepet. Caeterum species: *Rósás*, *Gersett*, *Purcsin*, *Kecske-csecsü*, *Rumonya*, et *Bogár-szöllö*, quia magis carneae, et cuticula duriore sunt, rarissime vuas passas producunt, vel si etiam producunt, a vindemiatoribus non seliguntur, ne macerandae aureo vini ex vuis passis expri-

primendi colori officiant. Sunt adhuc species: *Király-édes*, foliis pentagonis fimbriatis, bacca rariore, fructum nimis dulcem, sed quia prima pullulat, et ideo plerumque verno gelu absummitur, raro profert. *Fejér-boros*, bacca albicante, densa, succo dulci. *Gyöngy-Fejér*, priore minor, bacca rariore. *Zöld-szöllö*, aliis *Leltt-szöllö* bacca densa, viridescente, succo dulci, copioso. *Görbe-Szöllö* bacca oblonga, incuruata, carnea cute duriore. *Bátay*, *Gacsai*, et *Bakátor*, bacca ouali, nimis carnea, durabili, quae ternae species ex partibus Trans-Tybiscanis translatae etiam *Allföldi szöllö* vocatur, solum planum, et decliue amant, mustum copiosum profundunt, sed raro, aut nunquam in vuas passas torrentur.

§. 29. Post Belae IV. tempora in Diplomatibus vsque annum 1300. non aliarum fere, quam Olasziensium, Patakinensium, et Liszkensium vinearum occurrit mentio. Quod argumento est: eas his primum in locis instauratas, demum per totum montium Hegyallensium tractum longe, lateque propagatas fuisse. Erat autem summum tam vinorum, quam vinearum eo tempore pretium. In Actis Episcopatus Agriensis (dum Delegatum quoad redemptionem decimae Episcopalis anno 1779. ageremus) non sine admiratione legimus, temporibus Ludovici I. Regis circa annum 1380. decem, et amplius Nummuum aureorum millia titulo decimae vini Episcopo Agriensi ex Comitatu Zemplén prouenisse. In Collectione Diplomatica Cornidessiana Tom. 3. pag. 167. reperi „integram haereditariam possessionem Heüzud „ vocatam, in Comitatu de Zobonch iuxta Ticiam exis„ tentem pro vineis Ioannae filiae Thekeus, quas in vil„ la Pothok habere dicebatur, per Petrum, filium Ka„ lad pro se, et Stephano fratre suo coram Capitulo „ Ecclesiae Varadinensis cambiatam fuisse. " Anno

1295. In tanto tamen vini, et vinearum pretio illud mirabile: quod ante duo adhuc saecula Sirmiensia vina omnibus reliquis, quae Hungaria progenerabat, adeoque Tokayensibus etiam antecelluerint; superanda itaque venit Nobis ea quaestio: quandonam vina Tokayensia inclarescere caeperint, et ad eam, qua hodie perfruuntur, famam, et gloriam pertigerint?

§. 30. *Tonellarum*, sive *Antalkonum* mensura, qua hodiedum in diuendendis vinis vuarum passarum vtimur, antiquissima est in Diplomatibus mentio. Sed mensurae huius vsus Zempléniensibus aeque, ac Danubianis communis fuit. Vidimus Not. Hist. §. 33. ex teloniali priuilegio Familiae Nagy-Mihály per Carolum I. concesso *de vna tunella vini vnum pondus* anno 1312. exactum fuisse. Magister Willermus Drugeth Comes de Scepus, et Wjvár condito (quod Katona Tom. 8. pag. 624. inducit) testamento cauet: „vt Christianus „de Buda de 20. *tonellis* vini, forsitan 30. marcas va„lentibus, vel vltra, et Nicolaus dictus Ztoian cum „pecunia sua procedens rationem reddat Geri officiali „suo.“ Anno 1330. Sed iam *Tunellarum* est mentio in Belae IV. Diplomate, quo „formam exigendorum „tributorum in Iaurino, Abada, et Fizegru praescri„bit: vt de qualibet *tunella* vini Regi denarii 8. Comi„ti denarii 2. soluantur.“ anno 1255. Ex Tomo 2. Dipl. Com. Franc. Széchény Nro 33.

§. 31. Vini tamen Tokayensis, locorumque illi adiacentium, aeuo nostro optimi, et longe gentium celebratissimi, nullus scriptorum vsque Nicolaum Isthuánffyum Lib. 2. circa annum 1491. facit mentionem, nec Bonfinius, qui sola Pilissiensia Dec 1. Cap. 1. memorat, nec Ranzanus, nec Galeotus Martius, qui in Aula Matthiae Regis diu versati materiam hanc accuratius pertractarunt, ita nec Cuspinianus in Aula Budensi sub

Vla-

Uladislao II. Rege diutius commoratus, licet alias totus sit in prosequendis iis, quae ad commendandam Hungariae felicem fertilitatem conducere videbantur, ne meminerunt quidem. Omnes hi cum Barone Sigismundo ab Herberstrein Ferdinandi in Aula Hungarica Legato vina Semproniensia, Sirmiensia, Pilissiensia dilaudant. Galeotus Martius scribit: quod vino Sirmiensi par, aut simile in toto terrarum orbe difficile sit reperire. Cuspinianus vero vina Sirmiensia dicit excellentissima, quae cum Cretico, aut Corsico certare putat vino. Quin imo et Nicolaus Oláhus, qui e Transylvania oriundus post exactos in Aula Uladislai, et Ludovici II. Regum iuuenilis aetatis annos per varios honorum gradus ad Cancellarii Aulici primum, deinde etiam ad Archi-Episcopi Strigoniensis dignitatem anno 1557. pertigit, hic inquam rerum Hungaricarum, si quis alius, peritissimus Tokayensis quidem vini Cap. 11. facit mentionem, sed dum celebriora Hungariae vina enumerat, Tokayensibus praecipuam gloriam non tribuit. Sic enim habet Cap. 10. in descriptione Ciuitatis Pesthiensis aeuo suo emporii tota Hungaria celeberrimi: „ Pesthum Ciuitas „ vinis exoticis, non Sirmicis modo, iisque optimis „ (quae perinde ac Cretica sunt) dulci sapore praestan„ tibus, sed et Baronianis, Somodianis celebris. Eo „ conueniunt magno numero Poloni, Silesitae, et ple„ raeque nationes externae, in eaque vina mercantur.“

§. 32. Vero simillimum itaque est: vina Tokayensia tunc primum inclarescere caepisse, dum circa annum 1560. vineas primum trina fossione excolere, vindemiam in prouectiorem authumnum differre, dein circa annum 1650. vuas ardore solis, et superueniente gelu marcidas, quas iure merito *passas* vocant, a reliquis distinguere, hisque adinstar viscosi mellis conculcatis generosum mustum superfundere longa experi-

ri-

rientia edocti incolae caepissent. Contigisse id circa annum 1650. vel non longe ante, lex Art. 79. 1655. indigitat: „ Ciuitates submontanae repraesentant: qua„ liter ex vineis Ciuium, ac etiam Nobilium in pro„ monthoriis Dominorum terrestrium existentibus per „ officiales eorundem *vuae nigrae*, *et passae*, siue „ praestantiores colligi, et asportari soleant; quae tan„ quam praeiudiciosa, vt posthac praecaueantur, de„ cretum est. " In processu porro Urbariali Tokayensium reproductis Nonatorum, decimatorumque Regestris euictum est: neque selectionem separatam vuarum passarum, neque decimationem, aut nonationem earum ante annum 1650. in vsu fuisse, sed et ipse Submontanarum Ciuitatum medio Ablegatorum nunciorum Comitiis anni 1655. exhibitus suplex libellus id pro argumento habet: „ quod cum peculiari vinicolarum in„ dustria, vtpote trina fossione, separataque selectio„ ne vuae passae haberi possint; publica lege praeca„ ueatur: ne Domini terrestres *ex vuis passis* nonam „ praetendere audeant. Dominia vero Terrestralia *se„ paratam* hanc vuarum passarum selectionem, *antea „ insolitam* bonitati musti multum detrahere, et quam„ uis vuae praestantiores ab eo tempore, a quo post „ annum 1560. vineae trina fossione excoli caeperant, „ iam a saeculo fere praefuerint, mustum tamen ex „ vuis talibus praestantioribus expressum semper nona„ tioni subiectum fuisse, generalem denique Regni le„ gem, qua *omnes terrae nascentiae* nonae Dominali „ subiiciuntur, " pro se allegabant, et ideo cum vinicolae vuas passas nonationi submittere noluerint, vt selectionem illarum separatam, antea inusitatam impediant, selectas talismodi vuas per vim etiam auferebant. Vt proinde obex abusibus huiusmodi ponatur, lex praemissa condita est, quae de violenta vuarum passarum

aspor-

asportatione praecauenda sonare quidem videtur; sed Regia Diuae Mariae Theresiae authoritate nobis causam Tokayensium referentibus, ex praeadducto vinicolarum suplici libello comitiis anni 1655., exhibito, et ea politica ratione: ne vinicolae propter nonam dominalem a seligendis vuis passis deterreantur, per idque notabilis Regni fundus deficiat, anno 1779. ita explanata est: ne ipsa etiam vuarum passarum nonatio, velut praeallata lege Dominis terrestribus vetita, vsum in posterum habeat.

§. 33. Iam in gratiam exterorum operae pretium erit enarrare: qualiter nam liquor iste salutaris paretur? Vt vuae passae progenerentur, coeli cumprimis tempestas fauere debet: vt vites ad summum vsque 24. Iunii deflorescant, mense Iulio, et Augusti initio statis temporibus pluuiae sint: vt baccae succum copiosum imbibant. Post medium Augusti, posteaquam tertia vice perfodiuntur vineae, toto mense Septembri, et initio Octobris serenior coeli tempestas fulgeat, quae vuas excoquat. Absit gelu, et pruina, antequam vuae ad perfectam maturitatem perueniant, ne obrigescente caudice circulatio succi impediatur. Circa medium Octobris pluuia cuticulam emolliat, subsequantur dies sereni, noctes gelidae, et pruinosae, quae vuam marcescere faciant, torreant, siccent, et assent. Ita *passae Vuae* circa finem Octobris, et initium Nouembris a reliquis seliguntur partim per collectores in ipsis vineis, partim per alios hunc in finem destinatos in oblongis mensis, quarum margines asserculis ita muniuntur, ne succus a latere diffluat, sed per aperturam mensae in subiectum cadum defluat. Sic selectae vasis superne apertis infunduntur, inferne vasa perforantur: vt succus densior (*Essentiam* vocant) in suppositum vasi scaphium destillet. Postquam maiori quantitate con-

congregatae fuerint, curandum: ne longiori, quam par est, tempore asseruatae acescant. Quod tunc euenire solet: si succo non viscido, ast tenuiori imbutae sint, calidiorque coeli tempestas fermentationem succi promoueat. Conculcandae igitur viscosae cuiuspiam massae adinstar, sicque conculcatis generosum mustum in vna tertia iam fermentans, in duabus vero tertiis recenter expressum superfundendum. Fermentans mustum totam massam ad fermentationem concitabit, recenter expressum autem dulcorem conciliabit. Quantitas superfundendi musti qualitati vuarum passarum adtemperanda. Si ex promonthorio primae classis substantiosae vuae passae fuerint, ordinarie tres vrnae quatuor *puttonibus* (singulus *Putton* 45. iustas Posonienses continet) superfunduntur, secus vero maior dosis ex vuis passis superadditur. Miscetur saepius haec mixtura, donec bene fermentet, crassiorque substantia densi corii adinstar liquori innatet. Ita praeparatum mustum aliqui perterebrato cadi fundo distillant: vt nonnisi faeces, crassiorque substantia in fundo cadi remaneat, alii saepius commixtam materiam cribris lamineis excipiunt, manibusque succum exprimunt, alii denique (quod vsitatissimum est) saccis infundunt, pedibusque calcando succum extorquent. Remanenti *brisae* mustum denuo superfunditur, et post sex horas per saccos colatur, obtineturque *Mászlás* siue *Secundarium* vinum vuarum passarum. *Essentiam* aliqui separatim vasculis infundunt, alii vino ex vuis passis expresso admiscent.

§. 34. Ne vuis passis Hegyallensibus, et musto aliud ex vilioribus promonthoriis substituatur, musti, et vuarum passarum talis substitutio lege publica Art. 118. 1723. prohibita est. Vigiliae undique occasione vindemiae, et exploratores constituuntur, et vt occulti impostores tanto citius detegi possint, tertialitas vini

ta-

talis, aut eius pretii ex determinatione Comitatus denuncianti cedit, postquam autem mustum efferuescit, pro ratione situs, et classis promonthorii, pro ratione item vindemiationis sereno, vel pluvio coelo factae, quodlibet vinum qualitate sua se distinguet, nec fraudes illae a Zempleniensibus praemetuendae sunt, quas cum destructione crediti Nationis diuersitores exercent, dum vina ordinaria, et neque Hegyallensia arte parato dulcore, qui dein in aciditatem vertitur, corrumpunt, et loco Tokayensium impune plerumque venditant.

§. 35. Alia Lege art. 12. 1729. „coemptio vuarum „ passarum in Regno non possessionatis, per conse„ quens publico, pro casu, quo illis abuterentur, nul„ lam satisfactionem dare queuntibus est vetita.“ De hac obseruationem nonnullorum §. 624. dabimus.

§. 36. Restat adhuc superanda quaestio de auri vegetabilis Hungarici in vuis, et montibus Tokayensibus existentia. Complures hanc affirmant. In Hungaria suis cum Regibus Compendio data Tyrnaviae 1743. et Topographia Magni Regni Ungariae pag. 480. haec habentur: „In vineis Tokayensibus aurum germinare saepi„ us obseruatum fuit, et nunc vuis adhaerescit, nunc „ foliis inspergitur, nunc vuarum grana penetrat, cer„ to vites aureas et grana ipsa aurea in partibus Sub„ montanis reperta Gazophilaceum Viennense ostentat.“ Capreolum aureum circa truncum vitis Sirmiensis intortum ad magnitudinem duorum cubitorum fuisse repertum iam pridem memoriae tradiderunt, Ranzanus in Epit. Rer. Ung. et Galeotus Martius Lib. de dictis, et factis Math. Regis Cap. 27 De auro nativo Tokayensi primus Matthaeus Heldius celebris Ungariae Medicus in Miscell. nat. curios. Decr. 1. refert: Georgio Rákóczy Transylvaniae Principi anno 1651. in Arce Patakina Tokayino haud longe dissita constituto dono apportatos fu-

fuisse botros quosdam acinis compactis auri atomis mire splendentes adeo : vt folliculi, seu membranae exteriores auro quasi obductae conspicerentur, dumque de racemis his ab Heldio, vna cum Principe ad mensam assidente iudicium expeteretur, eos manibus prius contrectando auri obrizi granis inpraegnatos comperisse, idemque labenti tempore Sachsio quoque Wratislaviensi medico oretenus retulisse. Historiolam hanc Heininius repetit in Observat. ad Epistolam itineratoriam Tollii, et Kölesérius in Aurar. Rom. Dacica pag. 60. In laudata hac Curiosorum obseruatione refertur de Martino Henrico Fran-Kensteinio quoque Poliatro Eperiessiensi : quod ille non modo possederit aliquos acinos circa Tokaynum inuentos, auri granis inpraegnatos, sed duabus praeterea domesticis historiolis ad Sachsium anno 1659. exmissis rem illam vberius illustrauerit. Ioan. Ioach. Becherus Metallor. pag. 1. dicit se vidisse in Hungaria vitem supra auri venam prognatam, cuius truncus non solum totus aureis velut filis obuolutus fuit, sed et in quibusdam granis, seu acinis auri obrizi granula inuenta sunt. Idem Bechkerus L. 1. pag. 2. Metall. narrat: Nobilis Hungari *Walpataky* vinitorem inuenisse in vinea sua progeneratum dentem, quasi aureum, quem vbi ligone decussisset, alterum rursus progerminasse. Ioannes Paterson Hain, Phisicus Eperiensis de vitibus aureis Tokayensibus. Ephem. pag. 117. 118. sic scripsit Sachsio : „ Generosus Dominus *Zemere* „ *László* Vice Comes Comitatus Zemplinensis inuenerat „ anno 1670, in vinea sua vuam, in qua omnes acini „ erant aurei, cuticulam vuae attriuerat metallum, acini „ erant per parua foraminula conspicui eleganti spectaculo. Vua haec mihi destinata in barbari militis di„ reptione vna cum aliis bonis periit.“ Samuel Székely de Doba in literis ad Comitem Cancellarium Nicolaum

Pálffy

Pálffy 13. Martii 1759. datis commemorat Colonelli Thomae Szirmay generum Andream Pothornay misisse medio Consiliarii Kutsersffeld Caesareae Maiestati circulum aureum ex auro natiuo viti Tokayensi adhaerente septem Ducatos ponderantem. Matthias Belius in Prodromo iconem quoque vitis talis Tokayensis exhibet.

§. 37. Regium Cimeliarchum Vindobonense aurum vegetabile instar fili contorti e terra prognatum, et in vico Tárcza quarto lapide a Ciuitate Eperiessiensi dissito repertum asseruans (quod Scriptor Ungariae suis cum Regibus male cum vite aurea Tokayensi confundit) et Claris: Steph. Weszprémy Med. Doctor. iuxta suae Biogr. Tom. 3. pag. 168. talis auri Teplitii in Scepusio anno 1772. inuenti possessor nos de auri vegetabilis in Hungaria existentia dubitare non sinunt equidem; sed tot aureolae de vitibus Tokayensibus historiae aliam longe subeunt considerationem: videlicet (vti laudatus a nobis clariss: Veszprémy erudite pro more suo citato loco disserit) dum seculis sequioribus nescio quo fato Chemici quidam magnam auri cum vino affinitatem, et sympathiam esse, eamque ex vegetatione auri in vitibus demonstrare sibi persuadebant, vulgus eruditorum praeiudicio partim auctoritatis, partim praecipitantiae deceptum veram auri vegetantis in vuis firmissime credidit existentiam, auxit opinionem vulgi id: quod terram Tokayensem variis particulis metallicis aureis imprimis ob praestantiam suam impraegnatam esse minuti Philosophi a longa annorum serie crediderint; sed omnes farinae huiusmodi homines egregie refutarunt, primus omnium Ioan: Adam Raymanus eruditus Eperiensium Medicus anno 1718. dein Daniel Fisscherus Késmárchiensis, expost Zempléniensis Phisicus in tractatu Medico Phisico de terra Medicinali Tokayensi a Chymicis quibusdam pro solari habita anno 1732. Deni-

nique toties laudatus a nobis Weszprémius citato loco, et in Ephem. Literariis Windob. 1773. qui instituto examine adfixas cortici exteriori vuarum miculas nil minus, quam aurum esse, ex absentia characterum auri essentialium, grauitate scilicet, et fixitate in igne maxima, promptaque cum mercurio amalgamatione, et aureas illas miculas nil aliud: quam ipsum vuarum perfectiorem succum feruore solis excoctum, in gummosamque substantiam spissatum esse demonstrarunt. Nos ipsi fide carbonaria maiorum decepti, in vinea nostra Madensi vuam miculis huiusmodi auri, et quidem protuberantibus conspicuam anno 1779. repertam esse in Ephemer. Windob. Kereszturianis vulgari fecimus, sed dum relatio haec magnam non solum Eruditorum Germaniae, sed ipsius quoque Regnantis tunc Augustae attentionem excitasset, iussuque eius vua haec a nobis repeteretur, miculae istae auri obrizi colorem praeseferentes examini Vniuersitatis Windob. subiectae, primo statim obtutu pro ouulis certorum insectorum compertae, et subsequis Ephemeridibus declaratae sunt.

§. 38. Sequuntur iam montes qui peculiari altitudine, et situ aliis praeferri possunt; In his praecipuus est mons *Dill* aliquot milliarium longitudine. Est in eo iugum praecipuum *Vihorlet* non procul Homonna vltra Laborczam in finibus prouinciae Ungvarinensis tam alto vertice: vt reliqua iuga altissime emineat, et hinc in longinquas Hungariae, Poloniae, Russiae, Transyluaniaeque partes sereno coelo prospici possit. In summo eius vertice planities est aperta quidem, et viridis, sed passim petrosa, et rupibus ita fastigata; vt grandis cuiuspiam ephipii formet speciem, ideoque a Germanis *Satellberg* vocatur. In latere, qua ditionem spectat Ungvarinensem, habet lacum centum et vltra passuum circuitu, aquis incertum quam altis. Alter lacus dis-

distat a Vihorlet in Septemtrionem milliaria circiter duo, estque vltra iugum, quod Szinai-Keö nominant. Ibi inter plura editiora loca aquarum vis tanta confluit: vt 600. orgiarum ambitu altitudinem passim 93. orgiis maiorem complectatur. Tantae enim longitudinis funiculo alligatum bolum plumbeum demitti olim curauit Comes Sigismundus Homonnai, neque tamen vbique fundum attigit. Accolae pupillam maris, vulgo *Tengeri-Szem* vocant, creduntque aquas e mari hoc montis meatu prosilire. At mari aestuante, salso, et amaro, lacus hic stillat nitidas, liquidasque non tantum potus gratiâ; sed etiam quibus innascuntur truttae magna copia; vnde et piscationem admittit per marginem. Alii fabulantur cum Laborcza amne infra manante lacum connecti: sed quali ratione contineri posset, monte aquarum tanta multitudo, si inferne emanaret? Nobis videtur montem ex eadem parte esse cavum, aquasque crebris fontibus, ex circumiacentibus cliuis emanantes tanta altitudine collegisse.

§. 39. Non procul a priore in occidentem est mons *Sinai-Keö* tenens petras, et rupes in vertice, serti, seu coronae cuiusdam similitudine. Demittit vero latera vsque ad Czirokam amnem, et Oppidum Szinna, a quo accolis mons *Sinai* nominatur. Et reuera hunc multum accedere ad similitudinem montis Palaestini, qui Sinai vocabatur, si formam externam spectes, autumant. Matthias Belius in Mss. et Kaprinay Dipl. Tom. 1. pag. 78. Alioquin fumante fastigio tempestates praenunciat. Caeterum nulla hic Evangelii praedicatio, et omnia murmuribus terribilium vrsorum repleta.

§. 40. Fuisse autem olim in monte hoc Monasterium Ordinis S. Basilii indigitant sequentia documenta: „ Nos Martinus artium, et Sacrae Theologiae Professor, „ Apostolicae Sedis Prothonotarius, Plebanus Maioris

„Ec-

„ Ecclesiae, B. Mariae Virginis Budensis. Recognosci-
„ mus praesentibus nos accepisse 189. florenos in auro,
„ et 100. denarios ab Egregiis viris Iudice, et Iuratis
„ Ciuitatis Cassoviensis, quos de voluntate fratris Lu-
„ dovici Prioris Monasterii Beatae Catherine de monte
„ Sinai apud nos deposuerunt conseruandos. In cuius
„ rei testimonium praesentes Sigillo nostro annulari
„ consignauimus Feria sexta in profesto Conceptionis
„ gloriose Virginis Mariae anno 1487.

Ex Archiuo Ciuitatis Cassoviensis. Item apud Wagner in Diplom. Sárosiensi pag. 485. „ Ludovicus
„ Monasterii gloriosae Virginis Katherinae de Sancto
„ Monte Sinai Ordinis S. Basilii Prior Procurator, ac
„ Nuncius Specialis, Commendabilem, ac deuotum vi-
„ rum Ioannem Breuner Ciuitatis Bártpha Plebanum
„ cum omnibus Fratribus, et Sororibus vtriusque sexus
„ confraternitatis matris misericordiae in nomine Domi-
„ ni nostri Ihésu, iuxta Bullae tenorem per Sanctissi-
„ mum dicto Monasterio concessam, ac in ambona Ec-
„ clesiae Bártpha publicatam in confraternitatem S. Ka-
„ therinae adsciscit. Dat. in Ciuitate Bártpha in Domo
„ dicti Plebani anno 1487.

§. 41. Sequitur hunc mons *Nasztas* a monte Dill separatus, oppositusque Bezkédio, longitudine duorum milliarium, altitudine Bezkédum exaequat. Indole simili tempestates praenunciat, quoties fumat. Vertice aperto, et plano procurrit in iuga innumera, fouet proceras fagos vrsorum latibula.

§. 42. Bezkéd in antiquioribus documentis mons *Lupi* vocatus §. 86. distat a priore vno milliari in Septemtrionem. Est pars Carpati Galliciam ab Hungaria disterminantis. Accipit nomen Bezkédii in finibus Prouinciae Sárosiensis, a qua ad nos defertur milliarium sex longitudine, deinde finibus Unghensis Comi-

ta-

tatus immergitur, versus Galliciam nigrescit pino, hac fago, virescit. Praecipiti latere passim conscendi nequit, ac aeque horret vrsorum frequentia.

§. 43. *Oblik* est mons elegans in finibus Sárosiensium, rotundus, et in speciem metae fastigiatus. Quamprimum summo in cacumine nebulascit, pluuias Hermaniensibus incolis praenunciat.

§. 44. *Remetó* in iisdem finibus mons Zamutoviensis in vertice semet dilatat, foeniseciorumque praebet occasionem agricolis.

§. 45. *Mazolan* est infra Remetonem milliari plusquam dimidio, incipit ad vicum Czábócz, pergit iuxta Dávid-vágás, versus Banszkám dorso longo, et horrido syluestri.

§. 46. *Dargó* incipit a fine prioris, et descendit inter Abaújvár, et nostrum Comitatum milliaris fere vnius longitudine, vbi terminos constituens parte vna spectat ad nostrum, parte altera ad Abaújvár Comitatum. Duo eius praecipua iuga sunt. Inter Dargó, et Mazolán est depressius montium diuortium, per quod via Cassoviam patet.

§. 47. Hic olim inter Castra *Purusthián* siue *Borostyán*, et *Abaújvár* mansiones suas habebant Regii Spiculatores. Diploma eorum adfert Cornides in Mss. quo „ Carolus I. Rex volens: vt Spiculatores Regii, „ qui inter Castra *Ujvár*, et *Borosthián* vocata, resi„ dentias, et possessiones habebant, illis libertatibus, „ et seruitiis, quibus temporibus Belae, Stephani, et „ Ladislai Regum Hungariae vsi exstiterunt, permane„ ant, et qui ex eis tempore impacato de propriis eo„ rum residentiis, et seruitiis alio se transtulissent, ad „ debita ipsorum loca, et obsequia reuertantur, Co„ miti Nicolao, Filio Petri de *Superiori Eör*, quon„ dam Spiculatori, sed iam meritis eius requirentibus

„ in

„ in numerum, et collegium *Nobilium Seruientium*
„ *Regalium* perpetuo translato, quem Capitaneum ipso-
„ rum Spiculatorum vulgariter *Eör Nagsag* dictum con-
„ stituit, committit: vt idem Comes Nicolaus eosdem
„ Spiculatores Regios dispersos requirat, et reducat ad
„ loca eorum priora, seruetque in debitis Libertatibus,
„ et Seruitiis. Dat. in Alto Castro in Octau. Natiu.
„ B. Ioan. Bapt. 1327.

§. 48. Spiculatores hi Regii fuerint quoddam militiae confiniariae per Belam IV. post Tartarorum eruptionem ad obseruandum aduentum hostium erectae genus, a Spiculis, siue Sagittis sic dicti, aliis Spiculatores, aliis Sagittarii, aliquibus autem Speculatores Ungariae *Eör-állók* siue excubitores. Authoramenta suae militiae debere videntur Regi Belae IV. ex praeuio Diplomate. Mansiones suas circa confinia habuerint. Nam et §. 25 vidimus „ Sagittarios Regios de Comitatu
„ Supruniensi“ (qua videlicet Regnum Austriae conterminum est) „ a solutione tributi, quod *Koro-Cheber*
„ nuncupatur, de vineis suis propriis per Stephanum V.
„ Regem exemptos fuisse,“ et Nomenclaturae pagorum circa Confinia sitorum *Eör-mezö*, siue campi excubiarum, Slauice *Strázka*, siue vigiliarum in Comitatibus Zemplén, et Máramaros, *Felsö*, *et Alsó-Eör* siue *Superioris*, *et Inferioris excubiae* in Comitatu Unghensi indigitant Spiculatores hos excubias circa confinia egisse, et Capitaneum excubitorum *Eör-Nagy* ab excubiis ita vocatum fuisse, sicut Praefecti arcium *Vár-Nagy* ab arce, belli ductores *Had-Nagy* a bello compellabantur. Milites hos non fuisse Nobiles, sed terras, et fundos suos adinstar Iobbagionum Castrensium sub obligatione militandi possedisse, palam fit ex adducto Diplomate: quia Capitaneum eorum *Eör-Nagy* quondam de *Superiori Eör* Spiculatorem Rex Carolus in

nu-

numerum Nobilium Seruientium Regalium perpetuo transtulit. Nocturnus autem eorum vigil ab aurora *Viraszló*, ideo vocabatur: quod tunc socios inclamans alium loco sui diurnum vigilem acceperit. Speculatorum horum mentionem faciunt etiam Literae Donationales Stephani Regis, quibus terram *Speculatorum suorum*, *Ewr* vulgariter dictorum *Fyntha* vocatam, vacuam, et habitatoribus destitutam in Comitatu de Sáros existentem Magistris Ioanni, et Stephano Filiis Comitis *Bwd* Nobilibus de ultra Drawa donat. Anno 1272. Ex Orig. Fam. Dessewffy.

§. 49. Dargóni conterminus est mons *Szalánez* compellatus ab arce *Szalánez* Comitatus Abaujvarinensis, ad quem totus mons pertinet, vna tantum laterum ejusdem parte in nostrum Comitatum se insinuante.

§. 50. *Firlikó* mons visitur inter Szitniczam, et Ondovam amnes, praecipuus inter eos, qui ad Ditionem spectant Sztropkoviensem. Altissime super alios se erigit, et longissimo est prospectu, terreus, adeoque per latera aratur. In summo eius cacumine visitur sertum circulo passus 40. ambiente, et peculiari herbarum distinctione expressum. Id a Sagis, et Strigibus crebra chorearum frequentia effictum credunt accolae, nos vero, Speculam excubitorum §. 48. memoratorum vallo terreo circumdatam olim fuisse putamus.

§. 51. Mons *Hrubo* pari altitudine consurgit in ripa fluuii *Olyka* supra pagum sui nominis, fabula Hruboiensium nobilis: Ea sic habet: Inaudiunt anno 1720. Hruboienses fagum proceram in vertice montis foetu auium inpraegnatam. Eam ut exinaniant, scalam conficiunt ex se ipsis vno alterum succollante, supremus qui fuit iniecta in arboris cauitatem dextra foetum excipit, infimus auidus videndi exilit, reliqui deorsum delabuntur, quibus delapsis supremus manu inhaerens, dum ne-

quit extrahere, pendet miser, quod vbi reliqui viderent, collatis adinuicem consiliis, hoc demum maxime opportunum medium adinuenerunt: vt arreptis securibus tamdiu proiicerent in pendentem, dum eundem manu amputata deiicerent. Ex eo tempore venit hic in prouerbium: vt qui rem male agit, *Scalam Hruboiensem formare dicatur.*

§. 52. Mons *Inócza* est iugum peculiare in ripa Ondovae, non procul vbi cum *Ollyka* miscetur. Ab oriente tenet arcem *Csicsva*, a reliquis partibus syluescit.

§. 53. Mons *Imregh* redit ad Bodrogi ripam non procul Zemplénio supra confluentem Latorczae. Nomen accepit a pago, qui ei ab ortu adiacet. Forma eius est rotunda Helmeczino non multum dissimilis. Sub monte occurrunt vestigia complura Romanorum hic domicilii, vti vrnae sepulchrales, et nummi, praecipue in colle vinifero, quem Baro Sigismundus Barkóczy anno 1725. vitibus excoluit.

§. 54. Mons *Avas* vicinus priori, tenet copiam quercuum aedifficiis, et saginis idonearum Ditionis Garanyiensis.

§. 55. Post montes veniunt syluae recensendae. In his primo loco poni meretur sylua *Longh* a longitudine sic dicta, et a Castro Borsi vsque Liszkensium territoria pone ripam Bodrogi semet extendens, ac ab adiacentibus locis in *Ujhely*, *Pataki*, *Olaszi*, *Liszkai*, *Szeghi Longh* interstincta. Ingentia haec quercuum robora progerminat, ac multa dolia Submontanis suppeditat. Nos ipsi spectauimus prostantem adhuc truncum quercinae arboris, quae olim carie exesa venantem Rakóczium cum duodenis sodalibus hospitio exceperat, et contra depluentem tempestatem protexerat. Praecipuum dein nemus est *Nagy-Erdö* in ripa Laborczae

czae, et Latorczae a pago Abara, per Imregh, vsque Szürnyegh longo intervallo protensum. Syluae demum Leányváriensis ad ripam Tybisci, Garanyiensis, Velejthiensis, Polyankiensis, Nagy-Ruszkensis, Pelejte, Cselej, Egres, Kiszte, Gercsely, Agard, Lelesz, Zéthény, Kövesd, Paczin, Czéke, et reliquae ad pagos agnomines alioquin commemorandae.

§. 56. Regionem montibus, et syluis sic interstinctam humectant complures amnes, et fluuii, eamque vel interfluunt, vel disterminant a vicinis prouinciis. Inter disterminatores praecipuus est Tybiscus, lator salis, et trabium in Comitatu Maramaros duobus fontibus nigro, et albo montibus *Csernahora*, et *Horvillye* ortus, receptis fluuiis, et riuis Szlohovecz, Visch, Borsa, Vasser, Ruszkova, Schopurka, Iza, Apschicza, Szaploncza, Taraczk, Talábor, Szeklencze, Huszth, Lakócz, Nagy Ágh in Máramarosiensi, Bathár, Buberbe, Atak, et Borsova, in Ugocsiensi, Csaroda, et Szipa in Beregiensi; Túr, Szamos, Lapos, Szaszár, Erje in Szathmáriensi, Szilágyi, Kraszna in Exteriori Szólnok, vti venit ab ortu ex prouincia Unghensi, ita statim Szabolcsiensem a nostrate dirimit, et alluit vicos Nagy- et Kis-Tárkány, vbi trajicitur commeatione crebra. Dein reflexo sinu ambit vicum Leányvár, et ibi quoque traiicitur, tum ad Czigánd voluitur, ac rursus sinuatur plusquam vno milliari ad vicum Kárád, inde orae Szabolcsiensi immersus in nostram emergit penes Tokay Oppidum, vbi iunctus cum Bodrogo habet pontem solidum superiniectum, ac rursus in oram Szabolcsiensem recidit, nec redit ad nostram, quam dum ad pagum Lucz reflectitur, vbi rursus traiectu frequentatur. Infra facit Insulam, pergitque penes vastitatem praedii Abony, vsque ad pagum Kesznyéten, ibique

Sajone mixtus exit ad Prouinciarum Zabolcsiensis, Borsodiensis diuortia.

§. 57. Qua Insulam Bodrog-Köz ambit Tybiscus humiliori solo, et depresso labens emittit aliquot Ramos. Horum vnus *Karcsa* vocatur, qui auctus riuo ex monte Helmecziensi orto penes pagos Géres, Örös, Páczin, et Karcsa sinuatur, et paludes illas efficit, quae *Hoszszú-rét* nomine a pagis Szerdahely, Karos, et Lúka vsque ad Tybiscum fluuium protenduntur, ibidemque pagos Leányvár, Czigánd, et Karád plusquam octo milliarium circuitu perpetua, et impermeabili premunt vligine.

§. 58. Huic accedit vena *Füzes-ér* pariter stagnans, quae a regione Kárád e paludibus emissa it per Processum Insulanum transuerso meatu ad Bodrogum inter Kis-Patak, et Vajdácska.

§. 59. Ramum *Karcsa* non fuisse olim paludinosum ostendit instantia Comitis Melchioris Allaghy priuilegium teloniale sibi in *fluuio Karcsa* a Matthia II. Rege anno 1613 concedi supplicantis. Apparet ex eadem Regios sales ex Tarkány directo alueo Tokaynum per Fluuium Karcsa deuectos fuisse. Apparet meatum hunc Tybisci adductis ex Belgio et Venetiis Hydraulis, per Georgium Rákóczy cum concursu operarum Comitatus anno 1646. ita regulatum fuisse: vt amoenissimi ibi campi fuerint, vbi nunc tristi vligine stagna visuntur. Vestigia canalis istius hodiedum exstant quin seniores incolae hunc nobis remonstrarunt, imo et rudera templi in mediis paludibus prostant, quae ibi possessionem olim fuisse indigitant; at posteaquam §. 720. Notit. Hist. Franciscus Rákóczius anno 1705. Arcem Tokay dirui, et transfossis fluuii Karcsae, Bodrogi, et Tybisci canalibus arcis rudera aquis inundari fecisset,

ea

ea est posterorum incuria: vt quamuis hodiernus Comitatensis Geometra Ioannes Blaskó modum ostendisset: qualiter continuata per 800. fossores quinque mensium spatio opera stagnantes aquae ad priores alueos reduci, et quatuordecim pagorum terrena vligine hac liberari possint? nullus tamen ex possessoribus tam salutari operi manum admoueat, vel sumptus suppeditet.

§. 60. Tertius riuorum, quos ibidem format Tybiscus, est *Tícze*. Is supra Tárkány e Tybisco effluens, format sibi alueum satis profundum, repens potius quam fluens, penes Csernyö, Bottyán, Bacska, Lelesz, Pólyán, Szolnocska, Boly, Zéthény, Rad, et Szent-Maria, ibidemque contra Zemplénium cum Bodrogo iungitur, et dum exundat hunc cum Tybisco continua quasi colluuie maris adinstar coniungit, ideoque vastis aggeribus coërceri debet.

§. 61. Quartus riuus sub Tokayo mille passibus supra pagum Ladány ex Tybisco emanat, ac vbi in ortu suo duos riuos *Gomoni-Sebes*, seu rapidum, alium vero *Török-ér* seu Turcicam venam recepisset, mox *Takta* vocatur. Is siue egreditur infra Tokay, siue repercutitur supra Lúcz, tenet alueum perpetuum penes Harkány, Szada versus Zombor, et Tarczal, auctusque ibidem riuis qui ab oppido Szántó penes Golop, et Ond Vicos, nec non ab oppido Szerencs, et villa Bekecs e fontibus sulphureis defluunt, ac Ondi-Patak, Kacsonta, Kocsi, et Diktány vocantur, regionem Cys-Tybiscum vna cum vicis Pthrügy, Báj, Csabaj, Tardos, et Ladány in Szabolcsiensem prouinciam rescindit.

§. 62. Bodrogus Zempléniensium fluuius oritur ex confluentibus Helmecz, Toplya, et Ondova infra pontem Gödény supra Castrum Imregh, qui iuncti ad Zemplénium Laborczio, et Latorczae amissis nomini-

bus

bus *Bodrogh* compellantur. Vnde celebre de illo Epigramma:

Pluribus, aut vno prorumpunt flumina fonte,
Hoc solum flumen num sine fonte fluit?
Non equidem; sed origo est praecellentior illi,
Perfectos fluuios nam vice fontis habet.
Dixisti Tulli: sunt parua exordia rerum (*)
Tale sed istius fluminis esse nequit.

A Zemplén Oppido inter Lagmocz, et Szomotor decurrit recuruo flexu, et postea vicos Szölöske, Szeghi, et Szerdahely interfluens, procedit inter Borsi et Felsö-Bereczky ad Alsó-Bereczky, ibique nemori Longh immersus titubat, in vtramque partem hinc Ujhely oppidum, illinc pagum Vajdácska altera reflexione inuisens reflectitur in meridiem, subitque pagum Ardó, et Patakinum Oppidum ripa dextra, inde rursum recuruatur in occasum, alluitque primo Petrahó, deinde Olaszi, Zsadány, et Sára, tum Vámos-Ujfalú, nec non Liszka, et Kisfalud. Vnde in meridiem demanat penes Bodrogh-Keresztúr vsque ad Tokay, vbi Tybisco miscetur.

§. 63. Primus qui Bodrogho facit initia, est riuus Helmecz, qui infra Isép ortus, ascendit per medium pagum in Septemtrionem, et vbi exiuerat, auctus illic riuulo a Cselej defluente reducitur in meridiem, allambitque primo Upor, deinde Iztáncs, post Kelecsen, peruenitque ad Barancs, vnde inclinat in orientem, humectatque Kaszsú, et Hardicsa pagos, et postea iterum in meridiem recurrens pergit ad Garany, ibique postquam riuulum e lacu, quem *Szélestó* vocitant, accepérat nomine mutato *Paruus Bodrog*, seu Bodrógcsa incipit appellari. Caeterum a Garany dema-

(*) Cicero de finibus: omnium rerum principia parua.

manat ad Szürnyeg, ibique ad aliquot teli iactus Laborczio iunctus, eius nomen mutuatur vsque ad vicum Imregh. Infra illum cum Latorcza confluens, ibi denique primum *Bodrogus* supra arcem Zemplén compellatur.

§. 64. Latorcza oritur supra Munkács in prouincia Bereghiensi ex Carpato Ungariam, et Galliciam discriminante, qui vbi in Unghvárienſem Comitatum peruenit, manat ab ortu in occasum, nostrumque ab eo Comitatum dirimit. Alluit primo terrenum Bottyánienſe, vnde vno alueo influit in Tybiscum maxime cuneatum, per illumque repressus altero alueo rescindit terrenum Lelesziense, ac Polyaniense, deinde semper propius versus Szolnocska, Bolly, et Zéthény vergens, densissimis syluis fertur, donec intra Castra Zemplén, et Imregh Laborczae commisceatur, et Bodrogum efficiat. Traiicitur ponte volatili ad Lelesz, Bottyán, et Zéthény, molas Lelesziensem, Bottyaniensem, Zéthéniensem, Eszenkiensem, et Szolnocskiensem sustinet.

§. 65. Coniuncti sic fluuii duas Insulas efficiunt. Quarum vna est Bodrogia, *Bodrog-köz* dicta fluuiis Tybisco, Bodrogo, et Latorcza cincta, longa milliaria septem, lata vbi summe tria, piscium, lampetrarum, tabacae, ac frugum, et fructuum diuersae speciei feracissima, complectitur 5o. loca populosa, inter quae duo Oppida eminent. Altera Insula est *Takta-köz*, quam Tybiscus cum ramo Takta faciunt infra Tarczal oppidum, pagos Szada, Harkály, et praedia Basi, ac Felsö-Lúcz continens.

§. 66. Laborcz Fluuius, qui a suspendio Ducis Slauorum Laborczii Notit. Hist. §. 3. nomen accepit, oritur in Comitatu Zemplén ex monte Carpato Bezkéd, haud procul supra Csertész pagum. Pergit autem a Csertész primum ad Habura, dein ad Borró vicum,

quo-

quorum vtrumque obtinet ripa sinistra. In eodem inferius ipsi est Mezö-Laborcz, infra quem riuo Rokitocziensi augetur, et post Krasznibród accedit, mox Roskocziensem riuum amplectitur, ripaque sinistra Alsó-Felsö - et Közép - Csebinye, Volicza, et Izbugya - Bela pagos alluit, dextra vero Horbok - Radvány, Izbúgya-Hrabocz, Izbugya - Hoszszu - Mezö, Izbugya - Brestó, et Koskócz irrigat, riuumque alium, qui pariter ex monte Bezkéd penes Palotam, Viravam, Világ, Izbugya - Zbojna, Homonna, et Izbúgya-Rokito, et Tóth-Iablonyam adfluit, haurit. Inde ad Hankócz fertur, et Lubische pagos, quorum vterque a dextris sunt, a sinistris vero interius Velopolya, infra quem alius riuus a Bezkédo, et Alsó-Felsö Iablonka, Parihúzocz, Csukalocz, Hosztovicza, Telepocz, et Nechvál - Polyánka, inter Zubna, Agyidócz, Felsö-Körtvélyes, Rovna, et Udva demanat. Infra hunc Laborcza pergit ad Kohanócz, ibidemque Czirókam haurit.

§. 67. Est autem *Czirókα* amnis haud praetereundae qualitatis. Colligitur is vltra montem Nasztas ex compluribus riuis, quorum vnus venit a Ruszka, et Polena, alter a Runyina, Priszlop, et Dara, qui in Sztarina confluunt, tertius autem ab Orosz-Patak, qui cum iisdem in Sztakcsin coit, iisque auctus Cziroka descendit ad Pcsolina, et iterum aliis fluuiolis a Kálna-Rosztoka, et Kolonicza admanantibus in Szinna oppido commiscetur, inciditque in Laborczam prope Kohanócz, vti §. praecedente diximus. A' Kis - Kemencze admanat ei ex valle riuulus *Reka*, truttarum foetura frequens, et iterum inferius a Porubka alias *Udava* dictus, qui inter possessiones Felsö Iablonka, et Telepocz e fonte perenni ortus influit ad Laborczium penes oppidum Homonna.

§. 68.

§. 68. Ergo tantis amniculis satur Laborcza pergit per Homonnam versus Barkó, indeque iugis viniferis intermixtus rigat dextro latere vicos Eör-mezö, et Laborcz-Volya, sinistro Krivostyán, Sztára, et Izbugya, riuulo ibidem ab Oreszka manante disterminatos a regione Únghensi, a quo post rursus Laborcza nostrum Comitatum separat, vicosque in nostra parte Topolyán, Nagy-Mihály, Lasztamér, Szelepka, et Deregnyö distinguit, ibidemque haud procul infra Castellum cum Ungho amne concurrit. Sicut autem hucusque perrexit in meridiem, ita iam reflectitur in occasum, rescinditque pari modo prouinciam nostram ab illa secundum vicos Nagy-Ráska, Abara, Nezpest, et Petrik, qui ei sunt omnes a dextris. Infra Petrik, et Garany inter syluas coit cum Gödény amne, quem supra Toplyám, et Ondovam vocant, dum tandem cum Latorcza confluens supra Arcem Zemplén Bodrogum efficiat.

§. 69. Exundans Laborcza emittit riuum alium quem incolae *Dussam*, siue *animam*, compellant, vnde tamquam per Lethaeum lacum per *animam* iurare, vel animam increpare nil pensi ducunt fluuium *Dussam* intelligentes. Hic supra Eör-mezö exit, pergitque per Nátafalva, Petrócz, Mocsár, Krasznócz, Sámogy, intra Pazdics, Lask, et Csebb, nec non Füzessér, quorum hic a sinistris ei, illi a dextris circumstant, indeque ad Gatály, et Buttka reflectendo procedit a tergo Hegyi in Laborczam, ex quo excessit. Nobilis est cancris, sed multa adfert agris incommoda.

§. 70. *Olyka* fluuius defluit per viciniam Laborczae, quoad ex montibus fertur, capitque originem supra pagum Varechócz ex compluribus scatebris vno fere milliari a Laborcza in occasum. Inde postquam Varechocz praeterfluit, properat ad Repeiö, mox ad Praurócz, Sztropko-Ollyka, et Homonna Ollyka, demum

Orosz-

Orosz-Kajnya a dextris relicta, inter Orosz-Petrócz, et Pakasztó deuoluitur ad Iankócz, vbi riuo a Zavatka, Poruba, Felsö, et Alsó-Sitnyicze pagis exmisso in societatem accepto decurrit penes Kosarócz, et Lukasócz, ibique adsociato torrente argutatur amoena valle in meridiem, et intra Girócz, et Ieszenö defluens, deuoluto a Piskorócz, Gyapalócz, et Holcsikócz riuulo infra pagum Giglocz miscetur. Exinde procedens infra Kis-Domássa cum Ondova amne init connubia. Velox est, et arbiter Sztropkoviensis Dominii, quod ab Homonnensi disterminat.

§. 71. Ondova ex Sárosiensi regione supra arcem Sztropkó descendens, augetur amne Hocsa. Is ex radicibus montis Bezkedii, fontibus duobus ortus vnum deducit per pagos Mikova, Polena, et Havaj, alterum per Drecsna, Wladicsa, et Staskócz, iisque mediis quasi dissectis partem ipsorum sinistram tradit orae Sárosiensi, dextram nostrae. Postea infra Makócz ex profunda valle confluens Búkócz, et Hocsa vicos a Sárosiensibus finibus rescindit, donec in agro Sztropkoviensi cum Ondova confluens a dextris Ólsva, Lomna, Bodzás, Valkó, Trepecz, Dobra, et Toth-Kajnya, a sinistris vero Minocz, Túrány, Petöfalva, Kelcse, Nagy, et Kis Domása relinquat. Ibi cum Olyka iunctus rigat, a dextris Benkócz, a sinistris Matyasócz, et vtrinque riuulis adlabentibus augetur. A pago Baskócz diuersis riuulis collectus exit riuus *Ondavka* perpetua vallium successione per Tóth-Volova penes Mislina, ad Zavatka, Leszkócz, Hegedüs falva, pergit penes Tavarna-Polyánka, et postea infra Castrum Tavarna cum Ondava facta societate arci Csicsva adlabitur. A Csicsva se insinuat pago Szedliczke a sinistris, parique cursu circuit Mojoróczkam, a dextris rigat Henczócz, mon-

tem.

temque Varannoviensem subluit, et vti ille desinit, ita Ondava reflectit versus Toplyam.

§. 72. Est autem *Toplya* Ungaris *Tapoly* fluuius nihil vilior, venitque ex Comitatu Sárosiensi supra pagum Bisztra, et praeterfluit Fekete-Patak, Agyagos, Csáklyó, et Varanno-Csemernye, a quibus singulos riuulos haurit. Notabilior ex iis est riuus *Csicsóka*, qui in montibus Mihalkoviensibus e fonte perenni ortus influit Toplyae ad Varanno oppidum. Ex aduersa parte adsident ei Mogyoroska, Toth-Isép, Toth-Iesztrebb, Komorócz, Magyar Krucsó, Varanno oppidum, et denique Varanno-Hoszszú-Mezö, vbi Ondavae ad teli iactum factus vicinus distinctim voluitur vsque ad Morva vicum milliaribus duobus in meridiem. Atque Toplya ibidem in parte dextra rigat terrena Szécs-Polyánka, Parnó, Tussa, Tussa-Uj-falú, et Hoor, contra Ondava praeterfluit a sinistris vicos Kucsin, Hrabócz, Possa, Alsó Körtvélyes, Rákócz, et Morva. Inter ipsos amnes, vbi aquis diuisis insulam formant, sunt duo loca populosa Kólcs-Hoszszú-Mezö, et Bosnicza, ac praedium Kis-Falúd. Primus Toplyae cum Ondava confluxus est in praedio Oreszka, sed iterum digrediuntur adinuicem penes vicum Vásárhely. Dexter ramus subit Bánócz, Berettö, Kácsánd, et Márk, nunc Andovae, nunc Toplyae nomine; contra dexter pariter Toplyae nomine discedit longius contra Miglész, ambitque praedium Küppony, ac posteaquam penes possessionem Vécse riuum *Tarnava* e montibus Dargoviensibus fonte perenni defluentem recepisset, circuitu ad Miglész facto pergit per prata Terebessiensia, ibique iunctus lacubus *Nagy.Lika*, et *Kaponya*, e regione vici Garany confluit cum ramo priore ad molam Gödönyiensem, simulque nomine Gödöny demanant, moxque ad teli

iac-

iactum Laborczae infunduntur, donec cum Bodrogcsa mixti, atque Latorcza aucti in nomen *Bodrogi* transeant.

§. 73. His addimus torrentem *Ronyva*, qui ex monte Szaláncz demissus supra Szilvás-Uj-falú manat continua valle, penes Kozma, Lasztócz, Mihalyi, et Nagy-Kázmér, disterminatque Abaujvarienses penes vicos Legenye, et Csörgö, ibique auctus riuo *Bosva* vbi oppidum Ujhely praeterfluit, incidit in Bodrogum. Tempestate pluuia furit deorsum, et cumulos foeni secum abripit; adeoque non immerito a nonnullis *Ronytva*, siue *destructor* compellatur.

§. 74. Sed nec ii fluuii praetereundi sunt, qui ab occasu prouinciam alluunt, et a vicinis disterminant. Horum vnus est *Sajó* amnis rapax, deuoluitur ex montibus Rhedovaiensibus, qui sunt iuga montis Regii, vnde Granus prorumpit, at postquam Gömöriensem, et Borsodiensem Comitatus perlustrasset, accedit nostrum ad Körömiam Villam, et a Borsodiensi dirimit milliaris spatio, dum iuxta Girincs, et Kis-Csécs vicos vicinos defluit, et vbi Kesznyéten pagum ambitu facto circumiuit, in Tybiscum praecipitatur. Abundat carpionibus, et luciis, percisque saporis melioris, quam qui in Tybisco sunt.

§. 75. Alter fluuius Hernadus par fere Sajóni, pariter sub monte Regio in confiniis Lyptoviensis, et Gömöriensis Comitatus pluribus fontibus ortus, per Scepusiensem, Sárósiensem, Abaujvarinensem Comitatus delapsus, insinuat se nostro ad Kázmér-Dobsza, indeque per fines terreni Csanálos, Gesztely, et Hernad-Némethy defluens dirimit nostram prouinciam ab Abaujvarinensi, deinde vbi peruenit ad pagum Külsö-Böcs, amni *Bársonyos* siue Byssino vnitur, et postea Borsodiensem a nostro Comitatu distinguens, praeterfluit vicos Berzék, et Hidvég, infraque Sajoni associatur.

§. 76.

§. 76. Exundantes hi fluuii complures equidem paludes efficiunt, quae sicciori aestate siccantur, et tota fere Insula Bodrogköz iisdem scatet: lacus tamen, qui vel minores fluuios transmittunt, vel ex perennibus fontibus oriuntur, sunt tantum septem. Ad possessionem Nagy Kövesd in Insula Bodrogana *Karna* dictus, qui ramo Tybisci Karcsa continuo fouetur. Alter ad Tarczal oppidum, qui riuum Takta transmittit, et vena Tybisci Törökér augetur. Tertius ad oppidum Szerencs originem accipit ex fonte sulphureo ad arcem Szerencs *Meleg-vér* dicto, ex quo effluit riuulus nunquam congelari solitus, transmittitque riuos Ondi-Patak et Kacsonta, qui vbi efluunt nomen amittunt, ac primum Kocsi, et Diktány, demum Takta vocantur. Quartus ad oppidum Varanno ex fontibus perennibus ortus, qui ex vicino monte in declivi loci situ scaturiginem summunt, transmittitque fluuium Toplya. Quintus, et sextus in monte Dill §. 38. iam descripti. Septimus Nagy-Lika vocatus, inter arcem Paris, vel Terebes et vicum Falkus metas distinguens fluuiumque Tapoly transmittens. Incolae trans lacum habitantes Translutani vocantur. Stagnum *Pallagesa* §. 321. describetur.

§. 77. Praeter fluuios, et lacus sunt et fontes memorabiles. Ad Soókúth, et Magyar-Isép salsi, quorum tamen scaturigines, ne salis cocturae detrimentum Sóváriensi adferant, ex ordinatione Regia anno 1775. muro praeclusae, et Saxis obrutae sunt. Prope Szécs-Keresztúr lapidiferi scaturiunt, qui ipsos arborum truncos in lapidem concrescere faciunt. Ad Bisztram, Kelcse, et Homonnam acidas eructant aquas. Reymannus Medicus Eperiensis adfirmauit fontem Kelcsensem virtutis nihilo vilioris esse, quam decantatum illum Croatiae vulgo Roicsensem. Ad arcem Szerencs, et vicinum Vicum Bekecs sulphurei

pro-

prorumpunt, qui adinstar Budensium calida vicinis balnea praestant. Ad Erdö-Bénye aluminosus scaturit, qui quod oculis medeatur, *Szemgyógyitó* vocatur. Alter ibidem, prout et in Mád, Bári, et Toronya sulphureo nitrati fontes medentur elumbibus. Sunt praeterea plures in confiniis, quibus petroleum innatat signanter in pago Mikova.

§. 78. In hac aquarum diuersitate, praesertim in Insula Bodrogana aër spiritu quodam fere semper mouetur, vnde quidquid offendit pestilens, diflat. Salubritatem aëris vegeta, et hilaris incolarum facies, staturaque, et membra firma ostendunt. In loco *Véke*, quem nos incolimus, non ita pridem Stephanus Somlyódy Iudex-Nobilium 130. annos viuendo superauit, sed et submontanorum locorum multi incolae saeculum superarent, si a nimia Bachi his in partibus copiosioris amicitia sibi temperarent.

§. 79. Glebae pro ratione situs qualitatem suis locis describemus. Procreat autem iste Comitatus inter vegetabilia vinum optimum §. 17. 18. lignum diuersae speciei, inprimis quercinum, abiëtinum, pineum, corylum, iuniperas, etc. triticum, siliginem, hordeum, speltam, auenam, fagopyrum, pisa, millium, lentes, panicum, papauer, linum, cannabes, nicotianam, mel, fructus diuersi generis, imprimis poma, pira, cerasa, merasa, mala persica, cydonia, pruna Damascena, nespilos, castaneas, nuces Italicas, auellanas, pepones, melones, cucurbitarum diuersas species, cumprimis asparagum, quae sine cultura in Szerencsiensi camporum tractu prouenit tanta crassitudine: vt hortensi conferri posse videatur.

§. 80. Inter mineralia: marmor, cinereum, flauum, rubrum, nigrum ad possessiones Sztára, et Lagmocz, ex quo tamen ob politorum defectum, nonnisi calx exuri-

uritur, salem nitri, alumen, petroleum §. 77. Rudlovienses montes ferrum producunt probatissimum. Tolcsvenses Iaspidibus et Chrystallo adamantibus Bohemicis haud absimili diuites, e latere montis Tokayensis granatelli eruuntur, ad Patakinum rubini, sed exigui colliguntur. Auri etiam, et argenti minerarum culturae sunt, vestigia ad oppidum Tólcsva, possessionem Ruda-Bányácska, quae olim *Arany-Lábú-Bányácska* dicebatur, et villam Aranyos-Patak, quae ab aurifero riuo sic nominatur, sed operarios desiderant.

§. 81. Mentio fodinarum harum occurrit tam in scriptoribus, quam in Diplomatibus. Matthias Belius in Aranyos-Patak tempore Caroli Roberti fodinas auri praefuisse scribit in Historia inedita Comitatus Sáros. Meatus subterranei huedum visuntur. Nicolaus Istvánffy Lib. 20. oppidum Telki-Bánya Donatione Maximiliani Imp. Stephano Dobo attributum anno 1560. auri fodinis diues fuisse refert. Katona Tom. 9. pag. 504. inducit mandatum Ludovici I. Regis ad Nicolaum dictum Chartk Comitem Camerarum suarum de Smulnych, et Telki-Bánya anno 1347. quarum Filialis fuit Arany-lábú-Bányácska in pede montium Telki-Bánya sita. Mentio harum fodinarum occurrit anno 1450. etiam in tractatu Bohemorum Not. Hist. §. 83.

§. 82. De Iaspidibus in terreno Tolcsvensi inuentis Ioannes Ferenczy Vámos-Uj-falusiensis Notarius ad Augustam Mariam Theresiam anno 1752. scripsit Hungaricam epistolam: qua significat semet Iaspides in terreno Tolcsvensi inuenisse, fodinamque talium lapidum ibi erigi posse, cum maxima nominis Suae Majestatis gloria; quod tam eximium, et inauditum materiale in ditione Regia adinuentum sit. Exemplar etiam lapidis literis inclusit: ut eo certior sit de inuento hoc fossili

Sua

Sua Majestas. Petit autem acclusum lapidem perito Politori (*valami jó Slajfernek*) ad manus dari, qui superiorem corticem ope plumbeae trochlae desummendo pulchre repurget, dein formet ex illo aliquam figuram, sed pulchre secundum angulos, orbes, vel lineas poliendo. Demandet etiam Sua Majestas Camerae Cassouiensi: vt instantanee mittat peritos fossores, et Inspectorem, qui lapides hos eruant, majora frusta pro Sua Majestate retineant, et postquam Deus multis eiusmodi frustis benedixerit Suam Majestatem (quod ardenti corde precatur) tunc ex frustis eiusmodi tabulae ad instar speculorum, sed pulchre efformentur, aut ouali forma relinquantur, vt postquam maior politorum eiusmodi lapidum copia adfuerit, possit Sua Majestas iis suorum cubilium pauimenta exponi, ex minoribus autem frustis diuersas raritates, vtpote pyxides pro Tabacca, vel nodulos pro tunicis Ungaricis Principum Filiorum effabricari facere. Ante triginta annos scribit semet audiuisse (si tamen verum est) Venetiis exaedificatum fuisse ex lapidibus eiusmodi sacellum. Forte ergo ex artificibus illis viuet aliquis. Ex his ergo vnum, alterumue aduocandum esse. Quia sine perito artifice opera perderetur. Rogat autem, ne moras nectat Sua Majestas, cum inuentor sit senio confectus, qui si praemoreretur, nullus rem tanti momenti Suae Majestati remonstrare posset. Quia imperitus aliquis etiamsi ab ante, et a post totus circumdetur eiusmodi raritatibus, non obseruabit, inuentor autem fuit multis annis Mineralista, qui montes, valles, specus peragrando diuersas raritates inuenit, eximiamque sibi hoc in puncto experientiam comparauit. Pro hac fidelitate petit Helueticae Confessioni addictis oratorium, et Parochiam in Vámos-Uj-falú concedi; Sessionem, quam inhabitat a Iurisdictione Dominali eximi, et Regia

gia Donatione sibi conferri cum omnibus appertinentiis, quae certe sunt exiguae. Vineam suam Tolcsvensem a praestatione nonae immunitari (cum vineam in Vámós-Ujfalú non habeat) cum senio confectus sit, pensionem ex Salis Officio Tokayensi sibi assignari, denique affinem suum Dominum Georgium Lörincz Inclyti Comitatus actualem Iurassorem verum Romano-Catholicum hominem, cum quo rem tanti momenti communicauit, et ex approbatione illius Suae Majestati detexit, reflexioni Regiae recommendat, quantocius per postam Tokayensem fauorabile responsum praestolaturus, subnexo etiam in literis ad se dandis obseruando titulo: „ Nemes, Nemzetes Ferenczy Iános Uramnak, „ Vámos ujfalusi helység érdemes Notariussának, mint „ igaz hivemnek becsülettel adassék per Tokay, Vámos „ Ujfalú.“ Responsum peruenit ad Comitatum: „ vt „ scriptor literarum publice constituatur, eique imper- „ tinens hoc factum improbetur, atque simul iniunga- „ tur; vt leuium eiusmodi rerum repraesentatione Suam „ Majestatem molestare nullatenus attentet, verum si „ quid fundati remonstrandum habet, id medio sui le- „ gitimi Magistratus humillime representari faciat. Wi- „ ennae dd. 7. Apr. 1752. Maria Theresia m. p. Co- „ mes Leopoldus de Nádasd. Andreas Móricz.

§. 83. Ex regno animalium hic nascuntur pecorum, pecudum, ferarum, auium syluestrium, et domesticarum diuersae species. Krajnyenses partes horrent vrsis, lupis, aprisque syluestribus, alunt praeterea martes, taxos, ceruos, et damas, auesque iuniperaceas. Campi laetantur equis, bobus, bubalis, ouibus, setigeris, leporibus, tethraonibus, attagenibus, perdicibus, et cothurnicibus, lacubus innatant anates, fulicae, testudines, et lampetrae fluuiatiles. Sed praecipue flumina abundant piscibus. Amnes, qui intra montes decurrunt

truttarum, mugilum, fundulorum, cancrorum sunt feracissimi. Ad Kesznyten antacei pulcherrimi, ad Lúcz husones vastissimi, ad Patakinum lucii optimi, ad Ujhelinum carpiones delicatissimi, ad Tokaynum sturiones exquisitissimi, in Insula Bodrog-Köz barbones pinguissimi capiuntur. Tanta vero hic piscium copia: vt exundante vernis temporibus Bodrogo, aestiuis vero priorem alueum repetente eam post se piscium multitudinem terris effusam relinquat: vt setigeri passim illis saginentur. Georgius Werlnerus Consiliarius Regius in opusculo de admirandis Hungariae aquis anno 1595. Coloniae impresso scribit: „Vidimus ipsi authu„ mno superiore, cum Illustrem Comitem Nicolaum a „ Salmis exercituum Regiorum summum in Pannoniis „ Imperatorem vltra Tybiscum sequeremur, apud arcem „ Tokay, quo loco *Bodrogus* idem valde piscosus amnis „ Tybisco miscetur, millenos carpiones, quos nonnulli „ cyprinos dicere malunt, citra delectum tamen, sicut „ eos capi contigit, venire 100. nummis Hungaricis, „ hoc est floreno, vt vocant, vsitato. Eadem est ple„ rumque luciorum vilitas sub hyemis fere initium.

§. 84. Oras has ante aduentum Hungarorum inhabitatas fuisse per Sarmatas idem cum Rossis, Roxanis, Roxolanis, Russis, Ruthenis, Moscis, et Kozacis genus memorant antiquissimi scriptores Berosus, Xenophon, Herodotus, Cromerus, et alii. Hi nihilominus a *Szlava* quod gloriam significat *Szlavos* se vocabant. Unde et Ducem Slavorum Loborcy per superuenientes Hungaros in hoc Comitatu suspendio affectum, amnemque *Laborcza* ab eo nomen accepisse refert Anonymus Belae Regis Notarius, et nos cum eo Notit. Hist. §. 3. retulimus. Hos anno adhuc 867. ad preces Ratislai Moraviae Principis per SS. Cyrillum, et Methodium Christianis Sacris initiatos fuisse scribit Pa-

be-

bebrochius, suumque Episcopum habuisse patet ex Constit. XI. Nouell. Iustiniani Imperat. Horumque posteros hodiedum se esse gloriantur vallis Tavarnensis incolae a familiari iis loquendi modo *Szvo*, *Szotak* dicti, lingua, habitu, moribus a reliquis Slavis distincti, vafrum, et astutum hominum genus, quos Ducis Salani Marahonnicarum copiarum reliquias esse, antiqua, et communis popularium traditio est. Illa vero, quam incolunt vallis, *Szotakeria* vocatur. Plures successiue Ruheni cum septem Hungarorum Ducibus in hanc regionem intrarunt ex Gallicia, et Lodomeria, suasque sedes ad limites pro Regni custodia fixerunt, teste citato Anonymo. Vnde eorum domicilia hodiedum *Krajnya*, siue fines compellantur. Sed etiam gentem cultiorem hic habitasse vestigia nummorum, vrnarum, et sepulchrorum ad Zemplén, Imreg, et Szomotor produnt. Nos ipsi possidemus nummum crassiorem argenteum ad Zemplén repertum, auis cuiusdam figuram praeseferentem, quem aliqui Attilae Regis fuisse putant ex eo: quod teste Simone de Keza Lib. 1. Cap. 2. *Bonerium* Regis *Ethele*, quod in proprio scuto gestare consueuerat, similitudinem auis habuerit, quae Hungarice *Turul* dicebatur, nummorum vero Attilae, et Belius in antiqua literatura Hunnorum faciat mentionem; verum ea gens tam culta tunc non fuit, vt potuerit eiusmodi vitae, atque necis vestigia relinquere. Occurrunt enim ampullae, vrnaeque, et sepulturae gentis paulo eminentioris, nummi item, et signati argenti copia. Ex quibus facilius est ad colligendum Romanos dum incolis harum partium imperarent praesidium hic habuisse, exemploque suo reliquos incitasse, ad praestantiorem videndi, et mortuos sepeliendi rationem.

§. 85. Hodierni incolae suis locis in conspectum lectoris dabuntur orti ex diuersissimis nationibus. Mix-

turam hanc fecit Hungarorum transmigratio, Tartarorum grassatio, Polonorum, Turcarumque excursiones, Hussitarum domicilia, et continui fere motus ciuiles, vti in Notitia Historica sat, superque descripsimus.

§. 86. Ruthenorum multas colonias Duces Ruthenorum per connubia cum Regibus Hungariae Not. Hist. §. 16. plurimas vero Ladislaus Palatinus, dein Dux Opuliae teste Cromero Lib. 13. origine Russus, dein Theodorus Keriatovich Dux Albae Russiae sub Ludovico I. ad hunc Comitatum deduxit, quae montes *Lupi* §. 42. insederunt, Ducibusque Ruthenorum de Munkács parebant, donec Dominium Homonna Familiae Drugeth collatum anno 1400. teste metali priuilegio inter Acta Conuentus Lelesziensis reposito montibus lupi, et finibus Ruthenorum circumscribetur. Habebant attamen expost etiam destinctos suos usque nostram aetatem Iudices, qui a finibus *Krajnya*, quos regebant, lingua eorum *Krajnik*, latine autem *Sculteti* ab ungarica voce *Sóltész*, quae libertum designat, ex eo compellabantur; quod fundos, praesertim molas *Scultetiales* dictas, libere, sine vllo censu, aut tributo possederint, vicissim pro his aeconomos Dominorum terrestrium agere, ac iussa Comitatus Officialium in effectum deducere obligati. Mentio eorum occurrit in mandato Ferdinandi I. de Anno 1551. apud Clariss. Pray in Hierarch. Hung. T. 1. pag. 390. Quin S. Emericum etiam Ducem Russorum fuisse Synchronus scriptor annalium Hildesheimensium memorat, ad annum 1030.

§. 87. Mores eorum, usque nostram fere aetatem nimis feri erant, furtis, et latrociniis dediti, nullis inter se viis tritis commeabant, sed quilibet viam per abstrusa syluarum praesertim ad salem Polonicum furtim adferendum sibi aperiebat; iusto teneriori aeta-

te

te puellas quinquennes, sexennes, et id genus viro immaturasi sibi despondebant, translatique in aedes parentum cum matribus concumbebant, dum filiae matureſcerent, vel maturas inuitis ipsis, parentibusque coniugabant sibi raptu. Nundinae nimirum puellarum, viduarumque in pago Krasznibród Familiae Szirmay pone Monasterium Basilitarum, quod lingua eorum *Monastir* audit, ter in anno celebrabantur, illuc religiosa peregrinatione, vulgo processione multa millia Ruthenorum dum excursarent, puellae passis capillis, sertisque decorae, viduae autem, vt a maritatis dignosci queant, serto viridi supra vittam posito comparebant; viri e contra quam quis adamarat, licet reclamantem, parentibusque inuitis ad monasterium raptabant: *Poddo Popa, kdi ty treba Hlopa, Veni ad Sacerdotem, si virum cupis!* ac ut primum cincturae claustri inducebantur, illico per Monachos sine vlla disquisitione, vel promulgatione copulabantur. Consuetudo haec bigamiae, incestuosisque nuptiis, ac dum de sponsa rapienda plures proci, vel reluctantes amici contenderent, rixis, caedibusque ansam dedit. Similis temeraria fuit dissoluendorum matrimoniorum ratio. Quamprimum quis consorti suae fuerat infensus, is coniugi in signum repudii colum assignabat, ductaque eadem ad Krasznibród a vinculo matrimonii soluebatur. Consuetudo haec ineundorum, soluendorumque matrimoniorum iam mandato Regio Ferdinandi I. interdicta reperitur de dato Posonii 15. Martii 1552. apud Cl. Pray in Hierarch. Hung. Tom. 1. pag. 390. Caeterum perdurauit vsque annum 1720. donec seuero Magistratus interdicto sensim tolleretur. Sed et peculiares erant nuptiis, et sepulturae ritus. Sponsae mater pronuba panem, volâmque frumenti, et leguminis capiti imponebat, datoque voto omnis generis felicitatem precabatur. Cadauer non co-

coopertum primo in delubrum, dein ad tumulum deferebant, osculisque singuli humo deuouebant. Infinitis denique dediti superstitionibus, iam vampiros, iam immundos spiritus continuis exorcismis pellebant, pro domibus tuguria fumantibus interne furnis squallida habebant, donec feri gentis mores sensim mitescerent. Hodiedum etiam acribus intenti ieiuniis miserrime viuunt.

§. 88. Zingari etiam distinctam quampiam, in hoc Comitatu Rempublicam constituebant. In tribus subdiuisi tribuum Ductoribus, seu Inferioribus Wayvodis suberant, qui gentem hanc non solum in officio continerent, sed controuersias in ea enatas diiudicarent; si quam autem querelam alius contra Zingarum habuit, et si ea per inferiorem Wayvodam sopiri nequiuit, ad Supremum Wayvodam per Palatinum Regni constitutum perferebatur. Inferioris Wayvodae, seu Ductoris mentionem facit sequnes Palatini Comitis Georgii Thurzó Protectionale mandatum in Tabulario prouinciae repositum: „ Comes Georgius Thúrzó de Bethlem-falva, „ Regni Hungariae Palatinus, et Iudex Cumanorum, „ vniuersis, et singulis Praelatis, Baronibus, Comitibus, „ Vice-Comitibus etc. Cum volucres coeli suos habe„ ant nidos, vulpes foueas, lupi latibula, leones, et ursi „ speluncas, et quaelibet animalia sua agnoscant domi„ cilia, misera vero gens Aegyptiaca, quos Zingaros „ vocamus, misera pro certo an ob crudelis illius Pha„ raonis tyrannidem, vel ita fatis disponentibus, e ve„ teri suo instituto in agris, et pratis extra vrbes sub „ tentoriis saltem attritis vitam acerbissime agere con„ sueuerit, vnaque, senes, et iuuenes, pueri, et infan„ tes eiusmodi gentis imbres, frigora, aestusque inten„ sissimos extra pati, et ferre didicerint, nullam habe„ ant in terris haereditatem, non vrbes, non arces „

„ non

„ non oppida, non tecta, sed incertis semper sedibus
„ errans ignara diuitiarum, atque inscia omnis ambi-
„ tionis in dies, et horas sub aëre, dio, duntaxat ma-
„ nuum labore incudes, folles, malleos, et forcipes ver-
„ sando victum, et amictum quaeritet. etc. Propterea
„ gentem hanc misericordia, et omni fauore dignam
„ existimantes hortamur vos, et requirimus, vt quoties
„ aliqua gentis Aegyptiacae caterua, praesertim vero
„ praesentium exhibitoris Francisci Wayvodae, non
„ vltimi suae stirpis alumni, cum sibi subiectis, et sub
„ ductu suo militantibus Zingaris vna cum liberis, fa-
„ miliis, tentoriis, incudibus etc. ad vestras terras tenu-
„ ta, dominia etc. descenderint, tentoria fixerint etc.
„ eosdem tam in personis, quam rebus suis contra vio-
„ lentos quosuis turbatores, vexatores tueri, protegere,
„ etc.“ defendere velitis, et debeatis. etc. Dat. Bichae die 20. Febr. 1616. C. Georgius Thurzo. Georgius Závodszky Secretarius eius. Supremorum autem Wayvodarum mentio fit in patentibus Comitis Nicolai Eszterházy literis, quibus Supremos gentis Zingarae Wayodas Egregios Stephanum Gaál, et Petrum Zakadaty anno 1630. item in locum demortui Stephani Gaál Stephanum Csengery anno 1634. constituit, methodumque diiudicandarum causarum iis praescribit.

§. 89. Sed et iuramenti ridicula erat formula, ad veritatem ex illis, dum pro testimonio adhibebantur, eliciendam vsurpata: „Valamint Faraó Királyt az Isten
„ a' Veres tenger mélységében el sillyesztette; úgy en-
„ gemetis a' föld gyomrában el sillyeszszen! és ha iga-
„ zat nem mondanék, átkozott legyek, soha se lopás-
„ ban, se cserélésben, és semmi dolgaimban szerencsém
„ ne legyen, sött elsö cserélésemben az lovam csudává
„ vállyon, és szamárrá légyen, akasztó fán szaradgyak
„ dühös hóhér keze által.

§. 90.

§. 90. Nostro adhuc tempore Wayvodas habebant, vnde Martinum Dobay vltimum eorum Wayvodam fuisse optime recordamur, donec anno 1758. regulatione eorum inchoata, anno 1771. equorum intertentio iis inhibita, anno 1774. proles ab iis ademptae, educationique colonorum suae religionis traditae, merces educationis in cruciferis tribus dietim defixa, anno 1775 vagis uxores ducere prohibitum, alii autem nonnisi penes attestata Judicum Nobilium, quod fixa domicilia habeant, ad matrimonium admissi, et vaga haec gens maiori in parte in aliam transformata fuisset.

§. 91. Religionem profitentur incolae Romano, et Graeco Catholicam, nonnulli sunt Graeci non uniti, pars vero magna Helueticae, et Augustanae Confessioni addicti, ac etiam Iudaei, qui omnes publica sua Templa, Oratoria, et Sinagogas habent. In pago Kak aetate nostra erant etiam Anabaptistae, sed mandato Regio Diuae Mariae Theresiae anno 1760 ad amplectenda Catholica Sacra adducti sunt.

§. 92. Iurisdictioni Ecclesiasticae in Spiritualibus Romano Catholici subsunt Episcopo Agriensi, Graeco Catholici Episcopo Munkácsiensi, Augustanae Confessionis Superintendenti Dobsensi, Helveticae Confessioni addicti Superintendenti Keresztesiensi, Graeci disuniti Episcopo Budensi.

§. 93. Episcopi Agriensis Iurisdictio est antiquissima inde a temporibus S. Stephani Proto-Regis, uti Bela IV. Rex iacturam instrumentorum, quae Tartarica rabies dissipaverat, reparaturus Diplomate pro Episcopo Agriensi quoad iura, et Iurisdictionem in hunc quoque Comitatum anno 1261. edito recenset, apud Katona Tom. VI. pag. 335.

§. 94. Erat etiam Diuorum Ungariae Regum prò Archi-Diaconatu Zempléniensi optima fundatio, magno rei Catholicae Emolumento. Simon de Zemlyn Archi-

Dia-

Diaconus subscriptus legitur in fassione perennali coram Capitulo Agriensi, qua Michaël Praepositus Mislensis portionem suam in terra Sumus, nec non possessiones Berethey, et Therebey in Comitatu Novi Castri Aegidio, Filio Comitis Petri fatetur anno 1297. In Coll. Dipl. Comit. Széchény Tom. 3. In Diplomatario Sárosiensi apud Wagner pag. 313. 326. et 333. reperiuntur. Bernardus, et Petrus de Zemlyn Archi-Diaconi de anno 1299. 1321. et 1330. In metali privilegio terrae Chychva de anno 1309. subscriptus pariter visitur Petrus de Zemlyn Archi-Diaconus. Anno 1399. Ioannes Archi-Diaconus Zempleniensis fuit vna Vicarius Generalis Episcopi Agriensis. Anno 1418. Petrus filius Galli de Zéch Archi-Diaconus in Diplomate Sigismundi Imp. memoratur. Not. Hist. §. 65. Floruitque Archi-Diaconatus iste vsque annum 1430. Sed Petrus de Rozgony filius Ladislai, frater autem germanus Stephani quondam Comitis Temessiensis ex Praeposito Demessiensi per Sigismundum Regem Constantiae festo Assumptae Virginis Wesprémiensis Ecclesiae Antistes anno 1417. creatus, inde anno 1424. ad Agriensem Cathedram promotus, eamque usque annum 1438. quo Colocensem tiaram ab Alberto Rege obtinuit, gubernans, Agriae pone latus Cathedralis Ecclesiae sacellum a fundamentis erexit, illudque Praepositurae B. M. Virginis, (quam nunc de Castro Agriensi vocant) honore exornavit. In dotem Ecclesiae Archi-Diaconatum Zempléniensem a morte Petri de Zéch ultimi possessoris vacantem sublata eius dignitate eidem Capellae attribuit, ac vniuit ea lege: vt Praepositus ex ipso Canonicorum Collegio deligendus, ac per Episcopum eius temporis confirmandus, omnia memorati Archi-Diaconi exstincti munia, et onera subiret. Vt vero haec Petri Antistitis voluntas firmitatem obtineret, ad Pontificem

Mar-

Martinum V. literas dedit, quibus eam petiit confirmari. Is vero Nicolao Monasterii trium fontium de Beel, Ordinis Cisterciensis Abbati, literis Romae apud S.S. Apostolos XV. Calendas Ianuarii scriptis commisit erigendam, et confirmandam. Quod etiam postea factum est anno 1430. die 23. Iuly. Ipsas literas Martini Papae profert Katona Tom. XIII. pag. 517.

§. 95. Episcopi porro Munkacsiensis iurisdictio sequentem originem, et fata habuit. Anno 1360. quamuis Theodorus Kériatovich Dux de Munkács fundauerit monasterium S. Nicolai Episcopi prope oppidum suum Munkács ad ritum, et morem Graecorum, illudque de propriis suis bonis dando duas villas Boborvicze, et Lawa dotauerit; Rutheni attamen parochos ex Russiae partibus consecratos accipiebant a Premisliensi Episcopo, fundatione Keriatovichiana pro Praesbiteratu solum habita. Ita Matthias Rex anno 1458. mandauit Conuentui de Lelesz: „vt Lucam Praesbiterum Ruthenum ad „ Plebaniam Ruthenicalem S. Nicolai prope possessio„ nem Munkách-Monostra ritu Ruthenorum fundatam, „ et ad *Regiam collationem ab antiquo pertinentem* „ *cum suis solitis decimis* introducant," donec Praesbiteratum Mankácsiensem Uladislaus 11. designato Episcopo Joanne in Episcopatum anno 1491. sublimasset. Collatus expost fuit Episcopatus anno 1551. per Ferdinandum I. Ladislao Episcopo, per Isabellam Reginam Ioannis Zapolya Viduam anno 1558. Hilario Episcopo, per Maximilianum Regem anno 1569. N. Episcopo. Tandem Sergium Episcopum anno 1601. per Mathiam Archi-Ducem denominatum, Stephanus Bocskay occupata superiore Hungaria anno 1606. sub suam protectionem accepit, et post eum subsequi Transylvaniae Principes ius nominandi Episcopos sibi usurparunt, prout anno 1623. Princeps Gabriel Bethlen Petronium, eoque demortuo

an-

anno 1627. Ioannem Gregorovics. Georgius autem Rákóczy anno 1634. Basilium Taraszovich Episcopum nominauit, et ut a Sacra vnione cum Clero, et populo recedat, persuasit, sed quia paulo post poenitentia tactus, Catholicam publice professus fuisset fidem, anno 1640. a missae Sacrificio, ab ara in Sacro vestitu raptatus, squallore triennalis carceris maceratus, omnibus bonis priuatus, et nonnisi erga interpositionem Ferdinandi II. e carcere dimissus, obtenta in singulos annos Regia 200. florenorum pensione, in Oppido Kálló vixit, Clero interea cum populo in disunione permanente, sed anno 1649. sacer ordo Basilitarum cum Parochis 63. et 6. Archi-Diaconis sacram unionem in arce Unghvár reassumpsit, et secessionem in manibus Episcopi Agriensis Iakusich eiurauit, ac professionem suam in signum subiectionis Papae Innocentio X. submisit. Leopoldus autem Imp. anno 1659. Petrum Parthenium Ordinis S. Basilii, Episcopum Graeci-ritus vnitorum nominauit, per Pontificem quoque Alexandrum VII. confirmatum. Paulo post anno 1660. Parthenio Episcopo mortuo, novisque in Regno tumultibus subortis gens Ruthena per Reges nominatis Episcopis destituta, suberat dis-unitis Episcopis vsque annum 1689. quo Cardinalis a Kollonich Romae attunc agens adduxit pro Missionario ad Ruthenam Gentem Iosephum de Camillis Sebastae Episcopum, successive in Episcopum Munkácsiensem per Leopoldum Imperatorem cum dependentia ab Agriensi Episcopo resolutum, cui anno 1703. mortuo successit cum simili dependentia Iosephus Hodermarszky anno 1707. per Iosephum Imp. nominatus, huicque posteaquam cum nonnullis Graeci ritus Parochis contra Rákocziános copiosiori genti Ruthenae armiductorem semet cum caede permultorum praebuisset, pro irregulari declarato Carolus Imp. anno 1716. substituit Georgium Bizantium

cum

cum subiectione pariter erga Episcopum Agriensem. Hocque mortuo, voto Cleri, et recommendatione Episcopi Agriensis Comitis Gabrielis Erdödy. Anno 1734. electus Simeon Olsavszky, idemque per Carolum VI. Imp. confirmatus. Anno 1738. mortuus successorem in Episcopatu Georgium Blasovszky nactus est. Anno 1743. Diva Maria Theresia Michaëli Ollsavszky. Anno 1767. Ioanni Bradács Episcopatum contulit, vna datis Vienna 30. Aprilis 1766. ad Pontificem Clementem XIII. literis impetravit: vt Episcopatus iste canonizaretur, et ab omni Episcoporum Agriensium Latini ritus, tamquam loci ordinariorum jurisdictione in perpetuum exemptus pronunciaretur. Caeterim anno 1700. Rutheni in hoc Comitatu Archi-Praesbiteratum habebant in Oppido Sátor-Ujhely, duos praeterea Archi-Diaconatus Sztropkoviensem, et Homonensem. Ex actis Cancellariae Regiae.

§. 96. Augustanae, et Helueticae Confessionum initia in hoc Comitatu Notit. Hist. §. 174. vsque 179. descripsimus, nunc praeter enumeratos ibidem, quinam fuerint ex Zempléniensibus Dynastis, reuolutionis Euangelii patroni? vberius ordine literarum elementario recensebimus. Erant autem sequentes:

Allaghy Franciscus Dominus in Regécz, et Páczin, Templum ex secto ab extus, et intus lapide in Karcsa pro Reformatis occupavit anno 1605. Structura enim eius ex ipsa forma, adnexoque sacrario, et conservatorio Eucharistiae longe ad antiquiora tempora ante reformationem referri debet.

Allaghy Catharina eius Filia Sigismundi Rákóczy Consors 1600.

Bocskay Clara Ioannis Csápy de Eszeny consors 1586.

Bocs-

Bocskay Elizabeth Consors Christophori Báthóry. 1570.

Bocskay Stephanus Princeps, Pacificationem Viennensem, in qua libertas religionum stabilita est, procurauit 1606.

Bocskay Nicolaus Liber Baro in Kövesd 1609.

Bocskay Stephanus Supr. Comes 1644.

Bethlen Gabriel Princeps Arcis Tokay possessor. 1620.

Drágffy Gaspar Dominus in Toronya, qui primus reformationem in Ujhely suscepit. 1530.

Drágffy Georgius eius Filius 1540.

Dobo Stephanus Dominus in Patak. 1571.

Dobo Franciscus Dominus in Patak 1580.

Drugeth Stephanus Supr. Comes patronus Caspari Károly, dum is Biblia Ungarica ederet 1589.

Drugeth Valentinus Supr. Comes. 1609.

Drugeth Euphrosina, Stephani Báthory Ecsediensis Consors, Domina in Varannó. In possessione sua Visoly Officinam Typographicam erigi curauit, Parochiam Varanoviensem pinguissimo proventu dotavit. 1589.

Forgách Sigismundus Dominus in Garany 1582.

Lorántffy Michaël Dominus in Sáros-Patak, et Borsi. 1615.

Lorántffy Susanna vnica eius Filia Consors Georgii I. Rákóczy 1616. quae Reformatorum opera in publicam edi jussit lucem, ac ipsa quoque elucubrauit Librum *Móses, és a' Próféták* inscriptum Albae Iuliae 1641. editum. Patakiense Collegium reditibus auxit. Confessio Tarczaliensi-Tordensis 1562. confecta, eius iussu recusa fuit Patakini.

Magóchy Casparus Dominus in Tállya promótor editionis Bibliorum Visoliensis 1589.

Ma-

Magochy Andreas 1584. et Franciscus. 1611.

Massay Eulalia vxor Caspari Magochi 1563.

Mérey Anna Consors Caspari Serédy Domini in Kövesd, Tokay. 1563.

Nyáry Stephanus Dominus in Varannó cum Consorte Anna Thelegdhy, qui cum templum Varanoviense pro Catholicis occuparetur, obstitit. 1630.

Ország Helena Coniux Gabrielis Perény. 1569.

Perény Petrus 1530. cuius biographiam Notit. Hist. §. 200. dedimus.

Perény Gabriel eius filius 1540. Legationes ad Augustum Saxoniae Ducem 1563. Academias item Vittembergensem, et Lipsiensem reformationis causa suscepit, de quo vide in Notit. Hist. §. 252. etc.

Rákóczy Sigismundus Princeps 1607. Editionem Bibliorum Visoliensem, vt et plurimorum iuuenum itinera Academica proprio aere promouit; cum Theod. Beza Literarum commercium habuit.

Rákóczy Georgius I. Princeps inito cum Suecis foedere Pacificationem Lincensem pro Evangelicis procurauit 1645. Struxit Oratoria, ornauit Scholas, gradualia 200. Albae-Iuliae impressa Ecclesiis donauit. 1636. Eo praeside celebrata est Synodus Nationalis Szathmár-Némethini 1646. Confirmauit Canones Geleianos 1647. cum Filio Georgio II, Rákóczy. 1649.

Sulyok Anna Vidua Stephani Dobó. 1571.

Tököly Emericus Pastores Evangelicos reuocauit, Collegium Patakiense vna cum templo eiusdem loci, et Cassoviensi iis assignauit 1682.

Accesserunt Supremi Armorum Praefecti Caesarei:

Rueber Ioannes, factus indigena 1572. praefuit Synodo Cassoviensi 1568.

Schvendi Lazarus Conventus Lelesziensis bona diripuit. Art. 31. 1567.

§. 97.

§. 97. Nobiles porro familiae, quae Comitatum hunc incolebant, vel in illo possessoria sua habebant, sed iam in sexu virili exstinctae sunt, ordine pariter literarum elementario erant sequentes: Agárdy de Nagy- et Kis-Agárd a pago cognomine. Vetustatem huius ostendit „Donatio confirmatoria Sigismundi Imp. et „ Regis super possessionibus Nagy-Tárkány, Agárd, „ Sárkány Leányvár, Karád, Bély, Dobra, Dámocz, „ Lácza, Perbenyik, Cséke, Kis-Falud, ac piscina Szent- „ István-palástya pro strenuo milite filio Stephani de „ Agárd," ac Fratre eiusdem Georgio, item Nicolao, Petro, Ioanne, et Georgio filiis Martini de Nagy-Tárkány, nec non Ladislao, Michaële, et Thoma Filiis Antonii de dicta Agárd anno 1418.

Agóczy a pago Agócz, nunc praedio, una ex septem illustribus a Simone Mich-Bano Hispano Comite ortis. Anno 1551. in octaualibus iudiciis coram Comite Thoma de Nádasd Posonii celebratis recognita fuit descendentia Familiae Agóczy ex Simone Mich-Ban, qui inter caeteros filios habuit Dionysium, ex quo Ladislaus, Dionysius, et Demetrius Agóczy progenerati sunt.

Allaghy de Bekény Magnatum possidebat in hoc Comitatu Dominia Tállya, et Páczin. Merita illius Notit. Hist. §. 231. recensuimus, in Mss. vero Hevenessianis Tom. E. E. pag. 155. sequentes illustres viri ex eadem recensentur:

Anno 1044. Martinus Abae Regis Dux, simul cum Rege occisus.

1062. Stephanus Aulicus Belae I.

1114. Andreas Dapifer Regis Colomanni.

1159. Ionas Allagh dictus sub Geyza II. Capitaneus Threnchéniensis.

Nicolaus sine designatione anni.

1212. Stephanus Ductor Equitum sub Andrea II. occubuit ad Damiatam.

1226. Paulus Allaghy Regius Pincerna sub Bela IV.

1310. Sigismundus Comes de Beregh sub Carolo I.

1380. Simon Allaghy Aulae Capitaneus sub Ludovico I. eius vero frater.

1387. Ioannes Abbas ordinis S. Benedicti de Kapornak.

1396. Albertus Comes Bereghiensis sub Sigismundo occubuit ad Nicopolim.

1438. Matthias Comes de Zabonch sub Alberto Rege.

1480. Ludovicus Capitaneus sub Matthia Corvino.

1526. Gaspar Comes de Zabolch sub Ludovico II. ad Mohách occubuit.

1535. Ioannes Comes de Zabólch.

1563. Thomas Comes Zabolchensis.

1630. Melchior Alaghy Iudex Curiae Regiae, Comes Zempléniensis ultimus in sexu virili. Notit. Hist. §. 436.

Alpary de Bolly Notit. Hist. §. 266.

Anárczy de Bacska.

Apácza Armalistarum.

Apothecarii, alias Herendich Armalistarum.

Arachay de Eadem, nunc praedio.

Arbonás de Abona-Zsadány, ex Marcello filio Comitis Iuche descendens, uti apparebit ex metali priuilegio possessionis Arbona-Zsadány de anno 1321. §. 201.

Ardanás, Árky, Attyay.

Azary de Nagy-et Kis-Azar. Iam Sigismundus Rex mandauit Comitatui Zemplén: „ vt pro Ioanne de „ Azar, contra Stephanum, et Ladislaum de Azar, Ia-

„ Iacobum item de Zéch inquirant: quod Curiam Ioan-
„ nis in Azar inuadendo Margaretham, et Martham
„ Sorores ipsius pectoribus equorum enormiter truci-
„ dassent. Datum Posonii feria 2. proxima post festum
„ Nativ. B. Mariae Virginis 1435. quo anno possessio-
nes Azar per Georgium, Petrum, et Ioannem Azary
possessas fuisse ex alio documento patet.

§. 98. Bábonyi.

Bacskay de Bacska, orta de genere Boxa, vti ex Tabulario familiae Úz patet, vbi „ filii Thomae de ge-
„ nere Boxa, Ioanni filio Úz de genere Thecule pro
„ quarta puellari, matris eiusdem Elisabethae, filiae
„ Comitis quondam Chepani resignant possessionem
„ Bacska iuxta fluuium Búdrúgh anno 1314.“ Ex his Blasius de Bacska patre Andrea, Filio Stanislai, in lucem editus anno 1451. fuit Praepositus Lelesziensis, Nicolaus de Bacska Vladislai II. temporibus Episcopus Transyluaniae, ex Praeposito S. Petri de Castro Agriensi anno 1498. Kaprinay Diplomat. pag. 224.

Bacskay de Isép.

Bay de Ujhely. Per huius defectum Genitor noster Georgius Szirmay Donatione Caroli VI. Imp. adeptus est Curiam in Ujhely anno 1719.

Bajonyi, Baksa, Baksy de Hécze.

Banffy de Nagy-Mihály, vna ex Stirpibus a Comite Wencellino S. Stephani Regis Copiarum Duce ortis.

Barakonyi, Baranyai de Zsadány, Barancsy de Eadem.

Báry de Eadem Notit. Hist. §. 326.

Barlogh. Notit. Hist. §. 770.

Basy de Eadem, nunc praedio Basy.

Basó de Chióltho.

Báthory de Báthor Comitum, de genere Gúth-Geled: Ex hac per defectum Stephani de Rozgony, An-

dreas de Báthor Banus Castri Nándor-Albensis, et Comes Szathmariensis vi priuilegii Ludouici II. in possessionem Castrorum Csicsva, Mogyorós, et Varano deuenit. Coniugem habuit Catharinam, Filiam praefati Stephani Rozgonyi anno 1520. Wagner Hist. Geneal. Coll. pag. 30.

Bey, Belusich. Beleskey de Thernye. Belleváry. Beno de Lippa, Bessenyei de Deregnyö.

Bethleny de Eadem, nunc praedio penes pagum Pardics.

Bocskay de Bocskó Principis Transyluaniae, et Baronum. Notit. Hist. §. 576. 577. ex Simone Mich-Ban Comite orta. De quo M. Simon de Keza Scriptor Saeculi XIII. Libr. 2. haec habet: „Comitum Simonis, „ et Fratris eius Michaelis generatio, qui *Mertius dorf-* „ *farii* nominantur, diebus Regis *Emerici* Filii *Belae* „ III. cum Regina *Constantina* filia Regis *Aragoniae*, „ quae Uxor fuerat Regis *Emerici* honestis secum mi- „ litibus, et familia decentissima introductis in Hunga- „ riam promptissime introiuit. Emigrarunt propter si- „ multates cum *Magno* quodam Comite habitas, qui „ Patrem eorum *Simonem* interfecit. Per Regem *E-* „ *mericum* amplis latifundiis donati. Possederunt in „ Hispania plura Castra, vnum tamen ex illis notabi- „ lius *Bojot* dictum. Aquilam in scuto gestarunt pro- „ pter exercitum *Soldani* de *Tunisio*, qui Maioricam, et „ Minoricam Insulas occupauerat expulsum. Soror eo- „ rum tota tam formosa, et pulcherrima: quod eo „ tempore vix in mundo sibi similis haberetur, *Bene-* „ *dicto* Duci *Conradi* Filio elocata. Similiter M. Ioan de Thúrócz Cap. 21. commemorat generationem Simonis, et Michaelis, siue Mich-Bani. Item Rogerius in Miser. Carm. Cap. 40. mentionem Simonis iniicit, dum

Tar-

Tartarorum eruptionem sub Bela IV. describit: „Co-
„mes Simeon Hispanus, cum multis balistariis Ca-
„strum Strigonium viriliter defendit. Sed et in Notit.
Hist. §. 27. et 577. nos quoque attigimus, et Diploma-
ta etiam eius faciunt mentionem. Ita Simoni Comiti
Hispano Bela IV. Rex possessionem terrae *Ruthukeuri*
confirmat, item terras ad viginti aratra confert, ob ser-
uatum Castrum Strigoniense contra Tartaros anno
1243. Eius Filii Simon, et Michael terrae *Cheuke* con-
firmationem a Ladislao IV. Rege obtinent. Anno 1277.
In Tom. II. et III. Dipl. Com. Franc. Széchény. Nro. 33.
et 29. Cornides in Ungarico Magazin Banum Makoviae
fuisse scribit, ita et Horány in nova memor. Hung. pag.
677. Apud Carolum Wagner in Dipl. Comitatus Sárós
pag. 312. huius Simonis Com. sex Filii, et unica Filia enu-
merantur Literis Capituli Agriensis de anno 1299. Nos
possidemus Adiudicatorias arcis Kövesd pro Familia
Soós, et Zrittey Art. 31. 1574. memoratas, vbi in Cambiali-
bus Literis super Kewesd sex Filii Comitis Simonis recen-
sentur, dum „Mathias pro se et pro suo fratre Ratoldo,
„filio Rollandi Palatini cambiant possessiones intra *Ti-*
„*tiam*, et *Búdrúgh* constitutas Kewesd, et Semjén
„in Zemplin. *Holaz* in Zabouch Comitatibus cum Boxa
„Comite, et Fratribus suis, Thoma, Detrico, Georgio,
„Simone, et Dionysio Filiis Simonis Comitis pro pos-
„sessionibus iuxta montem *Makra* sitis *Bakan*, *Diwrig*
„nominatis coram Capitulo Ecclesiae Transyluaniensis.
„Dat. in Festo B. Thomae Apost. anno 1280.“ In
memoratis porro Adiudicatoriis iudicatum est: proge-
niem hanc septem illustrium Regni prosapiarum paren-
tem fuisse: Zerdahelyiorum a Boxa de Zerdahely, Zé-
chiorum a Thoma de Zéch, dein Castro a Gallo Zéchy
Comite Zoliensi, Gál-Széch cognominato, Chápiorum
a Detrico de Cháp, expost, ab Eszeny, et de Polyánka

in duos ramos diuisorum, Soóssiorum, a Georgio de Soóvár, Bocskaiorum a Simone de Bocskó, Szürteiorum a Dionysio de Zritte. Quibus subseque ab eodem Dionysio accessit septimus ramus Familiae de Agócz §. 97. nunc inter Castrum Zerdahely, et Possessionem Bereczky praedio cognominatae.

§. 99. Sic demonstrata Bocskaiorum, et connexarum Familiarum origine; superanda venit celebris illa quaestio: an Simonis Micz-Ban vxor vno partu septem Filios ediderit? Petrus Alvinczy Minister Cassoviensis in oratione funebri in exequiis Susannae Károlyi, Principis Gabrielis Bethlen Consortis 1. Iulii 1622. habita, et Albae-Iuliae 1624. in 4. impressa, et post eum Windisch in Ungrische-Magazin Tom. II. pag. 146. describit: „ Simonis Mich-Ban Consortem vno „ partu septem Filios enixam fuisse. Vnum retinuis- „ se, sex iussisse exponi. Maritum deportanti vetulae „ obuiam factum hos clam educari fecisse, dein Vxori „ iam adultos statuisse. Ex his septem praenominatas „ familias ortum ducere.“ Petrus Alvinczius historiolae huius totum robur, et Achilem collocat in certo antipendio foemineo: „ha valaki ez historiában kétel- „ kednék, ebből elhiheti: hogy ez historia egy elő kö- „ töre, mind fel vagyon himmel varva, melly tsak „ nem régen költt ki Ecsed Várából; ha ki inquirálna, „ nyomába-is eredhetne.“ At assertum Alvinczii confirmant etiam Epitaphia, in Transsyluaniae Comitatu Kolosiensi, Pago Egres positum hic habet:

G. B.

Epitaphium Egregii, et antiqui Stemmatis nobilitate ornati viri, Domini Gabrielis Bocskay, qui diem clausit anno aetatis XXI. Christi vero 1616.

Hac

Hac sub Bocskaius Gabriel iacet aede sepultus,
Dulce quiescentis more quiescit humo.
Vix dum contigerat florentia tempora vitae,
Occubuit fato prima iuuenta suo.
Hic genus a Micz-Ban Simone trahebat auitum,
Cuius septena prole erat aucta domus.
Sex iubet exponi Coniux, quos forte ferenti
Obuius it Micz-Ban, res patefacta fuit.
Infantes Micz-Ban famulis melioribus vsus,
Caute clam timida Coniuge curat ali.
Atque vbi creverunt numeros auxere suorum,
Ex his Bocskaius Vir pius ortus erat.
Dignum fortuna multo meliore fuisse
Et genus, et virtus, et pia fata docent.
T. B. Anno 1616. † S. N. I.

Simile in pago Szerdahely Comitatu Zemplén deprehendimus: „Monumentum Spectabilis, ac Magnifici Domini Nicolai Boczkay de Eadem, Electi Regis „ Hungariae Consiliarii intimi, qui dum vixisset annos 54. menses 4. dies 18. animam Christo tradidit, „ anno Domini 1621. 16. Iulii. "

Vndique Christiadum furerent dum bella per orbem.
Vexaret miseros dira famesque viros.
Nicolaus praestans atauis, et Principe fratre,
Qui Stephanus Boczkay Teutonis arma tulit.
Ac Gabriele iuuans electo limina Rege,
Et Patriae, et purae religionis opus,
Hic genus a Micz-Ban Simone trahebat auitum
Cuius Septena prole erat aucta domus.
Sex iubet exponi etc. vt supra, vsque ortus erat.
Erectos animos Leo, victoremque corona.
Prudens Serpentis nomen, et omen habet.

Non

Nonfrustra est, quaecunque gerunt generosa Leones
Pectora Primatum Sceptra verenda notant.
Inde fit: vt constans animo cristata coronam
Regalem patulam casside tecta gerant.
Diuitiis inhient alii, sed sufficit vnum
Ingenii pretio, et Regis amore frui.
Hunc igitur tumulum quiquis conspexeris, opta:
Molliter vt cineres, mortua et ossa cubent!

§. 100. Haec sunt testimonia pro septem Filiis vno partu editis. Tradidere equidem non leues authores puerperam quinquies quaternos enixam Peloponesi, multas Aegypti vno vtero Septenos. Septem edidit mulier Florentina Romae, de qua Io. Faber in Notit. ad Hist. Medic. Vxorem Nobilis Domini Darre vnico puerperio octo foetus bene conformatos enixam refert D. Borellus Cent. 2. Obs. Med. 44. interim cum foetus eiusmodi vix, ac ne vix quidem vnquam omnes ad maturam aetatem peruenisse remonstrari possit, coaeua instrumenta, et annum 1616. antecedentia epitaphia in pago Sóvár, et Oppido Gál-Széch reperibilia de hoc foetu vxoris Mich-Banianae altum taceant, Ioannesque Bocatius, cui Archiuum Mich-Banianorum Successorum optime perspectum erat, Hungaridos Libro V. in Epicediis Sóssiorum, nihil de tali partu commemoret, Alvincius autem nullo alio documento, sed solo antipendio foemineo veritatem asserti euincere nitatur, fabulamque per eum recensitam coaeui in Epitaphia Egeresiense, et Zerdahelyiense ex relatis Alvinczii retulisse praesummantur, si quis beneuolorum Lectorum historiolae huic fidem non adhibuerit, nullum ideo vinculo excommunicationis innodabimus.

§. 101. Altera quaestio est: an Stephanus Bocskay Transyluaniae Princeps fuerit ex hoc genere? cum relicto

licto gentilitio praedicato de Bocskó (qui mos Magnatibus eius temporis, a Nobilitate per id semet distinguere volentibus, usitatus erat) praedicatum de Kis-Maria assumpserit? Congenerationalem Zempliniensis Nicolai Bocskay illum fuisse testatur testamentum Notit. Hist. §. 361. inductum, et inscriptio monumenti Nicolai Bocskay in pago Szerdahely §. 99. *Nicolaus praestans atauis, et Principe fratre. Qui Stephanus Bocskay Teutonis arma tulit.* Hunc vero Nicolaum Notit. Hist. §. 324. Vice-Comitem §. 325. factum Baronem, §. 487. Stephani Supremi Comitis Genitorem, e Zempleniensibus ortum ducere nemo negare poterit. Clar. Cornides in MSS. suis nexum quoque Genealogicum eorum exhibet:

IOANNES BOCSKAY

Stephanus Bocskay

Georgius Bocskay Vxor Christina Blasii Sulyok Filia.

Stephan. Bocskay Princeps Transyl. Vxor Catharina Hagymásy Vidua Nicolai Varkuch.	Elisab. Vxor. Christ. Báthory Princeps Transylvaniae	Sara Vxor Georgii Bágdy	Iudith. Vxor Christ. Bánfy.	Christina Vxor Georgii Horváth Palocsay	Helena Vxor Gabrielis Haller.

Anna Horváth Palocsay Vxor Gabrielis Báthory Principis Transyluaniae.

Ladislaus Bocskay

Georgius Bocskay

Andreas Bocskay

Nicolaus Bocskay

Stephanus Bocskay Supremus Comes Zempléniensis vltimus suae gentis.

In Testamento Notit. Hist. §. 361. memorato.

§. 102. Sequuntur reliquae familiae: Bojuithich de Tininio, et Bojuithich de Bozitha, quae Curiam in Erdő-Bénye possedit.

Boj-

Bojthy, Bokry, Bor, Bory, Borsy de Kuchin, Bors de Körtvélyes, Boda de Kis-Tárkány.

Bosnyák de Magyar-Béll, et Both de Bajna Magnatum.

Bihary de Keresztúr.

Biliske Armalistarum.

Büdy de Büd Magnatum.

Bulyi de Búly.

Buttkay de Buttka, ex genere Guth-Keled, de quo M. Simon de Keza Libro 2. sic habet: „Tempore „ Petri Regis *Kelad*, et *Gúth* intrant tres fratres ex „ gente Svevorum de Castello *Stof.* Item M. Ioan de „ Thwrócz Cap. XVI. " generatio *Gúth-Keled* de Castro *Stoph* ex Svevia temporibus Salamonis Regis, Ladislai, et Geyzae Ducum exaltata. Apud Katona Tom. VI. pag. 1188. in Andreae III. priuilegio de anno 1298. Magister Stephanus Filius Comitis Michaelis de genere Gúth-Keled nominatur, sed et sequentia documenta condescendentiam Buttkaiorum de hoc genere probant: Donatio Belae IV. Regis pro Stephano Bano de genere Gúth-Keled erga Fassionem Ioannis, Filii Nicolai de genere Chiak super terra Gúth in Comitatu Albensi pro 33. marcis, item super terra nomine Mada in de Zabonch Comitatu ad Fassionem Beche, Filii Mokyan, nec non super terris Garabsa, Budilo, et Garus dictis intra Titiam, et Budrug Fluuios in Comitatu Zemlyn pro 100. marcis argenti venditis 1254. Filio porro dicti Stephani Bani itidem Stephano Ladislaus Rex iudicatum Curiae Regiae, et Officium Comitis Comitatus Musuniensis cum annuo mille marcarum stipendio, et affidatione de vberiori Officiorum genere contulit 1278. Huius autem Filii Vid, Paulus, et Nicolaus, matri suae, relictae dicti Stephani, iam vero collegae Dominarum Sororum de Insula Beatae Virginis pro dote in 70. marcis terram Da-

da

da in Comitatu de Zabonch cesserunt 1300. quorum Filii iam de Buttka nominati possessionem ipsorum Buttkai-Folkus dictam, et Regalem possessionem Paris anno 1343. penes Mandatum Palatini Leustachy de Illswa signis metallibus distingui fecerunt.

§. 103. Vladislaus demum Rex Petro de Buttka Tauernico suo, et Comiti Simighiensi, eiusque Fratribus Congenerationalibus Nobilibus de Ráska de Márk, et de Málcza vetera Nobilitatis insignia tres lupinos dentes in scuto triangulari complectentia, sidere aureo in campo caelestino auxit 1496. Matthias Rex iam prius eidem Petro de Buttka, tunc Cubiculario Regio, eiusque Fratribus Petro, et Michaeli turrim vetustam, ac ruinosam in possessione Butka instaurandi, Castellum vero ligneum, seu lapideum cum propugnaculis, maeniis, fossis erigendi potestatem praebuit 1489. Emericus praeterea de Buttka anno 1458. Agriensis Canonicus, Andreas de Buttka anno 1462. Vice-Iudex Curiae Regiae. Paulus de Buttka anno 1489. Aulae Reginalis iuuenis. Petrus anno 1493. Castellanus Castri Regii Tata, et Comarom. idem anno 1504. Comes Máramarosiensis, Michael Castellanus Castri Regécz, et Vice-Comes Ujj-Váriensis anno 1497. fuit. Memoratu prae caeteris dignae sunt: „Attestatoriae pro Pe„ tro de Buttka, Matthiae Regis Camerario per Ioan„ nem Coruinum Ducem super eo, quod idem Petrus „ in Officio illo Camerali, et semper a Latere Regis „ existens fidelis, et excellens fuerit, tandem et ipsi „ Ioanni Duci demortuo Rege, et Patre ipsius Ioannis „ de omnibus sibi commissis rationes debitas, et iustas „ produxerit, et dederit, super quo etiam per praesentes „ absolutus est.“ Anno 1490. Sed et Vladislaus Rex priuilegium super iure gladii Petro de Buttka, Comiti Simigiensi, et Tauernico Regio, ac Michaeli Fratri eius in vniuersis eorum bonis contulit anno 1496. §.

§. 104. Possidebat anno 1411. Familia Buttkay cum Congenerationalibus Márky, Ráskay, Málczay possessiones Dubróka, Falkus, Kamonya, Szelepka ad Castrum Buttka. Hegyi, Kis-Ráska ad Castrum Raska, possessionum Kothan ad Castrum Malcza. Petrik ad Castrum Márk pertinentia in Zemplenienſi. Item Berve, Vasson pagos, ac praedia Elk in Zathmáriensi. Praedium Hradicska in de Ungh. Gáva, et Hugyej in Zabonch, Csatár, Bottfalva, et Apáthi in Zaladiensi Comitatibus existentia. Vti super his Donatio Confirmatoria Sigismundi Imp. et Regis perhibet de anno 1411.

§. 105. Hodierni in sexu Foemineo Buttkaiorum Successores sunt Comites Szirmay, et Comites, ac Praenobiles Desseuffy, vti sequens Tabella Genealogica in Processu ex Iure radicali ratione Possessionis Szent-Imre in Comitatu Sáros habitae moto per Curiam Regiam approbata remonstrat: Nicolaus de Buttka §. 102. memoratus habuit Filios Stephanum, et Martinum 1411. Martinus Andream 1498. qui Michaelem 1498. qui Andream, et Petrum 1517. Andreas Benedictum, Petrus Ioannem, et Ludouicum 1540. qui Ludouicus Georgium, Ladislaum, et Petrum 1573. Ladislaus Stephanum 1629. 1671. qui vltimus in sexu virili Annam Consortem Francisci Desseuffy 1695. ex qua Desseuffiani, et Margaretham Consortem Adami Desseuffy, ex qua per adoptionem Szirmaiani. Item Familia Wiczmándy Notit. Hist. §. 223.

§. 106. Chák de Gál-Széch. Csanády de Nagy-Mihály, Csapóházy de Csapóháza nunc praedio, Csanálosy de Hernád-Csanálos. Csapy de Eszeny, et de Polyánka ex Simone Mich-Bano descendentes §. 98. Ioannis condam Csápy Coniugis Clarae Epitaphium ex Marmore in Szécs-Polyánka sequens eruimus. Anno 1586.

Hic

Hic quoque Csapino quondam coniuncta Ioanni
Clara iacet, generis gloria magna sui.
Casta pudicitiae, famam seruauit honestam,
Qua generosa nihil foemina maius habet.
Haec quo dicta fuit, dignam se nomine gessit,
Clara fuit meritis, et pietate simul.
Assidue quoniam doctos audire solebat,
Nilque habuit Sancta Religione prius.
Ipsa senes, inopesque Nurus, aegrosque fouebat,
Et viduis larga praebuit aera manu.
Virginibus fuerant, quaecunque parentibus orbae,
Pronuba Consortes tradidit ipsa thori.
Naturae bonitas, fidei constantia, candor.
Lingua in consiliis adfuit apta piis.
Cumque vir e terris sublatus in astra fuisset,
In viduo mansit foemina casta thoro.
In vita viguere preces, fiducia Christi,
In gremio vitam mortua cuius agit.
Principibus quondam, quos aurea protulit aetas,
Ista fuit vere foemina digna viris.
Nulla vnquam illius virtutes nesciat aetas,
Has nullum in laudes mors habet vlla locum.

Cseby de Nagy et Kis-Csebb. Ex hac Laurentius Filius Matthaei de Csebb impetrauit quinque Sessiones in Németh-falva a Ladislao Palatino Duce Opuliae, et Velumensi anno 1371. Vnde et posteri eius de Németh-falva vocabantur. Csékey de Cséke. Czékei de Czéke de genere Koplon, defecit in Martino anno 1503. viuente, cuius Soror Sophia fuit Consors Dominici Dobó de Ruszka, Cseley de Cselej de genere Bogád-Radván orta, vti infra §. 120. videbimus. Cserney de Agh-Csernö. Csizy de Csiz nunc praedio, penes pagum Lasztócz. Chörgey de Chörgö nunc praedio. Czudar,

ex

ex qua Petrus Banus anno 1388. Castrum Tokay possedit. Czuk Armalistarum ex qua Thomas Iurassor Comitatus anno 1723.

§. 107. Day, Daróczy de Deregnyö. Ex hac Franciscus Comes Bereghiensis Camerae Scepusiensis Praefectus, et ad Transyluanos Matthiae II. Regis Legatus anno 1614. Dauzon. Dely de Lasztócz. Deregnyei de Deregnyö, de genere Akus propagata Notit. Hist. §. 44. 45. Dobo de Ruszka Magnatum, quae ex Comitatu quidem Unghensi, Castro Dobó-Ruszka orta, in hoc tamen etiam Comitatu Castrum Patak possedit. Notit. Hist. §. 255. Dobronoky, Dobozy de Csemernye. Domik. Duka de Kuchin. Drugeth de Geren, et de Homonna Magnatum. Huius origines ex Italia Notit. Hist. §. 316. dedimus secundum Ioannem Bocatium, cui gentis Drugethianae Tabularium erat perspectissimum. Primus de gente hac Philippus Drugeth ex Apulia in Hungariam appulit, cui dein Palatino Regni, Comiti Scepus, et de Wjwár Carolus I. Rex donauit castra Liblo, et Palawcha anno 1323. Katona Tom. VIII. pag. 462. et Wagner Dipl. Sáros pag. 52. et 327. vbi merita Philippi recensentur, qui tamen dein inprolis decessit, frater vero eius Ioannes I. sub eodem Rege itidem aduena, et Palatinus, genuit Filios Willermum, sub Carolo Rege pariter Palatinum, et Nicolaum I. anno 1354. Iudicem Curiae Regiae, ac Comitem de Zemlyn, nec non Ioannem II. Drugeth. Horum maximus natu Willermus ex Consorte Maria Folyk, nullas pariter proles suscepit, et condito, quod Katona T. VIII. pag. 624. inducit, testamento Castra sua Zalauch, Paris, Barkon, Iczenen, Lublon, nouum Castrum de Dunajecz, et Zakalya vocata Fratri suo Nicolao reliquit. Anno 1330. Hic Nicolaus progenuit Ioannem III. Drugeth

geth de Geren, ex quo Nicolaus II. de Geren Comes de Ungh anno 1372. Anna, Heduigis, Margaretha, vxor Ioannis de Báthor anno 1419. Sed linea ista in Stephano de Geren, Filio Nicolai II. in sexu Virili extincta est. Vidua eius Maria legitur anno 1437.

§. 108. Ioannes II. Drugeth ergo lineam Drugethiorum de Homonna dictorum longe, lateque propagavit, progenitis quinque Filiis, Dynastiae Homonna anno 1380. aquisitoribus, Ioanne cuius Vxor Helena de Pakos, Nicolao, cuius Vxor Margaretha, Ladislao, Philippo, et Pascha anno 1390. viuentibus, quorum tametsi accuratam per ramos propaginem possideamus, quia tamen huius excusio magnis impendiis veniret, sola nomina Drugethiorum ex Literalium instrumentorum fide iuxta Seriem annorum edere cogimur.

§. 109. Vixerunt itaque ex Drugethiis anno 1410. 1420. Ioannes, Margaretha, Helena, Bartholomaeus, Sigismundus, cuius vxor Vrsula, Stephanus, Elena Vxor Georgii de Dob. Anno 1442. Bartholomaeus cuius Vxor Agnes de Rozgony, Ioannes, Stephanus, Simon, cuius Vxor Sophia Bebek de Vámos. Anno 1469. Ladislaus. Anno 1495. Elisabetha Vxor Ioannis de Losoncz, Ioannes cuius Vxor Christina de Zápolya. Caspar, Catharina, Hadviga, Barbara Vxor Nicolai de Zólyom.

§. 110. Anno 1527. Franciscus Tauernicorum Regalium Magister, et Comes de Ungh. Anno 1539. Stephanus Comes de Ungh, et Zemplén, cuius vxor Clara de Báthor, Emericus, Antonius, cuius vxor Anna de Báthor. Anno 1548. Georgius cuius vxor Christina Filia Ludouici Szerecsen de Mesztegnyö, ex Consorte eius Clara filia Georgii Horváth de Bakonok. Anno 1549. Franciscus cuius prior vxor Elisabetha de Perén, altera Magdalena de Réva, filia Francisci, ex Barbara,

bara, filia Georgii de Gyula. Gaspar cuius vxor Clara de Losoncz, Filia Antonii, ex Clara, Filia Andreae de Báthor, ex Consorte eius Catharina Filia Stephani de Rozgony. Anno 1557. Gabriel cuius prior vxor Barbara Varkoch, secunda Euphrosina Gyulaffy, Comes Comitatus de Ungh. Margaretha vxor Iobi Paxi, Christina, Clara vxor Francisci Révay. Stephanus Comes Zempleniensis, cuius vxor Euphrosina Török de Enning. 1567. Ioannes, Nicolaus Comes Zempléniensis Constantinopoli in captiuitate Turcica mortuus, cuius vxor Margaretha de Zrinio. Gabriel, Barbara primo vxor Martini Kechet, dein Francisci Kendy. Anno 1580. Georgius cuius vxor Euphrosina Dóczy de Nagy-Luche. Euphrosina vxor Stephani de Báthor. Christina vxor Ioannis Figedi de Naszvaj, ex qua Pogányiani descendunt.

§. 111. Anno 1620. Nicolaus cuius vxor Iudith Bánffy de Alsó-Lindva. Ladislaus. Anno 1600. Valentinus Iudex Curiae, cuius prima vxor Elisabeth Rákóczy, secunda Christina Palocsay, habuit Filium Stepha numin pueritia mortuum 1610. Elisabeth vxor Petri Zborovszky. Anna vxor Michaelis Kátay. Barbara vxor Georgii Varchoch. Elisabeth Consors Ladislai Révay, ex qua descendunt Barones Révay, Okolicsányi. Schloszberg. Comites Forgách, Majthényi. Mihályi. Barones Pongrácz, Budai, Radvánszky, Ócskay, Iankovics, Cseri, Czobell, Senns, Kércsi, Abaffy, Húnyady, Pestvármegyei, Benyovszky. Anno 1620. Georgius Iudex Curiae cuius vxor Catharina de Nádasd, Filia Francisci, ex Elisabetha Báthory, Maria, Margaretha. Anno 1634. Ioannes Iudex Curiae, cuius vxor 1645. Anna Iakusics de Orbova, Filia Emerici. Anno 1633. Georgius, cuius vxor Maria Eszterházy 1661. mortuus. Anno 1656. Barbara primo Consors Adami Vesselényi, dein Nicolai

lai Draschkovich. Anno 1662. Sigismundus, Nicolaus, Christina Consors Ladislai Bossányi, ex qua Barones cognominis eiusdem. Maria Consors Andreae Szunyogh, ex qua Comites Szunyogh propagati. Margaretha, Consors Emerici Huszszár. Anno 1684. Sigismundus Comitatus Zempléniensis Comes Cassoviae per Tökölianos capite plexus, cuius vxor Theresia Keglevich 1710. mortua, fuit prae caeteris studiis excultus. *Nucleum rerum Hungaricarum* ex Bonfinio Historico excerptum edidit Tyrnauiae anno 1681. impressum, vti in Biblioth. Dan. Cornides pag. 32. 34. recensetur. Nullum masculum haeredem reliquit, sed solum Sororem Christinam, Comitibus primo Andreae Forgach, dein Francisco Pálffy, postremo Nicolao Berchényi nuptam, ex qua Comites Forgách, et Berchényi actu supersunt. Filiae vero Sigismundi Iulianna 1706. Comiti Nicolao Pálffy, dein Michaeli Francisco ab Althan nupta 1727. mortua. Altera Filia Barbara innupta decessit. Tertia Clara Comiti Petro Zichy nuptui tradita; praeter Zichios Comites in sexu Virili superstites, progenuit Mariam Comiti Francisco Csáky, et Theresiam Comiti Gothardo a Dernath in matrimonium elocatas, ex quibus hodierni Dominii Homonna possessores Comites Csáky, et Van-Dernath. Anno 1691. Valentinus Episcopus Corbauiensis vltimus perantiquae gentis. Opulentam fuisse stirpem Drugethiorum inde colligas: quod et Carbunculus ille, siue oui columbae magnitudinem superans mas rubinus, qui in gazophilaceo Caesareo Viennensi asseruatur, sit per Valentinum Drugeth Matthiae II. Imperat. dono datus.

§. 112. Eöry de Eör. Eörmezey de Eörmezeö. Esztánczy de Esztáncs, et Ewdenffy de Vinna. Haec ex Wencellino S. Stephani Proto-Regis Copiarum Duce orta fuit, vna ex Stirpibus perantiquae Nagy-Mihályiorum

lyiorum gentis in Comitibus Sztaray hodiedum superstitis. Antiquus scriptor Simon de Keza in appendice de Nobilibus aduenis memorat, „intrasse de *Vasurbu-* „ *re* Comitem *Wecelinum*, qui *Cupam* Ducem in *Si-* „ *migio* interfecit. Istius generatio de *Iaki* dicti sunt.“ Similiter et Ioannes de Turocz Cap. 12. originem Wencellini de Vazumburg ex Bauaria deducit. *Opus* eius nepotis bellicam virtutem Notit. Hist. §. 17. descripsimus. Ex his (vti Not. Hist. §. 63. inductum per nos Diploma perhibet) alii, quod Pancratium Parentem habuerint, dicti sunt Pongrácz, de Nagy-Mihály, alii, quia a progenitore, qui Bani dignitate functus fuerat, propagati erant, vocati sunt Bánffy de Nagy-Mihály. Sunt qui ab Eördög, Eöden, vel Ewden, Ödön, Eden, cognominatis Eördögh, et Ewdenffy cognomentum traxere. Denique quod Castrum Thyba, ac loca Vinna, Sztára, Zobráncz, Nagy-Mihály possiderent Thybay, Vinnay, Zobránczy, Nagy-Mihályi, Sztaray de Nagy-Mihály sunt compellati, omnes tamen primum, et communem gentis suae parentem agnoscunt, *Iákó* seu Iacobum de Nagy-Mihály, habentque arcem veterem gentilitiam, ex edito colle procul aspectabilem, quam nunc a vico Winna arci subiecto perperam vulgus vocat *Vinna-Vára*, caeteroquin *Nagy-Mihály Vára* esset dicenda, vti patet ex „Protestatione Ladislai de „ Nagy-Mihály Filii Ioannis de Eadem, et per eum „ Ioannis, Filii Euden, Matthias, Emerici, et Andreae „ Filiorum eiusdem Ioannis, ac aliorum de Nagy-Mihály „ fratrum, contra pignoratitiam venditionem Georgii, „ Ladislai, et Ioannis, Filiorum Alberti de dicta Nagy- „ Mihály Egregiis Iacobo, Georgio, et Simoni Filiis „ Iacobi de Zeéch factam, intuitu Castri eorum *Nagy-* „ *Mihályvára* vocati cum villis, et appertinentiis ad „ idem Castrum spectantibus.“ Anno 1439.

§. 113.

§. 113. Caeterum ex Eudenffiis celebres viri erant Ladislaus Belli-Dux §. 202. 207. Franciscus §. 277. Christophorus Senior §. 333. Notit. Hist. per nos memorati, intercidit vero Eudenffiorum Linea in Ioanne anno 1699. in Arce Nagy-Mihály-vára sepulto, vti fragmentum Epitaphii per nos e rudere descriptum perhibet:

Arx mihi Winna dedit nomen, sum sanguis Eödönffy
Inclytus Hunniacae Nobilitatis honor.
Virtus nostrorum fortes imitata leones
Maiorum, patriae clara trophaea tulit.
Non semel in Martis noster stetit annulus orbe,
Erubuitque hostis — cruore sui
Haec me progenuit generosa Stirpe propago,
Sub clausa nunquam sueta sedere specu.
Optabam liber dum vivere semper, et annos
Post seros patrio liber in orbe mori.

— — — — — — — — — —

Liber dum nequeo viuere, malo mori.

Posuit Stephanus de Szirma Maritus Susannae, Filiae Ioannis Eödönffy denati. Anno 1699. die —

§. 114. Farkas de Csörgö, Fejér de Chiomboly, Fejes de Zombor a diuerticulo Fejew in territorio Zombor Oppidi habito dicta, vti §. 135. videbimus. Feöldessy Armalistarum, et Franek de Zhétény, ex qua Iudex Curiae Regiae anno 1399. apud Katona Tom. XI. pag. 493.

§. 115. Gaál de Vallagh, Gállffy, Gyárffás, Gyapoly de Morva. Gatályi de Gatály. Haec ex eodem Stipite cum Csebianis condescendebat, vnde et possessio Gathály alias Alsó-Csebb vocabatur; Originem trahit ex Comitibus Ivanka, et Ladislao Filiis Gathal, A. 1278. viuentibus. Garay de Gara Magnatum, quae vi-

neam grandem Hét - Szöllö in Promonthorio Tokayensi possedit cum Familia Keresztúry identica §. 118. Gerebsey de Gerebse nunc praedio. Géressy de Nagy-Géres. Girincsy de Girincs, et Possa Csécs. Prostant in Elencho Familiae Úsz Nro. 418. „Statutoriae pro parte „ Dominae relictae Beke, Filiae Gregorii de Girincs „ super medietate possessionis Girincs, et medietate „ molendini in Fluuio Sajó aedificati, cum iure Patro- „ natus Ecclesiae in honorem Virginis gloriosae fun- „ datae anno 1366. Golopy de Golop. Prostant in El- „ lencho Fam. Comit. Andrássy Donationales Belae IV. „ Regis pro Andronico Fratre Matthiae Praepositi de „ Scepus super terra Glup, seu Golop in Comitatu „ Zemplén cum distinctione metarum anno 1255.“ In Templo etiam Cassouiensi exstat Epitaphium Filiis duobus Stephani Golopy positum. Anno 1605.

Vrsula cum Stephano Golopy posuere parentes,
Filiolis binis haec monumenta suis.
Hic Stephani aureolum sortitus nomen in aede
Saluifica; ex ista luce triennis obit.
Ille Ioannis habens nomen vix transiit annum,
Felix qui martis tempore morte cadit.

§. 116. Halmi, Hardicsay de Hardicsa, Harthay de Kis - Hartha. Ex qua Vice - Comes Notit. Hist. §. 477. Hartyány, Hencsellöczy, Hennyey, Hetyey, Hoszszúmezey de Kólcs - Hoszszú-Mezö. Horváth de Sáros-Patak, Horváth de Zaberdino, Horváth Mladosevich. Hottykay de Hottyka. Hrabóczy de Hrabócz. Huga de Kisir. Hunyady Stirpis Corvinae, ex qua Ladislaus gloriosissimi Regum Matthiae Corvini Frater arcem Tokay in hoc Comitatu possedit. Anno 1457. prout eius Literae in Tabulario Ciuitatis Bartpha repositae testantur:

tur: „Ladislaus de Hunyad Comes Biztriczienſis Tha-
„ uernicorum Regalium Magiſter Egregio Paulo Bakus
„ Caſtellano Caſtri noſtri Tokay ſalutem cum dilectio-
„ ne. Dicitur nobis in perſonis omnium Ciuium, es
„ hospitum Ciuitatis Bartpha etc. " Datum Budae etc.
Anno 1457. Item Wagner Dipl. Sáros. pag. 118.

§. 117. Iaksich. Ioó de Kasza-Háza. Ex hac Ioannes Perſonalis praeſentiae Regiae Locumtenens anno 1600. Curiam in Erdő - Bénye poſſedit. Ináncsy, Ispány, Istenmezey, portiones Mácza, Márk - Petrik, poſſedit. Istvánffy de Kis-Aszszony-falva. Ex hac Paulus portionem Zerdahelyianam in Gál-Szécs anno 1558. impetrauerat. Izbugyay de Izbugya. Imreghy de Imregh, de genere Koplon. Proſtat in Elencho Fam. Buttkay Nro 71. Litera, qua „Andreas Filius Dionyſii
„ de Imbregh de genere Koplon poſſeſſiones ſuas Kyl-
„ vassan, et Belvassan, ac Enve Teleke vocatas in Comita-
„ tu Zathmár cambiat pro poſſeſſionibus Gerebse, Geu-
„ rus, et Eoüres in Comitatu Zemplén cum Stephano,
„ et Vid, ac Nicolao Filiis Stephani Bani anno 1310." Defecit in Sebastiano anno 1436. viuente Filio Nicolai, Filii Ioannis, Filii Dionyſii, Filii Andreae, Filii Dionyſii de Imbregh, de genere Koplon.

Tatár	Tatay	Tarány	Thegenyey
Tarnóczy	Tamáska	Tarpay	Téglássy
Tárczy	Tarnovay	Tánczos	Terebessy.

Ex quibus Stephanus propter fidelitatem Leopoldo I. Imperatori praestitam in Castello Nagy-Tarkanyiensi per rebelles in frusta concisus est. Anno 1675.

Thybay	Thonad	Torkos	Thuba
Tyhemery	Török	Thoránÿi	Thúry
Thiberusfaller	Torday	Torma	Thuróczy
Tibóldy	Trocsány	Tolvaj	Tüdös
Tokay	Tomsics	Trombitás	Thuránszky
Thóth	Tholnay	Thótok	Thúrós.

§. 160. U. et V.

Ujváry	Vass	Vadászy	Végh
Ujj	Varjú	Vásáry	Véghes
Ujhelyi	Ványay	Vrablyánszky	Vezekényi
Ujlaky	Vajda	Varga	Veresmarthy
Unghváry	Vásárhelyi	Váczy	Verbovszky
Urbán	Várady	Vasas	Vékony. Ex
Uzonyi-Kis	Valh	Veres	hac Ioannes

Patakino oriundus cum Francisco Rákóczy perduelle in Galliam, inde in Turciam Anno 1711. emigrauit, ac inter equites Turcicos, qui Sphahii vocantur, seruitia militaria amplexus, dum Princeps Eugenius anno 1717. Belgradum oppugnans a ducentis, et amplius Turcarum millibus ita circumdatus fuisset: vt obiecto a fronte Belgrado cum numerosis praesidiariis, a latere duobus vastis fluminibus Sauo, et Danubio, a tergo vero hostili exercitu, difficilem prorsus euadendi viam haberet, hic inquam Ioannes Vékonius ad Victoriam Eugenii plurimum momenti adtulit. Nam Epistolam Sultani obsidionem soluere molientis ad Mustapham Belgradi Gubernatorem perferre iustus, deflexo itinere Ioannem Pálffium, quocum anno praeterlapso ad Temessiam noti-

notitiam contraxerat, adiuit, exhibitaque Epistola Eugenium, de Vezérii Christianos eodem tempore e Castris, ac Vrbe aggredi parantis molitionibus certiorem fecit. Quo intellecto Eugenius hostem praeueniendum decreuit. Ob nauatam operam Vékonyius characterem Capitanei, et portionem in possessione Búlly donatione Regia accepit, ductaque vxore vnicam solum filiam Iuliannam Ioanni Krajnik nuptam reliquit, in templo Tarczaliensi tumulatus. Rei per Vékonyium gestae seriem testatur Nicol. Schmidtt in Hist. Ottom. pag. 442. et sequens Regium Diploma, quod in Archiuo Curiae Regiae sub Nro 4511. reperitur: „Carolus VI. Dei „ Gratia Electus Romanorum Imperator etc. Hunga„ riae Rex etc. Quum nos benigne considerantes, qua„ liter fidelis noster Ioannes Vékony Capitaneus For„ talitii Temesváriensis in anno 1716. sub potestatem „ nostram redacto coram fidele nostro nobis sincere „ dilecto Spectabili, ac Magnifico Comite Ioanne Páalffy „ ab Erdeöd Regnorum nostrorum Dalmatiae etc. Ba„ no homagio fidelitatis praestito, consentiente nunc „ fato Comite Pálffy ad exploranda Turcarum Castra, „ et pro eorundem intentionibus obseruandis penes „ Armadam Turcicam permanserit, comparata vero „ sibi plena apud Turcas fide, dum a Turcarum Sul„ tano Literas Belgradinum sub ipsa obsidione adfe„ rendas binis vicibus accepisset, illas ad antelatum „ Comitem Pálffy detulerit, redux autem ad Turcas „ simulatum diuersis artibus responsum retulerit, omni„ bus tandem Turcarum dispositionibus exploratis se„ met ad exercitum nostrum transtulerit, Turcarumque „ dispositiones, et intentiones adaperuerit, ac in con„ flictu ad Belgradum cum Turcis habito per eosdem „ agnitus duo lethalia vulnera acceperit, prout ex par„ te Consilii nostri Aulae Bellici recognosceretur, quod

memo-

„ memoratus Ioannes Vékony, per detecta his suis au-
„ sibus hostium consilia plurimum momenti ad victo-
„ riam de Turcis reportatam contulerit, occasioneque
„ expugnationis Belgradiensis fidelia, zelosa, vtilia, et
„ plane distincta seruitia praestiterit, concomitanter
„ commissum ad partes Turcicas cum infidele Rákóczy
„ desciscendo delictum praeclaris factis viriliter expia-
„ uerit, ac simul semet obtinendae consolationis, et
„ remunerationis dignum effecerit. Quorum intuitu
„ nos portionem possessionariam in Búlly Comitatu
„ Zabolchiensi Bocskaiano - Fiscalem etc. item in Lök
„ ad Rhflnos 4480. aestimatas cum cunctis earundem
„ vtilitatibus etc. memorato Capitaneo nostro Ioanni
„ Vékony etc. dederimus, donauerimus, et contuleri-
„ mus etc. Datum in Ciuitate nostra Vienna Austriae
„ die 22. Mensis Octobris. A. 1725. Carolus mp. etc. "

Visolyi Trom- bitás	Vida Vincze	Winkler Villám	Wilcsek Vitányi
Vitárius	Vimmer	Viczény	Vocsánszky.

§. 161. Z. et Zs.

Zakmáry	Zelenák	Zsiros	Zólnaky
Ztankay	Zegedy	Zigethy	Zohó
Zakács	Zemlényi	Zikszay	Zólyomy
Zsadányi	Zsiday	Zima	Zúthy.

§. 162. Ex superstitibus porro Praenobilibus Familiis *Iure Gladii*, siue delinquentes ignobiles iudicandi, et secundum leges Patriae irrogata etiam poena mortis plectendi postestate sequentes pollent: Comites Sztáray in omnibus bonis ex priuilegio Matthiae Corvini Regis anno 1479. Fasc. 5. Nro 686. Barones Fischer in bonis Bacskouiensibus ex priuilegio Leopoldi I. Imp.

I. Imp. et Regis. Anno 1693. Prot. 27. pag. 167. Barones Vécsey in Castro Zerdahely ex Priuilegio Leopoldi I. Imp. Comites, et Nobiles Szirmay in vniuersis bonis ex Priuilegio Leopoldi I. Imp. et Regis anno 1693. Proth. 1. pag. 270. Nobiles Wiczmándy de Búttka in omnibus bonis ex priuilegio Maximiliani II. Imperatoris et Regis anno 1569. Fasc. 18. Nro 252. Quibus adnumerari possunt Dominia Cameralia Tokay, et Patak, quae iure deficientium Principum Rákóczy, et Thrauczon in Fiscum Regium transderiuato jus istud sibi vendicant.

§. 163. Enumeratis sic familiis recensenda venit antiqua, et hodierna diuisio prouinciae. Antiquitus diuidebatur in duos Comitatus Zempléniensem, et Potokiensem, quibus in vnum coalescentibus iam anno 1299. diuisa fuit in quatuor Processus; submontanum, olim All-Zempliniensem, Varanouiensem, olim Fel-Zemplén dictum, Insulanum, et Nagy-Mihályiensem. Hi rursus in 16. minores Districtus diuidebantur, quibus totidem Iurassores Districtuales vocati praeerant. Not. Hist. §. 11. 12. 15. 29. Tandem anno 1777. 14. Octobris diuisus fuit in quinque Processus Zempléniensem, Tokayensem, Gál-Szécsiensem, Homonnensem, et Sztropkouiensem, in alios rursus 15. minores Districtus, diuisos. Hodie ab anno 1788. diuiditur in sex Processus Tokayensem, Ujhelyiensem, Zempléniensem, Sztropkouiensem, Homonnensem, et Görögínyensem, in 16. minores Districtus, divisos, quos sua serie ab infra dabimus.

§. 164. Regitur a Diui olim Stephani Regis temporibus per Comites, olim Parochianos, nunc Supremos dictos, eorumque Vices gerentes Vice-Comites. Vsque annum 1668. vnum tantum Vice-Comitem habebat. Not. Hist. §. 577. nunc accumulatis laboribus duos, quorum alter substitutus compellatur. Est praeterea

terea 1. Ordinarius Notarius. 2. Vice-Notarii. 1. Cassae Contributionalis. 1. Cassae Domesticae Perceptores. 1. Rationum Exactor. 2. Ordinarii 1. Vice-Fiscales. 1. Archiuarius 1. Eius Adiunctus. 5. Cancellistae. 5. Particulares Perceptores. 6. Ordinarii. 10. Vice-Iudices Nobilium. 16. Iurassores. 1. Medicus. 6. Chyrurgi. 1. Geometra. 1. Locumtenens, siue Ductor, et 4. Decuriones Haydonum. 75. Haydones. 4· Equites Cursores. 3. Obstetrices. 1. Castellanus, siue Carcerum Praefectus. Qui ex Cassa Publica Sallaria, et Conuentiones habent, annue fl. 20400. in toto efferentes. Huc non intellectis Contractionalibus Commissariis, qui militiam, dum hic statiua habet accommodant, et pro ratione durantis necessitatis sallariis prouidentur.

§. 165. Conuentus Prouincialium quamuis anno 1254. iu Bodzás-Ujlak. Anno 1286. in Patak anno 1558. in Vásárhely. Anno 1604. in Campis Gálzéch. Anno 1660. Tokayni §. 24. 28. 222. 335. 512. Not. Hist. celebrari vidimus: Iam tamen anno 1299. Ordinarius Locus Conuentuum fuit Oppidum Zemplén Not. Hist. §. 29, vsque annum 1666. quo Conuentuum Sedes ad Oppidum Ujhely tantisper translata, donec noua domus pro vsibus publicis in Oppido Zemplén erigeretur. Not, Hist. §. 553. Celebrabantur expost publici Conuentus iam in Oppidis Terebes, Varannó, et Zemplén, iam in Arcibus Csicsva, et Stropkó, plerumque tamen in Oppido Ujhely vsque annum 1730. Prot. 23. pag. 261. quo rursus domo publica in Oppido Ujhely erigi coepta, translatae Patakinum Congregationes, vna et Carceres Magistratuales, sed cum Princeps Ioannes Guilielmus a Thrauczhon id aggrauio sibi esse querularetur, anno 1743. rursus Oppidum Ujhely pro Conuentuum publicorum loco delectum Prot. 39. pag. 365. Tandem anno 1754. Domus Comitatensis in Oppido Zemplén habita

bita diuendita Proth. 45. pag. 695. Anno 1762. Magnifica Domus vsibus publicis deseruitura in Oppido S. A. Ujhely erecta, vbi iam nunc Ordinarius Conuentuum publicorum locus habetur. Modus administrationis publicae ideo non describitur: quod communis alioquin cum reliquis Comitatibus futurus, a noua Comitatuum, et Iudiciorum coordinatione in proximis Regni Comitiis ordinanda pendeat.

§. 166. Antiquitus nullum Sigillum publicum, aut insignia habebat, sed quaeuis literae de publico expeditae Sigillis Supremi, et Vice-Comitis, ac quatuor Iudicium - Nobilium propriis muniebantur. Not. Hist. §. 29. demum ab anno 1468. vsque 1550. Sigillum publicum in quatuor scissum partes diuisim insculptis hisce *Comitatus Zempléniensis* literis, per quatuor Processuales Iudices - Nobilium diuisum tenebatur, ita: vt nihil eodem signari, nisi his quatuor praesentibus potuerit; donec in sequelam Art. 62. 1550. collata fuissent omnibus Regni Comitatibus sua insignia. Zemplé-niensiensium Diploma ex Libro Regio Arch. Camerae Regiae per nos transscriptum sic sonat: „ Nos Ferdi-„ nandus etc. quod nobis pro festo Epiphaniarum Do-„ mini proxime praeterito, et alias diebus sequentibus, „ in hac Ciuitate nostra Posoniensi generalem cum fi-„ delibus nostris Dominis Praelatis, Baronibus, Nobi-„ libusque, et vniuersis Statibus, ac ordinibus Regni „ nostri Hungariae Conuentum celebrantibus, inter alia „ negotia, et tractatus, publicam quietem, et tran-„ quillitatem eiusdem Regni nostri concernentes iidem „ Status, et ordines communi omnium voto delibera-„ runt, et Maiestati nostrae humiliter supplicarunt: „ quod cum hactenus in singulis Comitatibus dicti Re-„ gni nostri Hungariae, et partium ei subiectarum in ex-„ peditionibus quarumcunque Literarum, ac aliis quibus-

„ vis

„ vis executionibus, Sigillis tantum Vice-Comitum,
„ et Iudicum Nobilium vsi fuissent, dignaremur singu-
„ lis Comitatibus Arma, siue insignia, atque Sigillum
„ speciale clementer dare, ac concedere, quibus qui-
„ libet Comitatus tam in sigillatione Literarum Causa-
„ lium Adiudicatoriarum, et Executionalium, aliarum-
„ que, quarumlibet de more, et consuetudine ipsius
„ Regni nostri Hungariae ex Sede ipsius Comitatus
„ emanandarum, quam etiam expeditionibus contra ho-
„ stem, nec non legationibus, et aliis negotiis pro in-
„ signiis in maiorem rerum, et negotiorum omnium
„ fidem, et efficaciam vti possent. Nos rationem ha-
„ bentes supplicationis eorundem fidelium nostrorum
„ Statuum, et ordinum; considerantes etiam, ad res
„ bene gerendas, et expediendas non parum momenti
„ accedere, si huiusmodi insignia, ac Sigilla cuique
„ Comitatui per nos concederentur. Comitatui Zem-
„ plénicnsi haec Arma, seu Insignia clementer danda,
„ et concedenda esse duximus: Scutum videlicet mili-
„ tare erectum, horizontaliter diuisum, in cuius infer-
„ na itidem diuisa parte, quatuor praeterfluentes Ty-
„ biscus, Bodrogus, Laborczius, et Latorcza inter-
„ mixtis piscibus, rubeo in campo ex eo: quod san-
„ guine Zempléniensium pro Rege, et Patria profuso
„ tincti saepe rubeum praesetulerint colorem; supra
„ hos duo Caelestes genii aureo in Campo super spi-
„ cas, et glandes vuae racemum decenter tenentes vi-
„ suntur. Caelestes genii vuae praestantiam, aureus
„ campus, auri copiam, ab extremis Europae finibus
„ pro vinis eorum in Regnum inuehi solitam designant.
„ Scutum Cassis craticulata, fortitudinem bellicam in-
„ colarum denotans Regio Diademate cincta, verti-
„ cem rursus huius vuae racemus virentibus foliis oc-
„ cupat, a latere Lemnisci aurei, nigris intertexti (Cle-

„ men-

„ mentiae nostrae tessera) defluunt. Prout haec omnia
„ melius, et vberius in principio harum nostrarum Pri-
„ uilegialium Literarum manu pictoris adumbrata, et
„ depicta cernuntur. Imo damus, et concedimus etc.
„ ita: tamen; vt Sigillum ipsum in Archa, siue Ladula
„ vna, sub Sigillis propriis Vice-Comitis, Iudicum,
„ et caeterorum Iuratorum Nobilium conseruetur, et
„ ex ea non excipiatur, nisi tempore Sedis Iudiciariae,
„ cum aliquae Literae nomine Comitatus fuerint obsi-
„ gnandae, quibus etiam Literis subscribant, et iidem
Vice-Comes, Iudex, et Iurati Nobiles, et si qui ex
„ ipsis sciunt scribere, simul cum Notario Comitatus,
„ alioquin Literae ipsae, quae aliter fuerint expeditae
„ inuigorosae censeantur. Datum per manus Reueren-
„ dissimi in Christo Patris Domini Nicolai Oláhi Epi-
scopi Agriensis Compatris, et Consiliarii, ac Cancel-
„ larii nostri etc. in Arce nostra Posoniensi 12. Mensis
„ Februari anno 1550. Regnorum nostrorum Romani
„ 20. reliquorum vero 24. Ferdinandus m. p. Nicolaus
„ Oláhus Episcopus Agriensis m. p. " Ex hoc Diplo-
mate ortum duxit Sigillatoria olim Sedes, quae hodie
iam non obseruatur, nec sigillum in ladula conseruatur,
nec Literas publicas Iurati Assessores, sed solus Notarius
subscribit, at Sigillum tanquam aliquod Palladium Vice-
Comes fideliter conseruat. Renouatum est hoc Sigillum
anno 1603. Not. Hist. §. 331. vt vero Comitatus in expe-
ditionibus suis rubea cera vti possit, Ferdinandus II.
Imp. et Rex concessit. Anno 1626. Not. Hist. §. 422.

§. 167. Complectitur in toto populosa Oppida 24.
Possessiones, quae publicae Contributionis repartitio-
nem ingrediuntur 418. Inter quas aliquae sunt tales,
sicut Dubraua cum Smugócz, Sztarina, cum Dara,
Orosz-Volya cum Fias, quae duas equidem efficere
deberent, propter propinquitatem tamen per impopu-

latio-

lationem ita coniunctae sunt: vt iam tantum pro vna possessione reputentur. Dantur adhaec Praedia 40. quae omnia in Comitiis anni 1765. adrepartitas sibi habent Portas Palatinales 134. a Rhflnis 688. xr. 5o. computatas. Vnde ad Cassam Bellicam pro necessitatibus Regni soluunt Rhflnos 92303. xr. 40. ad Cassam Domesticam pro necessitatibus Domesticis Comitatus anno 1796. soluunt Rhflnos 40498. xr. 28.

§. 168.

Praedia.	*Penes Locum populosum.*	*Praedia.*	*Penes Locum populosum.*
Abaj-Homok	Patak	Harangod	Monok
Abony	Girincs	Hegy-allya	Lasztócz
Aba-Háza	Szentes	Kanyaló	Véke
Agócz	AlsóBereczky	Kamonya	Búttka
Albin	Gál-Szécs	Kerektó	Zéthény
Aracs	Alsó-Körtvélyes.	Kincses	Parnó
		Kis-Falú	Czéke
Alsó-Lúcz	Lúcz	Kis-Falú	Pazdics
Bázsy	Köröm	Kis-Visnyó	Visnyó
Bethlen	Pazdich	Kis-Tólcsva	Nagy-Tolcsva
Bércz	Szilvás-Ujfalú	Keresztúr	Nagy-Géres
Csapó-Háza	Mihályi	Kis-Abara	Abara
Csernyö	Polyán	Kio	Possa
Csiz	Lasztócz	Körtvélyes	Rad
Csicsva-allya	Inócz	Komár	Kiszte
Csörgö	Legenye	Kottány	Málcza
Csontos-falva	Nátafalva	Klecsó	Gatály
Drinócz	Bacskó	Kuppony	Hor
Eszenke	Zhétény	Lomnicza	Szacsúr
Falucska	Mihályi	Longh	Ujhely
Földvár	Legyes Bénye	Luskócz	Morva
Gyapól	Kólcshoszszú-Mezö	Markusfalva	Nátafalva
		Maraszta	Baacska
Gerepse	Örös	Matyesúczky	Nátafalva
Gödöny	Garany	Maloveszka	Kólcshoszszú-Mezö
Grodzin	Bisztra		
Halam	Magyar-Isép	Ó Topolyán	Nagy-Mihály Parics

Praedia	*Penes Locum populosum.*	*Praedia*	*Penes Locum populosum.*
Parics	Terebes	Szeghy	Liszka
Rakattyás	Kázmér	Sissár	Kak
Sarkad	Lúcz	Sókúth	Magyar-Isép.
Sárkány	Leányvár	Szigeth	Tárkány
Szakálka	Kólcshoszszú-Mezö	Szinka	Hermány
		Vallyon	Terebes
Stankócz	Laborcz - Volya	Vereskócz	Szedliczke
		Vendegócz	Kis - Cseb
Sankócz	Zsalobina.	Vitezócz	Görögínye
Sztras	Lazony	Vogyakócz	Eörmezö
Salamon	Nagy - Tárkány	Zádorháza	Lasztamér
		Zbehanócz.	Zsalobina.

§. 169. Ex Tabella Dimensionis Regni, quam Iosephus II. Imperator, et Rex ordinauerat, euenit: in hoc Comitatu Terrarum arabilium Iugera. 64tas Org. □.

Per Nobilitatem possideri - -	87552.	- 30 -	14.
Per Colonos Ignobiles - - -	224812.	- 16 -	22.
In Summa -	312364.	- 47 -	11.

Ita: vt 25. Orgiae □ vnam sexagesimam quartam, et hae sexaginta quatuor vnum Iugerum constituerant; adeoque singulum Iugerum 1600. Orgias □ complectatur.

§. 170. Vires publicae Comitatus huius, in maxima tamen intensione anno 1797. in 404. Equitibus, et 384. peditibus insurgentis Nobilitatis, ad haec 1506. peditibus ad Legiones regulares statutis, 46656. metretis siliginis, 73094. in metretis auenae, 388. frustis boum, 194. equis titulo subsidii bellici per Nobilitatem praestitis constabant.

§. 171. Ex Tabella Vrbariali exstirpati fundi Colonorum in hoc Comitatu constituunt.

In Agris Iugera	5695
In Pratis Falcastra..	7283
Vineae Colonicales Fossorum	24,046
Numerantur Coloni..	12,698
Inquilini	4292
Subinquilini	910
Integrae Sessiones Colonicales	6165
Sessionum Constitutiuum internum efficit Metr. Poson...	13,159
Sessionum Constitutiuum externum Iugera in agris	135,784
Sessionum Constitutiuum Externum in pratis Falcastra	45,392
A quibus Dominiis praestantur annue Iugales labores	318,889
Vel Manuales	724,347
Dominalis annus census constituit florenos ..	16,821
Ligna focalia orgiarum	4967
Netura Librarum	29,787
Butyrum Mediarum..	6909
Capones	12,264
Pulli	12,264
Oua	73,587
Nona alicubi desumitir in natura partim redimitur florenis	1786
Partim Iugalibus Laboribus dierum	1351
Vel Manualibus	2703

§. 172. Populositas vero, seu numerus incolarum ex accurata Conscriptione medio Status militaris mandante Iosepho 11. Imperatore anno 1785. peracta est sequens:

Iuxta

Iuxta hanc Conscriptionem dantur domus ..	27,922
In quibus resident familiae Christianae	37,144
detto detto detto Iudaicae	1169

Dantur Christiani Mares:

Spirituales, seu Ecclesiastici	373
Nobiles	4885
Fungentes, et Honoratiores	94
Professionistae, et Ciues	1380
Rustici	14,848
Praeinserti Ciues, et Rustici Conductionis successores, seu obiecta	15,347
Mercatores, et alii in quaestura, in prouincialibus negotiis constituti	21,712
Ad indeterminatum tempus ablicentiati a legionibus	113
detto detto Famuli Vecturales	1
Ad diuersas publici necessitates applicabiles ..	5888
Sexus muliebris	98,986
Succrescentia iuuentutis ab vno, vsque 12. annos	29,095
detto a 13. vsque 17. annos	7965
Summa Christianorum	200,687

Iudaei Mares coniugati	1225
detto Caelibes et vidui	1602
detto Sexus muliebris	2808
Summa Iudaeorum	5635
Summa totius Populositatis	206,322

Ex his inter Christianos

Sunt Coniugati	40,405
Caelibes, et Vidui	61,296
Praeter, et vltra sexum masculinum absentes in gremio Regni	2615
detto detto Extra gremium Regni	54
detto detto nescitur vbi?	326
In locis peregrinis gremiales cnnscripti	2518
Ex aliis Austriacis haereditariis Prouinciis mares	399
detto detto mulieres	73
Extranei ex aliis Ditionibus mares	46
detto detto detto mulieres	7

Locum Collectaculi Tyronum anno 1795, in hoc Comitatu habent Legiones Pedestris Nádasdiana, et Equestris Huszszarorum Barcoiana, iam Mészárossiana.

§. 173. Ex Conscriptione anno 1782. peracta, vbi Religioni cuiuis addicti distinguebantur, patet: Romano, et Graeco-Catholicos duas tertialitates, Augustanae autem, et Helueticae Confessioni addictos vnam tertialitatem incolarum, Graecos vero disunitos nonnisi 178. personas constituisse. Dein extraneorum quasi domiciliantium magnam hic copiam dari, ex quibus successiue euadet maior impopulatio. Ad haec si longitudo 24. milliarium per mediam latitudinem 6. milliarium multiplicetur, constituet tota capacitas Comitatus 144. quadrata milliaria, per quae si numerus inhabitatorum 206,322. diuidatur, eueniet quod ad vnum quadratum milliare 1432. homines hic habitent, est ergo aliis Regni Comitatibus magis populosior, cum in tota Hungaria ad vnum quadratum milliare obueniant 1260. homines, seu est hic impopulatio similis, sicut in Helvetia, ubi ad vnum quadratum milliare 1400. homines obtingunt.

§. 174.

§. 174. Antiquitus tamen longe populosior iste Comitatus fuisse videtur: quod apparet ex non impopulatis nunc praediis, quae ante cladem Mohacsianam populosa fuise leguntur. Deinde multarum possessionum antiquarum, nunc nec nomina, aliquarum tantum vestigia supersunt. Ita Not. Hist. §. 24. anno 1255. memorata possessio *Mesces*, nunc est tractus vinearum ad Liszka *Meszes* dictus. Castrorum Purustyán anno 1320. Mogyoros, anno 1520. exstantium modo vix aliqua rudera. Castri Tubul, et Possessionum Gyken, Poya, Holos-Zegh, et Eger-Pataka in Donatione familiae Nátafalussy anno 1254. designatarum nunc nec vestigia. Bodolo. Anno 1254. Nadfö. Anno 1420. possessiones, prior penes Géres, altera penes Magyar-Krucsó nunc exigua diuerticula. Paris anno 1343. Regalis Possessio, nunc coniuncta cum Oppido Terebes. Orbona, et Zsadány, Aboj, et Homok, Alsó, et Felsö-Lúcz olim distinctae possessiones, nunc adinuicem coniunctae, vel in praedia conuersae. Possessionis Ferencz-Vágás in Comitatu Zemplén sitae, ac versus Comitatum Sáros protensae anno 1488. fit mentio in venditionalibus Ioannis de Gálszécs modo nullum pagi vestigium. Ubi nunc Knachii, Tay, Also, Felsö-Zéch, Petrusfalva, Torna, et Andrásfalva? quae olim infidelis Petri Filii Peteunch fuisse, et Mich-Banianis posteris anno 1321. per Carolum Regem, collata dignoscuntur, et complura alia suis locis memoranda? sed et videre est ex dedesertis nunc vineis, quae olim per summa montium cacumina colebantur, maiorem operarum, adeoque et populi numerum hic fuisse.

§. 175. Nunc iam ad ipsam arcium, oppidorum, pagorum, et praediorum in specifico descriptionem transimus: quo in opere ita versabimur; vt singuli loci nomenclationem antiquam, et hodiernam, eius Etymon,

vbi est possibile, eruderemus. Cuius Classis ipse locus? iuxta classificationem occasione inducti anno 1772. Urbarii factam, quae glebae qualitas? quae loci beneficia, et maleficia? quis numerus iugerorum in agris? quae intravillani capacitas? incolae cuius nationis? qualis religio, quae arces? quae templa? quae oratoria? quae fata loci, qui posesores antiqui, et hodierni? quae promonthoria vini feracia? qui montes? diuerticula, aquae, lacus, fontes, quae nunc et olim Religiosorum ordinum caenobia, iuuentutis educandae collegia, earumque fundationes, cum serie Praepositorum, Parochorum, Ministrorumque in specifico describamus.

§. 176. Ordiemur ab oriente. Primo videlicet Processu Tokayensi, olim submontano, siue Hegy-allya, a montibus viniferacibus dicto, tres Districtus Patakyensem, Tokajensem, et Megyaszoviensem complectente, in cuius Districtu Tokayensi sunt:

§. 177. Oppidum *Tokay*, olim Tocota, Tochol, Tokoyd in confluente Tybisci, et Bodrogi situm, unde et nomen illius Math. Belius deriuat. *Tokay* enim Slauis confluentem designat; quamvis id Hungari a *Tok* et *háj* concretum putent, quod illic antacei capi, et adipe excuterari soliti fuissent. Sed nominis etymon verius prius videtur Belio, quod cum adventu Hungarorum incolae loci Slavi fuerint, a quibus iam prius castrum conditum fuisse memorat. Nobis autem deriuatio nominis loci verosimillima videtur a praeterfluente *Takta* §. 61. memorato, et cum aduentu Hungarorum *Tokota* dicto, unde et Anonymus locum *Tokay terram juxta Tokota appellat.* Cap. 16. 17. 22. 31. Castrumque terreum *Hymusudvor* vocatum ibidem per militem Turzol erectum memorat. Cap. 17. Glebam quidem omnis speciei frugum feracem haberet, sed

qua

qua planum est terrenum, cum eluuionibus Tybisci, et Bodrogi quolibet vere madeat, qua autem collinum est, cum vite colatur, nullas terras arabiles, sed unice prata vliginosa habet, quod etiam inter maleficia loci censetur, caeterum cum incolae ex cultura vinearum, et re pecuaria, non prostremum merendi modum, piscaturam adhaec nobilem habeant, insuper ad duo flumina non tantum naues sale Marmatico, lignis, victualibusque onustae, ast ad transitum per fluuios solidis pontibus stratos viae quoque praecipuae commerciales Leopoliensis, Pesthana, Cassoviensis, et Transilvanica concurrant, spectatis his beneficiis locus 1. classis est. Incolae sunt Hungari, Germani, Slavi, Rascii, Iudaei. Templa, et Oratoria Romano-Catholici Divo Ioanni Baptistae dicatum, item Graeco-Catholici, Graeci disuniti, Augustanae, et Helveticae Confessioni addicti, ac Iudaei etiam suam Synagogam, propter mixturam omnium harum Religionum habent. Qua Bodrogus cum Tybisco confluens insulam efficit, habebat arcem quadrangulo vasto opere, propugnaculis ad regulam artis muratis munitam, quarum vnum ea parte, qua Bodrogus aquas diuiserat, solidissimum fuerat, ab auctore *Bethlenio* Principe Transylvano *Bethlenianum* nuncupatum. Interne prostabat turris, in qua puluis pyrius asseruabatur, mansiones adhaec muratas, et solidas, arcis Praefecti, et Militis Praesidiarii vsibus deseruientes complectebatur. Ichnographiam, et descriptionem eiusdem exhibent non tantum patrii, sed et externi Germani, et Galli scriptores. Memoratu digna vel maxime sunt de hoc fortalitio opuscula: Prospectus fortalitii Tokay in Münsteri Cosmográphia. Meisner, Zeiler, Gvaldó, in Hist. Leop. Tom. 2. pag. 90. Theatr. Europ. Tom. 9. pag. 1150. Tom. 10. pag. 803. de Fer, Force d' Europe Tom. 9. Bodenehr, et Purkenstein,

Con-

Contrafactura contra fortalitium Tokay in Chron. Ungar. Francofurti in 4. anno 1664. Delineatio Castrorum Caesarei exercitus ad Tokay anno 1660. in Theatr. Europ. Tom. 9. pag. 50. Petri Bizari Basileae anno 1573. Georgii Werhnerii Coloniae anno 1595. editae dissertationes. Item Windisch. in Magaz Hung. anno 1782. pag. 332. Kaprinay in Hung. Dipl. Tom. 1. pag. 156. Mss. Belii, et Art. 61. 1609. ac plurimae Leges, quae clarum Tokaynae arcis tanquam Superiorum Regni partium antemuralis nomen inclamant. Fata, et heros eosdem oppidum, quos arx expertum est.

Ante postremum in Pannoniam Hungarorum aduentum possidebant locum Jazyges, Metanastae Slavis permixti, vel ipsi etiam Slavicae originis, aggereque e terra congesto Castrum confluente fluuiorum alioquin validum communiuisse scribuntur per Belium, et Kaprinay: sed cum antiquissimus scriptor Annonymus nullam Castri huius cum aduentu Hungarorum faciat mentionem, ast Tokaynum *terram magnam iuxta Tocota vocet*; nos natales arcis potius militi Túrzoll cum citato Anonymo debemus. — Cum aduentu Hungarorum terram magnam iuxta *Tokotam* ad radicem montis, eiusdem, vbi *Budrug* descendit in *Thysciam*, Arpad Dux contulit strenuissimo militi *Túrzoll* Anonym. Loco Citat. et Not. Hist. §. 7.

Anno 1074. Fugiens e conflictu cum Salamone inito Geysa Regii sanguinis Princeps Tokayni refugium quaesiuit Not. Hist. §. 17.

Anno 1241. Deuastasse Castrum Tartaros saeuientes, quod diu postea destructum stetit, donec a Bohemis anno 1440. partes has occupantibus instauraretur, memorant Kaprinay, et Bell, sed nos instaurationem arcis Stephano de Debrew deberi censemus. Nam expost Stephano iuniore Rege Patakinum incolente.

An-

Anno 1270. Tokay erat villis possessio Caniferorum Regiorum anno 1290. per Ladislaum Regem Comiti Thomae, filio Simonis collata, vti testatum reddit sequens Diploma: „ Nos Ladislaus Dei Gratia Rex „ Hungariae memoriae commendantes significamus vni- „ uersis, quibus expedit praesentium per tenorem: „ quod consideratis fidelitatibus, et seruitiorum meritis „ Comitis Thomae, filii Simonis, quae nobis, et re- „ gno laudabiliter impendit, et deuote; quasdam ter- „ ras Caniferorum nostrorum Luch, et *Tochol* voca- „ tas in Comitatu de Zemplien existent. dedimus, „ donauimus, et contulimus eidem Thomae Comiti „ cum omnibus vtilitatibus, et pertinentiis suis perpe- „ tuo pacifice possidendas, sine praeiudicio iuris alieni, „ eo iure, atque plenitudine, quibus iidem Caniferi „ dignoscuntur possedisse, ita tamen: quod pro prae- „ dictis terris in concambium earundem Caniferis prae- „ dictis similes terras conferremus. Dat. in Mezösu- „ mulo feria quarta post Dominicam Laetare anno 1290. „ Col. Dipl. Mart. Kováchich. "

Anno 1388. Possidebatur per Petrum Zudar Banum.

Anno 1398. Sigismundus Rex Stephano de Debrew pro possessione Kazon possessiones Tokay, et Tarzal cum tributo assignauit, nulla arcis mentione. Collect. Wagner. Stephanus iste de Debreo, vnus ex iis proceribus fuit, qui Sigismundo Regi carceri Siklosiensi incluso Ladislaum filium Caroli de Duraccio subrogare contendebant. Not. Hist. §. 54. 55. vt proinde factionem in Superiore Ungaria opportunis praesidiis firmaret, anno 1401. munimentum Tokayni ad confluxum duorum fluuiorum tumultuario opere renouatum opposuit arci Patakinae Perénianorum, qui a Regis partibus erant. Argumento nobis est Diploma Sigismundi, quo

per

per notam infidelitatis Stephani de Debreo *Castra* Tokay, Tallia, et Regécz Georgio Despotae Rasciae confert, Tokay iam *Castrum* vocat, Bonfinius autem collationem hanc recensens Decad. 3. Lib. 3. Tokay *Castellum* compellat, cum illud hactenus semper tantum possessio nominaretur. Possidebatur ergo Castrum Tokay per Georgium Rasciae Despotam usque annum 1440.

Anno 1412. Sigismundus Hungariae, et Uladislaus Poloniae Reges Tokayni noctem exegerunt. Not. Hist. §. 61.

Anno 1440. Arx occupata, et instaurata per Bohemos recensentur a Kaprinay, et Bell: sed alii Coaeui, qui Castra Patak, Kövesd, et Gálszéch occupata recensent, Not. Hist. §. 70. de arce Tokay altum tacent; rectius itaque concluditur arcem hanc per Georgium Despotam Ioanni Hunyady Gubernatori cessam, et per hunc ad refrenandas Bohemorum Patakiensium excursiones munimentis firmatam fuisse. Cum non longe post illius, tanquam Castri Hunnyadiani.

Anno 1457. occurit mentio, vti litera ex Tabulario Ciuitatis Bartpha per nos transscripta perhibet §. 116.

Anno 1460. Egregie per Matthiam Corvinium Regem communita Bell in Mss.

Anno 1469. Donatione Matthiae Regis possessorium eius adiuit Emericus de Zapolya.

Anno 1490. Albertus Uladislai Regis Frater arcem irrito conatu impetiit, cum Poloni hanc oram infestarent.

Anno 1514. Quamuis Arx Patakina per Crucigeros rebelles caperetur, arx Tokay tamen ab insultibus eorum tuta permansit. Not. Hist. §. 144.

Anno 1526. Comitia hic celebrauit Ioannes Zápolya, arcemque magis adhuc communiuit Not. Hist. §. 158.

An-

Anno 1527. Acerrima pugna ad Tokay, decertatum est inter Ferdinandi I. Duces, et Ioannem Zápolya. Not. Hist. §. 166.

Anno 1535. Acre rursus ad Tokaynum inter Ferdinandi, et Zápolianos Duces praelium, tandem cum nullo inuecto commeatu, obsidionem praesidiarii Zápolyani ferre nequiuissent, arx per Franciscum Bebek Leonardo Felsio Ferdinandi I. Copiarum Duci dedita est. Not. Hist. §. 181,

Anno 1536. Castellum in Rakamaz per Zápolianos erectum, Tokayno oppositum. Not. Hist. §. 183.

Anno 1541. Dynastia Tokayensis in praemium exanthlatorum laborum Donatione Ferdinandi Casparo Serédy attributa est.

Anno 1550. Sacra Regni Corona per Isabellam Reginam Ioannis Zapolya Viduam Ferdinando Regi tradita, Tokayni hospitata est. Not. Hist. §, 208.

Anno 1556. Franciscus Némethy Stephani Séredy tutor arcis Praefectus ad Zápolianos desciuit, arcemque turpi perfidia Ioanni Sigismundo tradidit. Not. Hist. §. 214.

Anno 1558. Ditio Tokayna per Stephanum Dersffy Cassouiensem Capitaneum vastata. Not. Hist. §. 226.

Anno 1565. Per Lazarum Svendium glande plumbea traiecto Némethio arx capta est. Not. Hist. §. 246.

Anno 1566. Recuperare illam contendebat Ioannes Sigismundus Zápolya 32. millibus Transylvanorum, et Tartarorum arce circumdata. Sed Iacobus Raminger, et Mathias Kalvassy propugnarunt tam fortiter, et impigre locum: vt hostes quamquam acerrime rem gerentes recedere cogerentur. Not. Hist. §. 249.

Anno 1567. Ditio Tokayensis per Turcas vastata. Not. Hist. §. 250.

Anno 1595. Possidebatur per Sigismundum Báthory Principem Transylvaniae.

Anno 1605. Quum Georgius Ruberus Praefectus, et milites, quotquot habebat equos absumpsissent, nec postremo a felibus, et canibus deuorandis cogente inedia abstinuissent post vnius anni obsidionem Stephano Bocskaio dedita est.

Anno 1607. Post mortem Bocskaianam collatum est Tokainum Georgio Thurzó in 70,000. Imperialium ob compositos Haydonum tumultus qui

Anno 1611. Foedus ibidem cum Transylvano pepigit art. 5. 1613. memoratum. Not. Hist. §. 380.

Anno 1621. Sacra Regni Corona iterum Tokayni hospitatur. Not. Hist. §. 404.

Anno 1622. Peruenit arx per pacta ad manus Gabrielis Bethlen.

Anno 1627. Tractatus cum Bethlen hic susceptus. Not. Hist. §. 424.

Anno 1630. Possidebatur per eius Viduam Catharinam Brandeburgicam. Not. Hist. §. 432.

Anno 1641. Per Comitem Ioannem Druget. Not. Hist. §. 461.

Anno 1646. Synodus Evangelicorum hic celebrata. Lampe Hist. Eccl. pag. 397.

Anno 1647. Georgio I. Rákóczy arx cum Dominio attributa §. 131. cum Petrus Szirmaius anno 1646. ne arcem Tybiscus alluuione ruinet, meatum fluuii adductis ex Belgio, et Venetiis Hydraulis, regulasset. Not. Hist. §. 480.

Anno 1648. Tractatus Tokayni pro reapplicandis 5. Comitatibus in sequelam Art. 20. 1647. susceptus. Not. Hist. §. 491.

Anno 1663. Arx per Germanicum praesidium tenebatur. Not. Hist §. 538.

An-

Anno 1670. Seditione per Franciscum I. Rákóczy concitata, arx impetita irrito seditiosorum conatu. Not. Hist. §. 568.

Anno eodem Georgius Széchény Archi-Episcopus Colocensis Ministrum Helv. Confessionis ex Tokay assistentia Cataphractorum Germanorum eiici curauit. Lampe Hist. Eccl. pag. 748.

Anno 1683. Per Emericum Tököly occupata.

Anno 1685. Per Aeneam Caprara recuperata. Not. Hist. §. 656.

Anno 1697. Per Franciscum Tokay concitata seditione assultu capta, caeso Germanico praesidio. Not. Hist. §. 688.

Anno eodem per Carolum Wandemontium recuperata, oppido incenso, direpto, incolisque sine discrimine trucidatis. Ibidem.

Anno 1703. Per Comitem Nicolaum Berchény Francisci II. Rákóczy Copiarum Ductorem capta. Not. Hist. §. 716.

Anno 1705. Vt Rákóczius propter dirutam arcem Patakianam Caesari vicem redderet, mandato Rakoczii per Commissarium illius Samuelem Patay solo aequata, et ne vel vestigium illius supersit, ad eam eluuione aquarum consepeliendam Tybiscus, et Bodrogus fluuii per canales versus rudera deriuati. Not. Hist. §. 720.

Anno 1713. Promonthorii Tokayensis pars per vehementiam imbrium abrupta.

Anno 1714. Paraecia Romano-Catholicis restituta cum vineis ad requisitionem Episcopi Agriensis Stephani Telekessy.

Anno 1715. Francisco II. Rakoczio perduellionis conuicto oppidum, et Dynastia in Fiscum Regium redacta, hodiedum iure Camerae Regiae administrantur.

An-

Anno 1770. Diuus Iosephus II. Imperator Regna sua peragrans stationem hic habuit.

Anno 1772. Hebdomadales nundinae huc inductae.

Anno 1773. Ecclesia Catholica restaurata, et Scholae Nationales introductae.

Praefectorum porro Arcis sequentium nomina erui poterant.

Anno 1457. Paulus Bakus.

Anno 1514. Michaël Heteley.

Anno 1525. Balthasar Lasztóczy.

Anno 1528. Stephanus Revvay. Not. Hist. §. 169.

Anno 1556. Franciscus Némethy.

Anno 1565. Ioannes Ramminger, et Matthias Kalvássy.

Anno 1590. Claudius Russel.

Anno 1594. Franciscus Balassa.

Anno 1596. Georgius Rueber pugna Keresztesiana vulneratus.

Anno 1625. Nicolaus Abaffy, cui pro fidelibus seruitiis per Gabrielem Bethlen inscripta possessio Kinis in fl. 5000. Comitatu Zabólch.

Anno 1635. Ioannes Kelemessy.

Anno 1637. Baró Stephanus Révay.

Anno 1646. Franciscus Stepán. Not. Hist. §. 484. Andreas Kis Vice-Capitaneus.

Anno 1668. Comes Strasoldó.

Anno 1670. Comes Rudigerus Stharemberg. Not. Hist. §. 568.

Anno 1685. Martinus Izdenczy Not. Hist. §. 652.

Religiosi autem Ordines sequen.es olim Deo Tokayni famulabantur: Ordinis S. Pauli I. Emeritae, pro quibus Claustrum honoribus Beatae Mariae Virginis dicatum fundauit Emericus de Zápolya anno 1470. Destruxit Caenobium hoc Gaspar Scrédy anno 1557. con-

ic-

iectis in carcerem Vicario, et Fratribus, direptaque eorum supellectili. Ad dandam facti rationem per Imperatorem Ferdinandum vocatus, se id ea ex ratione fecisse reposuit; ne Zápoliani ex claustro fortalitium efforment. Mss. Wagner. Tom. 1. pag 127. et fragmen panis Corvi Eremit. Alter Ordo Patrum Capucinorum Tokayni domicilium habebat „ Pastore Animarum, „ tempore reuolutionis Rakoczianae, orbatus coetus „ Catholicorum Tokayensium, instantissime mediante „ Christophoro Hug a Winterbach, Officii Salinarii „ Tokayensis Praefecto, petiit a Stephano Telekessy „ Episcopo Agriensi, vt tum pro solatio suo spiritua- „ li, tum pro incremento Catholicae fidei - facultatem „ concedat euocandi ad se ex Austria aliquot PP. Ca- „ pucinos, qui subinde domicilium ibi figere, et suc- „ cessiue Ecclesiam, et conuentum aedificare valeant. „ Annuit precibus instantium Pastor zelosissimus, non „ obstante eo quod iussu Regio nouissime restitutus „ eo fuerit Parochus Catholicus nomine Ioannes Kör- „ möczy, aduentum Capucinorum et ipse, datis ad „ Patrem Prouincialem literis flagrantissime expetens: „ habito itaque consensu Regis Caroli III. Episcopi, „ et insuper Camerae Scepusiensis, protunc Eperies- „ sini residentis, ex Capitulo die 26. Augusti anno „ 1712. Cremsy celebrato P. Gregorius Austriacus, „ protunc Minister Prouincialis electus designauit cum „ obedientia Tokaynum PP. Ioachimum, et Quirinum, „ adiuncto ipsis socio Fré Elia, qui eo applandente „ populo Catholico, die 6. Decembris 1712. aduene- „ runt, et ibi Domicilium, in aede Ecclesiae Parochia- „ li legata, eique a Septemtrione contermina fixerunt, „ in eaque duobus annis commorati sunt. Anno dein „ 1714. se transtulerunt ad Domum Rákocziano - Fisca- „ lem ex donatione Regia ipsis concessam, et pro Re-

„si

„ sidentia adaptatam, in quo fundo, et ei vicino nobilis
„ Georgii Badonyi, quem idem Capucinis levissimo
„ 45. fl. pretio cessit, successiue iacta sunt fundamen-
„ ta Ecclesiae, et Monasterii. Cessit etiam, et quidem
„ gratuito, pro area Patribus fundum suum nobilis
„ Ladislaus Buday de Bölcse. Anno itaque 1716. die
„ 5. Aprilis ex delegatione Comitis Gabrielis Erdödy
„ Episcopi Agriensis, fundamentalem pro Ecclesia la-
„ pidem posuit Georgius Bizánczy Munkacsiensis Grae-
„ co-Catholicus Episcopus. Sed productis extra fun-
„ damenta ad duas orgias muris ob benefactorum de-
„ fectum ab vlteriori opere cessare opportuit vsque
„ ad annum 1725. quo (affluente benefactorum mu-
„ nificentia, inter quos praecipuus fuit Comes Stepha-
„ nus Kohári, 20,000 fl. liberaliter pro Sacro hoc aedi-
„ ficio elargiens, et Camera Regia, materialia magna
„ ex parte gratuito conferens) aedificium Ecclesiae
„ rursus assumptum, et anno 1729. perfectum est,
„ consecrante eandem die 8. Augusti eiusdem anni
„ Georgio Zorger Episcopo Tinniensi, et Gabrielis
„ Antonii Erdödy Episcopi Agriensis suffraganeo.
„ Completo templi aedificio, structurae Monasterii
„ manus admotae sunt, quod, munificentia variorum
„ benefactorum strenue succurrente, perfectum est,
„ Anno 1734. stetitque sub sequentibus superioribus
„ vsque ad annum 1787. quo die 22. Octobris per De-
„ cretum Regium, et Commissarios Casparum Szik-
„ szay, Andream Zsigrai, Franciscum Nátafalussy cas-
„ satum est. " Superiores Residentiae Tokayensis erant sequentes.

1. P. Ioachimus Bohemus ab anno 1712. vsque 1715.
2. P. Albertus Aenipontanus ab anno 1715. vsque 1729.
3. P. Cyprianus Halensis ab anno 1719. vsque 1720.
4. P. Sigefridus Hungarus ab anno 1720. vsque 1721.

5. P.

5. P. Florianus Cremsensis ab anno 1721. vsque 1724.
6. P. Crescentianus Badensis ab anno 1724. vsque 1729.
7. P. Agathangelus Slavus ab anno 1729. vsque 1730.
8. P. Crescentianus Badensis ab anno 1730. vsque 1733.

Guardiani:

1. P. Paschalis Iauriensis ab anno 1734. vsque 1736.
2. P. Valerianus Crumloviensis ab anno 1736. — 1738.
3. P. Agricola Palatinus ab anno 1738. — 1741.
4. P. Daniel Hungarus ab anno 1741. — 1742.
5. P. Gregorius Budensis ab anno 1742. — 1744.
6. P. Albertinus Passaviensis ab anno 1744. — 1745.
7. P. Auxentius Sabariensis ab anno 1745. — a746.
8. P. Valerianus Crumlouiensis ab anno 1746. — 1749.
9. P. Zephyrinus Tyrnauiensis ab anno 1749. — 1752.
10. P. Theodorus Oberzellensis ab anno 1752. — 1755.
11. P. Amantius Gmundensis ab anno 1755. — 1758.
12. P. Remedius Labacensis ab anno 1758. — 1760.
13. P. Gervasius Iaurinensis ab anno 1760. — 1761.
14. P. Caius Posoniensis ab anno 1761. — 1764.
15. P. Honestus Nyúlasiensis ab anno 1764. — 1766.
16. P. Amantius Gmundensis ab anno 1766. — 1768.
17. P. Bartholomaeus Galanthensis ab anno 1768. — 1769.
18. P. Spiridion Iaurinensis ab anno 1769. — 1772.
19. P. Saluius Budensis ab anno 1772. — 1775.
20. P. Franc. Emmanuel Horkensis ab anno 1775. — 1778.
21. P. Sisinius Ovarinensis ab anno 1778. — 1779.
22. P. Edmundus Köpcseniensis ab anno 1779. — 1780.
23. P. Desideratus Budensis ab anno 1780. — 1783.
24. P. Crescentius Budensis ab anno 1783. — 1785.
25. P. Symesius Budensis ab anno 1785 — 1786.
26. P. Clementinus Sexardiensis ab anno 1786 — 1787.

Tertius ordo fuit Patrum Piarum Scholarum, circa annum 1723. pro imbuenda in literis iuuentute huc

in

inductorum, sed sublato Paulinorum Ordine, sublatisque Gymnasiis Tokayensi, et Patakiensi Sátor-allya-Ujhelinum, ad meditullium quasi Comitatus anno 1798. translocatorum, vbi magno Reip. emolumento iuuentutem humanioribus literis imbuunt, et ad commoda Patriae formant.

Promonthoria Vini feracia quod attinet; ea diuersitas situs in tres classes diuidit:

1. Classis sunt perpetuo soli meridiano obiecta. Mézes-málé, siue mallea placenta, a terminis terreni Tarczalinensis vsque ad ipsum Oppidum porrigitur. Demum Cliui, Paksi, Gyöpös, Németh-szöllö, Hétszöllö, Barát, Szerelmi, Tapasztó, Bornemisza, Kismézes-málé, Kunhegy, Kóttság, Kendös, Nagy-szöllö.

2. Classis, Cliui Orientales: Kis-Ösze, Zúgó, Meleg-odal, Aranyas a repertis auratis acinis dictus.

3. Classis, est plaga Occidentalis, et Septemtrionalis, versus terrenum Bodrog-Keresztúr sita, complectitur Cliuos: Zúgó, Péchy, Boglyos, Marjás, Keskeny-ag. In omnibus his cliuis nonnisi tres scaturigines fontium reperiuntur, vnde in prouerbium incolis abiuit: Naturam, vini copia supplere defectum aquae voluisse.

Monumenta antiqua, prout et Priuilegia loci iniuria temporum deperierunt. Vnde Oppidani ad Maximilianum Imp. et Regem confugerunt, expositisque eidem Priuilegiorum suorum dispendiis, supplices id consecuti sunt: vt idem Caesar libertates ipsorum cunctas, atque iura publico Diplomate anno 1598. restitueret. Confirmarunt anno 1610. Rudolphus, et Matthias II. Per ea obtinuerunt Oppidani: vt a seruilibus laboribus dominorum eximerentur, sed moderatum solum censum heris suis soluerent, iura municipalia, modos decimandi, et nonandi vina speciales, ius gladii,

dii, liberam vini epocillationem, ac Magistratum e suis delectum peculiarem haberent.

Sigillum Oppidi refert serpentem a Moyse e cruce suspensum, est publici hic veredarii statio, telonium ad pontes, salis lapidei depositorium, nundinae frequentia magna, diebus conceptae B. Mariae Virginis, nati Ioannis Baptistae, SS. Annae, Matthaei, Demetrii, et Thomae celebrantur.

§. 178. Oppidum *Tarczall* a strenuissimo milite Hungaro *Turzoll* dicto nomen accepit. Not. Hist. §. 7. Est locus 1. classis glebam nigram friabilem, in decliuitate omnis speciei frugum, in collinis vero optimi vini feracem habet; sed qua planum est solum, nonnisi 980. iugera terrarum arabilium complectitur, reliquam planitiem prata, et arundines ad fluuium Tatka, qua collinum est, vites occupant. Incolae sunt Hungari, Romano-Catholicae Religioni, et Helv. Confessione addicti, unde vtrisque sua sunt templa, et oratoria. In Catholicorum templo visitur vexillum Ioannis Vékony Capitanei §. 160. memorati, Tarczalini sepulti, reliqua monumenta iniuriae bellorum deleuerunt. Fata, et heros eosdem fere locus iste, quos Tokaynum, propter viciniam, expertus est. — Cum postremo adventu Hungarorum primus locum possedit miles Turzoll. Not. Hist. §. 7. subseque reliqui §. praecedente enumerati, praeterquam quod:

Anno 1603. Sigismundus Rákóczy ex impignoratione Rudolphi Imp. Tarczal distinctim possederit.

Anno 1606. In tractatu Viennensi 23. Iunii cum Bocskaianis habito, assensit Sua Maiestas: vt Oppidum Tarczall a Sigismundo Rákóczy per Stephanum Bocskay redimatur, et ad Castrum Tokay more antiquo possideatur. Reliquas vicissitudines ab

Anno 1670. vsque annum 1700. natiua lingua descripsit Isaacus Babocsay oppidi Notarius, scriptor coaevus, quas nos ex Mss. eiusdem latio idiomate per synopsim sic recensebimus:

Anno 1620. Petrus Zombor Deák oppidi Tarczall Iudex, Principem Gabrielem Bethlen conuiuio excepit, per eum in numerum Nobilium relatus.

Anno 1671. Andreas Gyöngyössy, et Stephanus Tasnády Ministri Helv. Confessionis expulsi, templo pro Catholicis recepto.

Anno 1672. Posteaquam Generalis Cobb malecontentorum antesignanos Stephanum Petróczy, Matthiam Szúhay, Gabrielem Kende, et Paulum Szepessy ad pagum Györke clade affecisset, Tarczalienses, et reliqua oppida submontana metu dilapsa, vineas hoc anno non collectas reliquerunt. Cobbio igne, ferroque omnia vastante.

Anno 1673. Securae permansionis literas *Saluam Guardiam* vocabant, impetrarunt a Generale Cobb Tarczalienses, solutis eidem 200. florenis. Sed iis non obstantibus per Tokaienses praesidiarios diuersis exactionibus vini, et carnium supra vires affligebantur.

Eodem anno Iudex primarius Stephanus Iászay: quod literas Generalis Spank tardius, vti opportebat Tokaynum expediuerit, cum suo vices gerente capti, Tokaynum deducti, ad palum attrahendi condemnati, dum iam per carnificem in loco supplicii expansi fuissent, adlatis decem vasis vini vuarum passarum aegre per oppidanos liberati sunt. Vnde in prouerbium apud Hegy-allyenses abiuit: *Leg jobb Agens Tokay Antal*, siue Tokay Antonium (Antalconem) potentissimum aduocatum, et intercessorem esse.

Anno 1674. Commendans Tokaiensis iterum Iudicem, et Notarium ideo: quod Tökölianorum Tarczali-

ni

ni pernoctantium aduentum non insinuauerint, vinctos ad se deduci curauit, ac in palum trahi imperauit, iterum praestitis decem vasis vini aegre liberatos.

Eodem anno Generalis Spank Secretarius Michael Lochinszky ex Castris ad Monok locatis misit Tarczalinum quatuor famulos, qui duo vasa vini praestantioris tam pro se, quam Generale adferri impetrarent. Accidit pro infortunio incolarum; vt Tököliani Oppidum noctu aggressi, tres famulos Lochinszkianos trucidarent, quarto fuga elapso. Nec mora, primores loci ad castra Germanica euocantur, eunt trepidi cum donariis, Sikár nomine Iudex, Ioannes Kis Senator, et Isacus Babocsay Notarius, sed vix in castra peruenerunt iam tres praeacutos quercinos palos paratos vident, quibus impalentur. Non aliter ab horrida morte liberari poterant, quam solutis Generali mille florenis, quos cum actutum soluere nequiuissent, a Miskólczi-ensi oppido mutuare coacti sunt. Dein qnatuordecim vasis vini praestantioris ex Mézes-mál Generali praestitis, et Cassouiam deuectis. Demum centum cubulis auenae exercitui Spankiano gratuito administratis. Tribus denique infelicibus Tökölianis militibus per Tarczalienses interceptis, iisque in locum primorum oppidi, et interfectorum famulorum in praeacutas sudes attractis.

Anno 1675. Noctu per diuagantes Tökölianos, de die per horum persecutores Tokayenses Germanos continuis excursionibus, exactionibus, caedibus, et incendiis diuexabantur.

Anno eodem Generalis Caraffa ad Liszkam Castra metatus, triginta vasa vini, viginti boues, emacellandos, et decem plaustra panum gratuito praestanda Tarczaliensibus imperauit, et executione militari

ab iis extorsit. Non mitior hoc fuit Comes Strasaldo Generalis.

Anno 1676. Georgius Harsányi Tökölianus Centurio, cum Procenturione Petro Farkas noctu rigidissima hyeme Tarezalinum aggressus, illud praedonum in morem expilauit, pecoribus, pecudibusque omnibus abactis, quin vestibus vtrique sexui detractis, seminudos reliquit, expost domos miserorum incendit.

Anno 1677. Tot calamitatibus pressi ad cincturam templi se receperunt, illamque circumuallando contra excursiones se muniuerunt.

Anno 1678. Dum Michael Teleky cum exulantibus Hungaris e Transyluania egressus ad vicum Rakamaz castra figeret, in succursum eius missi Agrienses Turcae octingenti Duce Aly-Bego, Kara-Hasan Aga dicto 14. Augusti recte dum prandii tempus esset, Tarczalinum venerunt, incensoque oppido palantes incolas per vineas, et montes insequebantur; foeminas ad libidinem vi adegerunt, expilatisque omnibus 162. captiuos vtriusque sexus abduxerunt, duodecim oppidanis trucidatis, qui semet ad cincturam templi receperant, et inde defenderant. Hac occasione succenso antiquae structurae parochiali templo, quod hactenus illaesum permanserat, ingentis molis campanae in cineres, et fauillas dissolutae sunt. — Superueniens Michael Teleky reliquos ad arma capienda vi adegit, et Eperiessinum promotis castris abduxit: vt nonnisi infantes, et effaeti senes remanserint. Ad Eperjessinum demum per Polonicas copias Duce Comite Lessinszky fugato Telekio Tarczalinenses inde profugi domum redierunt.

Anno 1679. Pestis Tarczalini grassabatur ita: vt ex cinctura templi, quorsum iterum semet receperant, quo-

quotidie 15. 16. peste enecti efferentur, nec qui supererant pro inhumatione eorum sufficerent.

Hoc anno submontanus Archi-Diaconus, et Tallyensis Catholicus Parochus Pater Stephanus Iósa Not. Hist. §. 607. nobis memoratus, qui iam Tökölianis, iam Caesareanis adhaesit, et tunc Hungaros Caesari adhaerentes ductitabat, Tarczalini per Felcz nominatum Tökölianum Procenturionem ex insidiis circumuentus, amissis suorum 60. capite plexus est.

Anno 1680. Tarczalinenses Agriensibus Turcis se dediderunt, et in pignus locata ciui Cassouiensi Iacobo Olasz communitatis vinea, ducentis thalleris depraedationem sui apud Kara-Hassan Aly-Begum redemerunt.

Superueniente Emerico Tököly castra eiusdem victualibus, vecturis, et vino prouidere coacti; illocatis illuc ad statiua Tökölianorum Ductoribus Francisco Ferenczy, Ioanne Fekete, Michaele Kocsis, et Petro Pataky.

Anno 1681. Tarczalinenses vineae 21. Maii, gelu, et pruina assumptae. Decimauit vineas eorum hoc anno Wolgangus Iánoky Decimator Tökölianus, qui praeterquam quod oppidanos diuersis exactionibus diuexasset, ad conficienda quoque pro sua, qua decimatoris parte vina vuarum passarum adegit.

Anno 1682. Dum Ibrahim Budensis Bassa cum 40. suorum millibus ad oppugnandam Cassouiam proficisceretur, Tarczalienses ei medio delegatorum Ioannis Mészáros Iudicis, et Isaaci Babocsay Notarii supplices facti se dediderunt, sed in vincula coniecti per custodes Ianiceros solutis 15. thalleris penes possessionem Monok dimissi sunt, posteaquam per Tökölianos capta iam Cassouia Turcae accepto mandato Vezérii,

zérii, relicto Cassouiensi itinere Budam retro cedere, et ad oppugnandam Viennam proficisci iussi fuissent.

Anno 1683. 23. Iunii Franciscus Klobusiczky Vice-Comes cum insurgente Nobilitate castra ad Tarczal fixit, et oppidanos arma capere iussit, secumque abduxit. Liberata demum obsidione Vienna, famaque dilata: quod Ioannes Sobieszkius Poloniarum Rex per tractum tubmontanum in Poloniam reuerti velit, missi sunt delegati, qui onus hoc auertant, ex Tokay Benedictus Cseklészy, ex Tarczal Gregorius Komjáthy, ex Tállya Stephanus Cserkó, ex Bénye Petrus Hidvéghy ad Regem Poloniarum penes oppidum Szepsi castra metantem, conueneruntque cum Cancellario eiusdem in mille vasis vini Polonis administrandis, si iter versus alias Regni partes flexerint. Sed nec copiae Polonicae submontanum tractum pertransiuerunt, nec Rex Poloniae, sicut erat magnanimus, mille vasa vini ab eis vnquam exegit.

Anno 1684. Insurrectio ad liberandam e iugo Turcarum Budam Tarczalliensibus, totiusque tractus submontani Nobilibus imperata. Tökölius autem 40. vasa vini ex decima Tarczalinensi ministo Reformato Martino Rimaszombathy addixit.

Anno 1685. Germanicae copiae intra Lelesz, et Tárkány castra fixerunt, vnde obsidionem arcis Tokayensis Tökölianus arcis Praefectus Martinus Izdenczy praemetuens, Tarczalienses, quicunque armorum tractandorum capaces erant, ad defensionem arcis vi compulit.

Immane gelu absumpsit vinearum palmites, et complures homines festo Gregorii, Tybisco quoque, vt curribus transiri potuerit, repente congelante.

Insurrectio per Tökölium submontanis imperata, sed redempta 3000. flnis, et 2000. cubulis tritici.

Gene-

Generalis Schulcz Tökölianos persecutus ad oppidum Mad castra fixit, quem demulserunt Tarczalienses aliquot vasis vini vuarum passarum medio delegatorum Francisci Dévay, Isaaci Babocsay, et Thomae Tache transmissis; vnde saluam Guardiam obtinuerunt.

Demum Schulczius Tokaynum obsedit, et deditione coepit; qua occasione militia Germanica vuas iam maturas in vineis Tarczalinensibus ita depauit: vt per incolas nec coiligerentur.

Hoc anno primum stabilis contributio oppido imposita.

Anno 1686. Legio Kalliana in territorio Tarczalinensi condescendit, segetesque omnes equis suis absumpsit.

Caraffa Generalis immanibus vini, victualium, foeni, avenae exactionibus oppidanos iterum affli xit. Non secus et Magistratuales Comitatenses gratiam apud Praefectos militares aucupari volentes vina pro Generalatu Cassouiensi et Eperiessinensi ab oppidanis exegerunt.

Munkácsino excurrentes vagi haydones iterum Oppidum depraedati sunt, Ministrum loci Stephanum Gyöngyössy expilarunt. De huius vxore sic scribit Babocsaius: „ Feleségeis mindenből ki mellyeztetvén „ hajadon fövel, csak egy Tatár ingben hagyatik, „ a' közepsö lesnek kára nélkül.“

Anno 1687. Templum a Reformatis iterum ademptum.

Anno 1688. Transiens cum Tyronibus militaribus versus Transyluaniam officialis nomine ignotus Iudicem, et aliquot loci primores denudari, ligatosque tota nocte culicum morsibus exponi curauit, donec quinque aurei eidem persoluerentur, militia alioquin laute habita.

Ca-

Caraffa Generalis 50. vasa vini appromissa pretii persolutione a Tarczalinensibus medio Georgii Pauer Ciuis Eperjessiensis abuehi curauit, pretio nunquam soluto.

Anno 1689. A militia vltro, citroque commeante afflicti, et quamuis officiales militares grauissimos excessus patrassent, ad subscribenda tamen attestata: quod cuncta vi regulamenti praestita sint, minis, et verberibus adacti.

Anno 1690. Albertus Ladányi Minister Helv. Confessionis iterum paraecia eiectus.

Anno 1691. Segetes Tarczaliensium per copias Caesareas Ducibus Rabatin, et Schlik iterum equis conculcatae, ac in pabulum equorum conuersae.

Anno 1692. Kiremberg, Equitum Magister immanibus exactionibus victualium, et vini iterum eos afflixit.

Anno 1693. Segetes, et fructus vinearum Tarczalinensium locustae depauerunt.

Anno 1694. Generalis Witrian iuuenes militiae idoneos Tarczalini capi, et legioni suae adscribi curauit.

Anno 1695. Grandia passi sunt a grandine damna.

Anno 1697. Schlick Generalis nouis, et insolitis exactionibus eos diuexauit. Dein Franciscus Tokay Not. Hist. §. 688. memoratus fidelitatis iuramentum Tökölio praestandum ab eis exigit, nobilemque Stephanum Nagy, quod ei insolentiae huius malum euentum praenunciauerit, traiici curauit.

Paulus Deák Colonellus Hungaricus ex persecutione Tokayanorum redux Tarczalinenses adinstar hostis depraedatus est. Ita et Carolus Vandemont Generalis. Traiecti in hac persecutione Tarczalinensium Stephanus Kerekes, et Nobilis Georgii Törös vidua. His superueniens Solari Generalis nihilo mitior fuit.

Anno

Anno 1698. Repetierunt domicilia sua Tarczalinenses dissipati.

Anno 1699. Optata pace perfruebantur.

Anno 1700. Franciscus II. Rákóczy modum cultiuationis vinearum iis praescripsit, et per regulamentum fallaciis vinicolarum obices ponere contendit.

Hodie Oppidum tanquam ad Dynastiam Tokayensem spectans iure Camerae Regiae possidetur, illisque ipsis Priuilegiis, quibus Tokaynum gubernatur. Possident tamen in eo adhuc Curias liberas Comites Károly, Ráday, et Nobiles Patay.

Promonthoria vini feracia habet 1. classis ad meridiem, quae continuo torrentur sole; vtpote: Szaruas decantatissimum illum cliuum, Mézes-málé, Cserfás, qui pro mensa Caesaris primus haberi, commendarique solet, Felső-Thurzó, Laistrom, Szilvölgy, Deák, Királymály, Agyag, Csuka, Köbánya, Tárczi, Paxi, Bigó, Görbe, Barát, Árokháti, Forrás, Baxó, et clivus Theresiae iam aetate nostra plantatus a Diva Maria Theresia, et Matre Hungarorum nomen accepit.

2. Classis sunt, quae in occidentem inclinant, Nagy et Kis-Cseke, Perócz, Sóhajó, Nagy et Kis-mandolás, Nagy-Váti, et Fekete-hegy.

3. Classis, quae versus Septemtrionem vergunt, Nagy et Kis-Temető, Bodonyi, Zombory, Elö-hegy, Farkas, Nagy et Kis-Bajúsz, Vinnay, Püspöky, Ponczi, Nyaualya, et Kis-Váradi.

Ex his etiam omnibus cliuis nonnisi tres scaturigenes aquae prorumpunt.

Forma Sigilli Oppidani foeminam botro manus infigentem, et genium aligerum inumbrantem refert. Nundinae ad diem S. Stanislai celebrantur.

§. 179. Oppidum *Nagy-Tólcsva* in amaena valle situm, a riuulo e proximis montibus Horváthiensibus manan-

manante, et iam cum postremo Hungarorum in Pannoniam aduentu *Tólcsva* dicto, nomen accepit. 1. classis, glebam optimam 630. iugera in terris arabilibus habet. Incolae loci Hungari, Religionem Romano, et Graeco-Catholicam maiori in parte profitentur. Sunt tamen complures etiam Helv. et Augustanae Confcssioni addicti, ac Iudaei. Publicum vero exercitium cum templis nonnisi Romano, et Graeco-Catholici, ac Helv. Confessioni addicti habent.

Primus ex Hungaris locum possedit miles Retel, pater Oluptulma, cui Árpád Dux terram a Saturhalma vsque ad fluuium Tulsuoa condonauit. Not. Hist. §. 16.

Anno 1366. Possidebatur per Ladislaum Filium Ioannis de Tólcsva, cuius antenati iam anno 1254. loco dominabantur Not. Hist. §. 24. ex iisque Comes Stephanus, Filius Cadar de Tolchua, et Andronicus de eadem, qua homines Regii pro reambulatione metarum possessionis Mesces designantur, vt §. 198. videbimus.

Anno 1512. Nicolaus Tárczay totales possessiones Tólcsva, et Vámos cambiauit cum Emerico de Perén pro Castello Ujvár in Comitatu Sárós. Wagner Dipl. Sáros pag. 78.

Anno 1514. Elias Plebanus de Tólchva factor Cardinalis Strigoniensis vniuersarum Ecclesiarum plebanis significat: quod Laurentium Zyur conciuem de Cassa Constantinopolim miserit ad congregandum populum contra Turcas, mandando: vt illum, et suos sequaces sub poena excommunicationis comiter acceptent. Wageur Dipl. pag. 319.

Ab anno 1630. tanquam arcis Patak appertinentia possidebatur per Rákoczios.

Anno 1700. Oppignorauit illud Franciscus Rákóczy Stegnerianis.

Anno

Anno 1714. Templum Parochiale ab Helv. Confessioni addictis pro parte Catholicorum receptum. Qua occasione enatum Tólcsvaiensium foeminarum tumultum descripsimus Not. Hist. §. 754.

Hodie Oppidum possidetur ad maioratum familiae Nobilium Szirmay. Sunt praeterea Nobilibus Nagy, Berhelyi, Mezössy, Szemere, et Carove liberae Curiae.

Orientem versus adiacet oppido diuerticulum Kis-Tólcsva dictum, in quo diuersorium, et duae molae ad Nobiles Szirmay, spectantes visuntur.

Colles vitiferi Tólcsvenses sunt:

1. Classis Cziróka, Paczoth, Kútpataka, et Gyapáros.

2. Classis: Elöhegy, Várhegy, Nagy-Keö, et Bikóldal.

Solum vbique resolutum est, et pingue, inferne silice rubro, et iaspide permixtum §. 82. auri etiam, et argenti particulis saxa inpraegnata esse videntur, sed in tam exigua quantitate: vt operariis mercedem non rependant, vnde in prouerbium de auri, et argenti fodinis Tolcsvensibus abiuit: quod earum cultura tertiaquaeuis generatio hominum decipiatur.

In cacumine collis Várhegy sunt rudera arcis, et lacus, seu paludis, a quibus Oppido nomen relictum esse aliqui autumant, quasi *Tósvár* vocatum olim fuisset.

§. 180. *Erdö-Bénye* pagus in montibus vndique inclusa planitie, vnde et nomen a syluis mutuauit. 559. iugera terrarum arabilium continet, solum vinearum vbique lapidosum est: vt fortissimis bipallis subigi debeat, ager solo licet resoluto, tamen macro, et tritici impatiente, faeni facultas nulla, nisi per montium cacumina, quae aestate sicca extorrentur, spectatis tamen aliis beneficiis, et modo merendi incolarum locus 1. classis est. Eminet reliqua inter aedifi-

cia,

cia, templum Diuo Georgio sacrum Catholicis vsibus destinatum, sed et oratorium est Helv. Confessionis, nam vtriusque Religionis inhabitant incolae, iique Hungari.

Anno 1604. Possidebatur per Ioannem Ioó de Kasza-háza Personalis praesentiae Regiae in Iudiciis Locumtenentem, quem Isthván. Lib. 33. in bonorum amissione damnatum, et turri arcis Viennensis inclusum scribit.

Post annum 1630. Possessioni ad Castrum Patak applicatae dominabantur Rákóczii.

Anno 1700. Per Franciscum Rákóczy oppignorata est Stegnerianis. Nunc ad maioratum Familiae Nobilium Szirmay possidetur, sunt tamen Comitibus Barkóczy, et Nobilibus Iósa suae Curiae.

Colles viniferi hic sunt praecipui: Tólcsva, Verömály, Zsabás, Barnamály, Öszvér, Múlató-hegy, et Várhegy, in quo rudera praeallatae §. 179. arcis.

Ex cliuis his complures fontes manant, duo sunt magis memorabiles *Reduek* dictus, aquas stillat nitreas coloris caerulei, qui valetudinis causa adhibetur balneis. Alter aluminosus *Szemgyógyító* vocatus, ex eo: quod oculis medeatur, reliqui non tam medici, quam potui vinitorum vtiles. Adiacet pago diuerticulum Kis-Bénye, vbi olim alium pagum stetisse donatio Regia Caroli VI. pro Principe Thrauczon anno 1720. facta indigitat.

§. 181. Oppidum *Zombor* a Zumbur primo terrae huius ex Hungaris possessore dictum, 1. classis, 2621. iugera terrarum arabilium complectitur, decliuitatem terreni prata, cliuos vites occupant. Glebam nigram friabilem, omnis generis frugum sine fimatione feracem, prata vero lacunosa habet', quod etiam inter maleficia loci censetur. Incolae Hungari religionis Roma-

no-

no-Graeco-Catholicae, et Helveticae etiam Confessioni addicti, qui omnes sua templa, et oratoria habent.

Primus ex Hungaris (vt praemisimus) terrae possessor fuit Zumbur. Expost locum possedit Comes Ratholdus, cuius generatio tempore Regis Colomanni de Regno Apulorum de Caserta venit. M. Ioan. de Thwrócz cap. 17. Huius descendens Magister Kokos, Filius Magistri Stephani de genere Rathólth, Comes Tolnensis, et de Budrúgh anno 1300. pro terra Zumbur litigauit cum Comite Ioanne de Zoda §. 135.

Anno 1321. Magistri Kokos Filii in duas stirpes diuidebantur, quarum vna a diuerticulo *Fejew* in terreno Zomboriensi sito, et §. 135. memorato *Fejes* de Zombor, altera autem linea pure de Zombor vocabatur, ex hac Andreas de Zombor homo Regius metas posssesionis Arbona-Zsadány defixit vti §pho 201. videbimus.

Ab anno 1600. Locum possedit Familia Nobilium Lippay de Zombor. Ex qua Georgius Archi-Episcopus Strigoniensis, Zombor hactenus pagum, anno 1665. Diplomate Leopoldi I. Imp. in numerum Oppidorum Priuilegiatorum euehi curauit, et nundinarum publicarum celebrationem introduxit. Sed et Sigismundus Rákóczy anno 1603. portionem in Zombor regia donatione Rudolphi Imp. adeptus est.

Demum sub intestinis patriae motibus ita desolatum fuit: vt anno adhuc 1732. nihil aliud quam parietinae templi diruti, et agri, prataque lacunosa ex eo conspicerentur, quo tempore Madini constitutus peculiaris Ductor, et administri Zomboriensis promonthorii res curabant.

Nouis colonis insessum nostra iam aetate pristinae celebritatis aliquam formam recepisse videtur.

Possi-

Possidetur autem per Comites Aspremonth, Károly, Andrássy, Barones Orczy, Nobiles Péchy, Fay, Patay, Szepessy, Vay, Bernáth, Mudrány, Pramer, Zichy de Zsujta, Marzsó, Kovács, Vásáry, Bajory, Szabó, Csengery, Dombrady, Uzza, Mátyásóvszky, Szemere, Nagy, Nézay, Radvány, Kremer, et Pulszky.

Colles viniferos habet 1. classis: Csojka, Hangács, Virginás, Lajos, Zombori-Király, Disznókeö.

2. Classis Meszszelátó, Galambos, Kereknémahegy, Csákány, Nagy-Köves, Felbér, Bokond, Borkút.

3tiae classis: Hegymegy, Harcsa, Köporos, Kis-Hangács, et Makkos.

Ex his collibus prorumpit fons lampidissimus Harcsakút, influitque in fluuium Takta.

§. 182. Oppidum *Mád* in amaena valle a meridie aperta, de reliquo collibus viniferis circumsepta, per medium vallis demanat riuus a Septemtrione, influitque in lacunam Bécs-ere. Est locus 1mae classis 838. iugera terrarum arabilium glebam in plano pinguem, tritici cumprimis feracem, in collibus terram ex albido flauam saxo rubello friabili mixtam habet. Incolae loci Hungari, Romano, et Graeco-Catholici, et Conf. Helveticae addicti, quarum etiam trium religionum templa visuntur.

Anno 1591. Possidebatur oppidum ad castrum Tállya per Franciscum Allaghy.

Anno 1596. Sigismundus Rákóczy per connubium cum Iuditha Allaghy, et ex donatione Rudolphi Imp. oppidi herus factus, possidebatur per eius filios.

Anno 1620. Venit in possessorium Comitis Melchioris Allaghy, quo in sexu virili exstincto.

Anno

Anno 1633. Praetenso iure sanguinis oppidum rursus occupauit Familia Rákóczii Not. Hist. §. 437. et possedit.

Anno 1670. Georgius Széchény Archi-Episcopus Colocensis Ministrum Reformatorum assistentia Cataphractorum Germanorum hinc eiici curauit. Lampe. Hist. Eccl. pag. 748.

Anno 1715. Francisco II. Rákóczy perduellionis conuicto in Fiscum Regium deuolutum. Demum quartalitatem oppidi titulo pignoris possedit Familia Comitum Klobusiczky.

Hodie possidetur medietas oppidi per Comites Aspermonth iure successorio auiae suae Iulianae Rákóczy, vna quartalitas per Comites Szirmay, altera quartalitas per Barones Orczy. Sunt tamen et septem liberae Curiae. Makovicza dicta Principis olim Poloni a Zangusko, nunc per Cameram Regiam possessa. 2. Hegyiana. 3. Nobilium Nagy-Tolcsvensium. 4. Comitum Szentiványi. 5. Miskólcziorum Korponensium, 6. Spléniana, 7. Parochi Catholici. Inhabitant praeterea oppidum Nobiles Gönczy, Tolnay, et Pramer.

Assurgunt colles viniferaces 1 classis Perczehegy, Nyúlászó, Makovicza, Szent Tamás, Kövágó, Királyhegy, Becsek.

2dae classis Birsalmás, Hóldvölgy, Hintós, Iuharós, Úszhegy, Kis-Vilmány.

3tiae classis Veres, et Sarkad.

Ex collibus his prorumpunt quinque fontes Diós-kút, Adókút, Királykút, Kiskút, et quintus infra collem Kövágó sulphureus, qui salubria balnea praebet. — Sigillum oppidi B. Ioannem Baptistam refert.

§. 183. Oppidum *Tállya* occupat locum erectum, et sensim accliuem, solo optimo gaudet, pingui, et resoluto, frugum omnis generis, et generosi vini ferace, et ideo 1mae classis est, iugera terrarum arabilium

lium 977. numerat, sed nec faenisecia, nec syluas habet, quod etiam inter maleficia loci censetur. Incolae sunt Hungari Romano-Catholicae religioni, et Helveticae partim, Augustanae partim Confessionibus addicti, templaque sua, et oratoria omnes hi tres caetus distincta hic habent. Graeci, et Iudaei mercaturae causa hic paucis tabernis cohibiti, illi Tokayensem sacerdotem ritus sui exercendi causa adeunt, hi priuata in domo preces suas demurmurant.

Nomen accepit a castro *Tallia*, quod in summo vertice montis Várhegy triplici vallo, atque aggere hucdum notatur. Antiquissimum illud fuisse, et opulentum ruinae eiusdem luculenter satis ostendunt. Nam et domorum splendidarum olim, elatarumque frequentes sunt parietinae, et moeniorum murus sat solidus.

Anno 1241. Pugna hic cum Tartaris conserta. Not. Hist. §. 21.

Anno 1411. Possidebatur per Stephanum de Debrö, et expugnatum per Sigismundum Imperatorem Not. Hist. §. 54.

Anno 1469. Castellanus arcis fuit Thomas de Roskovány.

Anno 1500. Possidebatur per Ioannem Zápolya. Not. Hist. §. 140.

Anno 1528. Occupatum per Caesareos.

Anno 1536. Captum per Zápolianos Not. Hist. §. 182.

Anno 1550. Restitutum Caesari Ferdinando per Isabellam Reginam, et collatum Caspari, et Georgio Serédy.

Anno 1557. Ferdinandus Rex Ioanni Allaghy Praefecto Arcis Regécz commisit: vt duas vineas Tállyae existentes, et ad hospitale Cassouiense spectantes eidem hospitali restituat.

Anno

Anno 1560. Collatum regia donatione Ioanni, Georgio, et Melchiori Allaghy. Not. Hist. §. 231. vbi iam demolita arx Tallya dicitur.

Anno 1584. Possidebatur per Casparum, Andream, et Franciscum Magóchy Comitem Bereghiensem, et Tornensem.

Anno 1590. „Rudolphus Imperator, et Rex binas „ literas fassionales Capituli Ecclesiae Agriensis, al- „ teram, mediante qua Franciscus Allaghy assumptis „ in se oneribus Stephani, et Michaelis, filiorum alte- „ rius Stephani Allaghy fratris sui carnalis, ex du- „ bio litis euentu, in causa, ratione, et praetextu to- „ talium, et integrorum castrorum Regécz, et diruti „ Tállya vocatorum, item oppidorum, possessionum, „ et portionum possessionariarum, ac praedialium ad „ praescripta castra, de iure, ab antiquo spectantium „ contra Iudith Allághy, prius Andreae Magócsy, „ nunc autem Sigismundi Rákóczy Supremi arcis A- „ griensis Capitanei consortem, sororem videlicet suam „ condiuisionalem promota, quam vna cum Clara Su- „ ránvi relicta suprafati Stephani senioris Allaghy tu- „ trice naturali praelibatorum Stephani, et Melchioris „ filiorum suorum suscitasset, causam defluam depo- „ nunt, oppidumque Mád in Comitatu Zempléniensi „ existens ad praefatum dirutum castrum Tállya de „ iure pertinens, reciproca inita transactione inter se „ mediante eidem Sigismundo Rákóczy, consortique „ suae Iudithae Allaghy, sexusque vtriusque eorum „ condescendentibus anno 1590. fatentur; alteram ve- „ ro, qua mediante dicta Iuditha Allaghy praedictum „ oppidum Mád Sigismundo Rákóczy marito suo „ fatetur de anno 1591. regio consensu firmat at- „ tentis, et consideratis fidelitate, et fidelium seruitio- „ rum cumulatis meritis, fidelis Sigismundi Rákóczy,

„ quae ipse Sacrae primum Regni Coronae, et deinde „ Maiestati regiae ab initio statim felicis regiminis in „ diuersis officiis, et militaribus functionibus, praeser- „ tim vero in Capitaneatu Agriensi, quo cum laude, „ et militari gloria est perfunctus, contra atrocissimos „ christiani nominis hostes Turcas, in diuersis tam ge- „ neralibus, quam particularibus expeditionibus, et „ excursionibus, infracto pectore, et intrepide, sum- „ maque fidelitatis constantia militariter, ac vtiliter, et „ cum satisfactione exhibuit, et impendit, praebet, ex- „ hibet. Pragae 1591. " His tamen tractatibus non obstantibus oppidum Tállya vsque annum 1631. possi- debatur per Comitem Melchiorem Allaghy Not. Hist. §. 421.

Anno 1633. Occupatum est per Nicolaum Eszter- házy Regni Palatinum, titulo dotis vxoris suae Ursulae Dersffy. Not. Hist. §. 437.

Anno 1647. „Ferdinandus Imperator totalem, et „ integram Arcem, seu Dominium Regécz vocatum in „ Comitatu Abaujváriensi existens, et habitam, simul „ cum diruto castro Tállya, cunctisque totalibus, et „ integris oppidis, ac possessionibus nempe Szántó, „ Tállya, Rátka, Fony, Vilmány, Horváthy, Bacskó, „ Regéczke, Sándorka, alias Mogyoróska, Szent-Anna- „ falua, Alsó-Vadász, Szikszó-Ujfalú, Alsó-Névaj, et „ Marczinfalva, item portione possessonaria in posses- „ sione Legyes-Bénye habitis Principi Transyluaniae „ Georgio Rákóczy, consortique eius Susannae Lóránt- „ fy, sexusque masculini descendentibus penes quem- „ dam tractatum depositis praeuie Nicolai Comitis „ Eszterházy Palatini haeredibus 160. mille Hung. flor. „ iure perennali, sexui vero foemineo in, et pro 160. „ mille Hung. flor. redemptibiliter contulit. 1647. " Viennae Austriae die 7. Maii.

Anno

Anno 1663. Dissidia Tállyensium cum statiuante militia descripta sunt. Not. Hist. §. 540.

Anno 1670. Minister Reformatorum assistentia Cataphractorum Germanorum hinc eiectus. Lampe Hist. Eccl. pag. 748.

Anno 1683. Conuenticulum hic celebrarunt Tökö-liani.

Anno 1684. Occuparunt templum Catholicorum rursus Helv. Confessioni addicti.

Anno 1708. Conuenticulum hic celebrauit Franciscus Rákóczy.

Anno 1714. Templum Parochiale pro parte Catholicorum a Reformatis receptum.

Anno 1715. Francisco II. Rákóczy perduellionis conuicto, possidebatur per Cameram Regiam.

Anno 1720. Ioanni Leopoldo Donato Principi a Thraúczhon regia donatione Caroli VI. Imperatoris collatum.

Anno 1749. Nundinae hebdomadales huc inductae.

Anno 1780. Stirpe Principum Thraúczhon in sexu virili exstincta, nunc iure Camerae Regiae administratur. Sed et sunt praeterea Comitibus Kegleuich, Ráday, Szirmay, Barkóczy, Andrássy, Sennyey, et Nobilibus Bégányi, Lányi, Plathy, Róth, Szemere, Spillemberg, Ciuibusque Cassouiensibus, Eperiessiensibus, Bartphensibus, et Leutshouiensibus suae Curiae.

Anno 1786. Nouis colonis Sueuicis oppidum auxit Iosephus II. Imp. iisque terras allodiales Dominii tradidit.

Nundinae publicae hic celebrantur diebus SS. Vincentii, Ambrosii, Ladislai, et Colomanni. Ex priuilegiis oppidi non aliud restat, quam popinae libertas a festo S. Michaelis usque Calendas Ianuarias.

In Sigillo publico botrum pro insignibus ostentant. Cliuos nobilissimi vini feraces sinu suo complectitur oppidum sequentes: Patocs, Heteny, Medgyes, Kövágó, Dongó, Hegyes, Bányász, Hasznos, Görbe, Bahomallya, Tökösmál, Remetehegy, Sashegy, Nyergeshegy, Palota, Cserepes, Tállyiköhegy, Halastó, Csikhegy, et Várhegy, ex quibus plurimi fontes scaturiunt.

§. 184. *Rátka* pagus 1mae classis, 662. iugera terrarum arabilium, glebam fertilem, laeta foenisecia, colles generosi vini feraces habet. Incolae origine Sueui, sed iam Hungaricam callentes, Religionis Romano-Catholicae sunt, et ad Parochiam Tállyensem affiliantur.

Heros, et fata eadem experta est possessio quae castrum Tállya, velut eiusdem appertinentia, nisi quod dilapsis, et excisis iniuria bellorum veteribus colonis, fuerit desolata solitudo, donec deductis ex circulo Sueuico per Principem Thrauczon nouis colonis anno 1754. populosa redderetur.

Possidetur ex defectu sexus masculini Principum a Thraúczhon per Cameram Regiam, sed etiam est hic Nobilibus Melczer praecipua Curia.

Colles omnes vitiferi, Rátkensis promonthorii nomine veniunt, nisi quod collis ad Melczerianam familiam spectans Istenhegy vocetur.

§. 185. *Ond* pagus in amaena planitie, penes riuulum Ondi Patak 1mae classis 515. iugera terrarum arabilium, glebam fertilem, colles vitiferos habet, parca tamen hic prata, et lignandi potestas nulla. Incolae Hungari Helv. Confessioni in maxima parte addicti, Paraeciae Szerencsiensi affiliati. Post desolationem iniuria bellorum perpessam, insessa est possessio nouis Hungarorum coloniis anno 1695. Possidebaturque ex

dona-

donatione Rudolphi Imp. anno 1603. pro Sigismundo Rákóczy elargita, per haeredes eius vsque annum 1711. Expost per Cameram Regiam, nunc autem per Comites ab Aspremonth et Szirmay, ac Barones Orczy possidetur.

§. 186. Oppidum *Szerencs*, olim Zerenche, Zerempck, a felici Pannoniae per Hungaros occupatione nomen accepit. Not. Hist. §. 7. Locus 1mae classis glebam fertilem, 1725. iugera terrarum arabilium, copiam pratorum, promonthoria 2dae classis habet, syluis caret, sed arundine pro foco vtitur. Incolae loci Hungari, Romano-Graeco-Catholici, et Helv. Confessioni addicti, sua distincta templa, et parochias habent.

Arx olim adiacebat oppido in loco decliui ex Abbatia Benedictorum anno 1556. efformata, paludibus vndique cincta, nunc munimentis nudata partem solum aliquam interioris castelli ostentat. Haud procul a castello vltra vallum ad occidentem scatet fons vber aquae nitreae, sulphuratae, et medicatae, quae tanta copia vnde ex saxo ibidem exilit, vt primum arcem circumfundat, dein vliginosam paludem formet. Piscinae hic olim Patrum Benedictorum erant vastae, et piscium foecundae, nunc cannetis obsoletae.

Cum postremo aduentu Hungarorum in Pannoniam, Hungari in monte castra metati locum istum amabilem, et felicem in lingua sua *Zerenche* vocauerunt, factisque tuguriis requiei locum sibi delegerunt, exindeque excurrentes omnia vicina loca vsque ad fluuium *Sonion* (Sajó) subiugauerunt. Not. Hist. §. 7.

Primi loci possessores videntur fuisse milites Hungari Edumek, et Edumerek Anonym. Cap. 16. 17. 22. 31.

Iam

Iam anno 1321. fuit hic Parochia Catholicorum praecipua, vti metales possessionis Arbona-Zsadány §. 201. loquuntur: „ Misimus hominem nostrum virum „ idoneum, videlicet Nicolaum Sacerdotem de Zerench „ Vice Archi-Diaconum.

Anno 1356. Totus Districtus Zerempck ab hoc loco compellabatur. Not, Hist. §. 50.

Demum possidebatur per Familiam Monaky, quae cum congenerationalibus de Rakoncz, Morva-Isép, Keörtvélens, et Czékey fundauit hic anno 1393. Abbatiam Benedictinorum honoribus Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum dicatam, eique Szerencs, et Uj-Eör possessiones pro refrigerio animae legauit, et vti literae Detrici Bubek Palatini anno 1400. super possessione Zerench, iureque Patronatus Monasterii ibidem exstructi adiudicatoriae perhibent. §. 122.

Anno 1490. Albertus Poloniae Princeps pro sui in Regem electione Comitia Szerencsinum indixit. Not. Hist. §. 137.

Anno 1502. Abbas Monasterii fuit Michael de Abram, Szerencs autem iam oppidum, quod patet ex inscriptione possessionis Ujk-eör Michaeli de Buttka facta in Ellench. Buttkay Fasc. 1. Nro 8.

Anno 1549. Ferdinandus Imp. Abbatiam in Szerencs contulit Fratri Ioanni, cui Regiae collationi Franciscus de Monok coram Agriensi Capitulo intercessit. §. 122.

Anno 1552. Ferdinandus Rex Abbatiam Szerencsiensem iterum contulit Georgio Bebek Franciscano, magno Catholicae Religionis defensori, vt ex disputationibus eiusdem cum Matthia Dévay habitis patet, apud Weszprémy in Biogr. Med. Tom. IV. pag. 316.

Anno 1556. Franciscus Némethy expulso Abbate, Abbatiam cum claustro pro Isabella Regina occupauit,

uit, et vt Tokayno vice propugnaculi esset, egregie communiuit, ac in formam arcis redegit. Isthvánffy Lib. 20.

Anno 1559. Ab expugnatione arcis auocatus fuit, excursione Turcarum Telekessius Not. Hist. §. 233.

Eodem anno irrito conatu eam oppugnauit Ioannes Pethö Dux Ferdinandi Imp. Not. Hist. §. 235.

Anno 1565, Melchiori Balassa Duci Caesareo dedita. Not. Hist. §. 247.

Anno 1583. Rudolphus Imp. oppidum Szerencs Sigismundo Rákóczy Agriensi Capitaneo primum inscripsit, dein anno 1585. 1593. nouis summis per Sigismundum superadditis. Anno 1603. totam Dynastiam Szerencsiensem, cum arce eidem regia donatione contulit.

Anno 1605. Comitia huc indicta, Stephanusque Bocskay in Principem Ungariae electus. Not. Hist. §. 343. usque 348.

Anno 1606. Szerencs hactenus oppidum in perpetuam rei memoriam libera, regiaque ciuitas renunciata. Not. Hist. §. 350.

Anno 1608. Sigismundus Rákóczy Princeps Transyluaniae in templo, quod pro Helv. Confessioni addictis erexerat, hic sepultus cum sequenti inscriptione lapidi sepulchrali apposita: *In parte ad Orientem.*

„ Cuius virtus summa cum gratulatione saepius
„ difficillimis temporibus apud Hungaros claruit. Die
„ 8. Decembris anno 1608. in Felsö-Vadász loco nati-
„ uitatis suae defuncto cum vixisset annos circiter
„ 64. tres Filii Georgius, Sigismundus, et Paulus Rá-
„ kóczy Genitori eorum Charis: de ipsis, et Patria be-
„ ne merito moesti posuerunt. Anno Domini 1608.

In

In latere ad Occidentem.

Insignia.

„ Illustri, Spectabili, ac Magnifico Domino Sigis-
„ mundo Rákóczy de Felsö-Vadász, Comiti Comitatus
„ Borsodiensis, Rudolphi II. Romanorum Imperatoris,
„ ac Hungariae et Regis Consiliario, olim Supremo,
„ primum Zendrö, expost vero Agriensi Capitaneo, ac
„ Principi Transyluaniae, partium Regni Hungariae
„ Domino, et Siculorum Comiti. etc.

In latere ad Septemtrionem.

Hic Sigismundus ouans post vltima fata Rákóczy
Pannoniae columen pace, sagoque cubat.
Agria fortunam est cuius mirata secundam,
Hectoris amoenum, Caesar et ingenium.
Dacia protectorem, atrox sed Turca flagellum,
Nos Patriae Ciues mite Patrocinium
Quare Pannonia, Agria, Caesar, Dacia, Ciues
Iusta Patri Patriae soluite cum lacrymis.

In latere ad Meridiem.

Itt fekszik Rákóczy 'Sigmond, az jámbor felöle jót mond,
Magyar Országnak támasza, vala Császárnak tanácsa,
Szendrö csudálta erejét, Eger karját, nagy elméjét.
Erdély szerette óltalmát, a' Török félte hatalmát.
Mi hónnyúnkba lakó népek, óhajtjuk mint igaz hívek.
Azért Szendrö, Magyar, Eger, Császár, Erdély, 's
minden ember
Sirassad édes Atyádat, meghólt Rákóczy 'Sigmondat.

Anno 1644. Arx Caesari per Prouisorem Rákóczianum tradita Not. Hist. §. 464. Sepulchrum Sigismundi Rákó-

Rákóczy per Caesareanos violatum, et expilatum sub Praefecto Arcis Stephano Radvány. Ioannes Kemény in Mss. vitae suae descriptione pag 280.

Eodem anno Georgius Rákóczy arce assultu capta, Prouisorem e porta arcis suspendi curauit. Ioan. Kemény loco citato, et Not. Hist. §. 467.

Anno 1649. Incolae Agriam pro falcatura foeni per Turcas compulsi. Not. Hist. §. 493.

Anno 1670. Franciscus I. Rákóczy reuolutioni Vesselinianae implicitus, sed in gratiam per Leopoldum Imperatorem receptus, ne quis fraudi, aut suspicioni locus supersit, arcem Szerencs Praesidio Germanico tradidit.

Anno eodem Ministrum Helv. Conf. ex Szerencs eiici curauit. Lampe Hist. Eccl.

Anno 1680. Cum praesidiarii Caesarei ad paucos redacti, erumpente reuolutione Tököliana arcem se tueri non posse cernerent, munimentis prius nudatam reliquere.

Anno 1683. Receperunt templum a Catholicis Reformati, Tökölio ibidem castra figente, et honorifice excepto. Not. Hist. §. 648.

Anno 1711. Francisco II. Rákóczy ex Hungaria profugo, possidebatur per Cameram Regiam.

Anno 1715. Quarta pars Dominii Szerencs sorori Francisci Iulianae Rákóczy, nuptae Comiti ab Aspremonth in ratam successionalem attributa est. Tres quartalitates Comiti Nicolao Illésházy Cancellario regio donatione regia collatae, in Comitem Antonium Grassalkovics, et per hunc in Thomam Szirmay colonellum, ac rursus per hunc in familiam Almássy translatae. Not. Hist. §. 470. Vnde et hodie oppidum per Comitem Aspremonth, et Familiam Almássy possidetur.

Anno

Anno 1757. Publicae nundinae Diplomate Reginae Mariae Theresiae iure postliminii huc reinductae.

Anno 1760. Nobilis Michael Almássy nouum templum pro Catholicis hic erexit, parochiam, et hospitale pro pauperibus fundauit.

Incorporatum est terreno Szerencsiensi praedium Uj-Eör, olim possessio Benedictinorum, nunc ad Comites Andrássy, Monokiorum per Annam Monoky descendentes spectans.

Ad aggeres, et pontes per paludes subarcenses stratos telonium per Dominium terrestrale ab itinerantibus exigitur, in medio oppidi est fons aquae salubris, et vberis. In oratorio Helv. Confessionis est fragmentum alterius etiam monumenti, in quo haec nonnisi legi poterant: Gerendi Consorti olim Ill. Spec. — — in aeternum in te Domine speraui.

Colles vitiferos duos praecipuos habet Elö-hegy, et Fekete-hegy.

§. 187. *Bekecs* pagus, 1mae classis 1788. iugera terrarum arabilium, glebam fertilem, colles vini 2dae classis feraces habet, a conditore *Beke* de genere Bagath Radván condescendente nomen accepit, possidebaturque per Bekecsianos. §. 120.

Anno 1366. Ludouicus I. Rex donauit hanc possessionem Familiae Monaky §. 122. Bekecsiorum congenerationali. Anno 1643. Familia Monakiorum in sexu virili exstincta, Anna Monaky Baronis Matthiae Andrássy consors in sexum masculinum regio consensu praefecta, per eam possessorium adiuit Familia Baronum Andrássy.

Anno 1732. Possidebatur in pignore per Familiam Nobilium Szent-Miklóssy. Hodie per Comites Stephanum, et Carolum Andrássy possidetur.

Anno

Anno 1713. Collibus oppidi Megyaszó terrae motu subsidentibus, sulphurei fontes magna abundantia hic eruperunt, qui nunc toti viciniae salubria balnea praebent, caldeariis debitis instructi, et ambulacris eleganti arborum fructiferarum ordine digestis ornati.

Caeterum possessio anno 1732. adhuc ita fuit deserta: vt nonnisi diuersoria duo ibidem viserentur, nostro iam aeuo colonis Hungaris Romano-Catholicis, et Helv. Confessioni addictis, ac Paraeciae Szerencsiensi affiliatis insessa.

§. 188. *Szada*, olim Zoda a Familia cognomine dictus pagus, penes riuum Takta 1mae classis. 1594. iugera terrarum arabilium, glebam fertilem habet. Incolae Hungari Helv. Confessioni addicti parochiae Szerencsiensi affiliati.

Anno 1270. Possessor loci fuit Simon Magnus, Filius Iacobi, Filii Bick de genere *Zud*, vti patet ex donatione confirmatoria Stephani Iunioris Regis, vt adeo et possessio, et stirps suum nomen a genere hoc traxerit: Nam

Anno 1300. Possessioni dominabatur Comes Ioannes Zoda §. 135.

Anno 1374. Per notam infidelitatis Nicolai Zoday donatione regia attributa est Familiae de Monak, quae

Anno 1392. eam diuisit cum congenerationalibus §. 123. Vnde hodiedum etiam per descendentes Monakianos Comites Andrássy in duabus tertialitatibus, in vna tertia autem parte per Cameram Regiam ad Dominium Tokay possidetur.

Resoluta fuit sub finem saeculi prioris, anno solum 1730. nouis coloniis insessa, syluis caret, sed arundine pro foco vtitur, incolae agricultura, operisque manuariis, quas in vineis Tokayensibus praestant

vitae

vitae rationes sustentant. Arcem olim habebat terreis munitionibus firmam, Földvár dictam, nunc praedium Comitum Andrássy.

§. 189. Conterminum quoque est possessioni Szada aliud praedium *Bass*, siue Bazsy, olim pagus, Bask familiae agnominis, demum Monokiorum anno 1592. §. 123. per eos ad fundationem conuentus Ládensis Patrum Paulinorum translatus, sed conuentu hoc post cladem anno 1596. a Turcis in campis oppidi Keresztes acceptam desolato.

Anno 1603. Sigismundo Rákóczy donatione Rudolphi Imp. attributus, demum iure postliminii Patribus Paulinis anno 1690. iterum restitutus, hodie desolata solitudo.

Anno 1786. sublato per Iosephum II. Imperatorem Paulinorum ordine, ad fundum religionis publicum possidetur.

§. 190. *Harkály*, aliquibus Harkány pagus in eadem Taktae ripa, vnde et Takta-Harkány nominatur, 1mae classis, 2688. iugera terrarum arabilium, glebam fertilem, sed vna illud maleficii habet, quod aestate sicca prata loci circa fluuium Takta exarescant, aestate pluuia segetes exundatione Taktae pereant, vnde nunquam vna aestate duo haec beneficia conueniant. Incolae et hic Hungari, Helv. Confessoni addicti, parochiae Szerencsiensi affiliati. Heros agnoscunt in media pagi parte Familiam Almássy, in vna quartalitate Comitem ab Aspremonth, in altera quartalitate Cameram Regiam.

§. 191. *Lúcz* possessio, iam cum aduentu Hungarorum in Pannoniam Lúch vocata, in ripa Tybisci, olim duos contiguos pagos Felsö et Alsó-Lúcz constituebat, nunc Felsö-Lúcz est desertus locus, et diuersorio solum Comitum Andrássy conspicuus. Terrenum vtriusque

2978. iugera terrarum arabilium complectitur. Locus 1mae classis, glebam fertilem habet, insessus antiquissima colonia Hungarorum Helueticae Confessioni nunc addictorum, qui sub omnibus bellorum incursionibus hic perseuerarunt, et oratorium suae Confessionis habent, ac priscos, et seueros Hungarae gentis mores hucdum praeseferunt.

Iam cum aduentu Hungarorum fuit ibi celebris portus, et transitus per Tybiscum, cuius Anonym. Belae Regis Notarius cap. 20. meminit, qui hodiedum magno itinerantium versus Comitatum Zobólch commodo perdurat.

Ante annum 1290. dum Stephanus Iunior Rex Patakinum inhabitaret, Luch fuit terra Caniferorum Regiorum Comiti Thomae, Filio Simonis collata §. 177.

Anno 1392. Possidebatur per Lucasium, Filium Simonis de Luch, de genere Bagad-Radván descendentem §. 123.

Anno 1492. Regina Beatrix Michaeli de Monak familiae de Lúcz congenerationali §. 123. remisit possessionem Felsö-Lúcz, quae ad castrum Diós-Györ iniuste possidebatur. §. 122.

Anno 1603. Possessio Alsó-Lúez Sigismundo Rákóczy donatione Rudolphi Imp. cum castro Onad collata est.

Anno 1644. Acri praelio inter Michaelem Ibrány Rákóczianum, et Ladislaum Barkóczy Caesareanarum partium Duces hic decertatum est. Not. Hist. §. 468.

Anno 1711. Possidebatur Alsó-Lúcz per Cameram Regiam.

Anno 1732. Per Thomam Szirmay, et Gabrielem Fáy.

Hodie

Hodie possessio Alsó-Lúcz per Comitem ab Aspremont iure Rákócziano, praedium autem Felsö-Lúcz per Comites Andrássy iure Monakiano possidentur.

E regione harum possessionum trans Tybiscum est possessio Dob in Comitatu Zabolchensi olim Familiae Doby §. 121. memoratae.

In praeterfluente ad Lúcz Tybisco antacei in copia, et nonnunquam etiam husones capiuntur, sturionum praeterea, luciorum, carpionum, barbonum ingens hic numerus.

§. 192. *Kesznyéten* pagus finitimus ad Sajonem fluuium, qui ibi Tybisco infunditur, vnde et Sajó-Kesznyéten vocatur, 1mae classis solo pullo, resoluto, ferace, 651. iugera terrarum arabilium habet, possidebatur ante annum 1566. ad castrum Ónod per Báthorios. Anno 1580. per Franciscum Dobó, ab anno 1603. per Rákóczios. Anno 1711. per Cameram Regiam. Anno 1730. per Thomam Szirmay, et Gabrielem Fay. Anno 1760. per Comitem Török, hodie per Comitem Aspremonth, in maxima parte, in aliqua autem parte per Familiam Almássy possidetur.

Est locus piscatura antaceorum, sturionum, carpionum, luciorum, et id genus aliorum piscium nobilis. Incolae sunt Hungari, Romano-Catholici, Parochiae Girincsiensi affiliati.

§. 193. Pago Kesznyéten adiacet in ripa Tybisci praedium *Abony* olim possessio familiae agnominis, nunc locus incolis priuatus.

Anno 1730. Possidebatur per Generales Csikingni, et Thomam Szirmay, Baronemque Andream Döry, nunc per Comites ab Aspremonth, Döry, Nobiles Almássy, et Vahll possidetur.

§. 194. Conterminum quoque est terrenis possessionum Lúcz, et Kesznyéten praedium *Harangod*, ex ter-

terrenis circumiacentium possessionum anno 1633. auulsum, dum possessiones Hernád-Némethi, Hidvég, et Gesztely oppidorum haydonicalium priuilegia vsurpare coepissent, a pulsu campanarum vocatum, vti in Not. Hist. §. 445. 446. 447. descripsimus. Possidetur nunc per Comites Aspremonth, et Andrássy.

§. 195. Sequitur in Processu Tokayensi alter Districtus Patakinensis, in eoque ab oriente inchoando, oppidum *Bodrogh Keresztúr* ad distinctionem plurium in Regno Keresztúr ab amne Bodrogo, cui assidet, dictum, imae classis 727. iugera terrarum arabilium complectitur, reliquum in collibus vites, Bodroganam ripam prata occupant, glebam fertilem, colonos Hungaros, Romano et Graeco-Catholicos, et Helv. Confessioni addictos, singulique isti tres ritus distincta templa, et oratoria, ac Romano-Catholici quidem inventae S. Cruci consecratum habent.

Pertinebat anno 1408. ad familiam Keresztúry cum Stirpe de Gara identicam §. 118. ex qua adhuc anno 1637. in linea Nobilium Franciscus Garay Iudex Nobilium Comitatus supererat, et Curiam Nobilitarem in oppido Bodrog-Kereszthúr possidebat, quae hodiedum nomine Curiae Garaianae compellatur.

Anno 1603. Oppignoratum est oppidum per Rudolphum Imp. Sigismundo Rákóczy.

Anno 1606. Per Stephanum Bocskay ex concessione Tractatus Viennensis redemptum, et ad castrum Tokay applicatum.

Anno 1598. et 1617. Fuit hic loci Typographia, vti apparet ex opusculis ibidem procusis, qualia sunt: Maiestatis Hungaricae aquila a Christophoro Lakner edita, typis excusa B. Keresztúrini apud Emericum Farkas. Anno 1617. Item: Summája azoknak az Articulusoknak etc. B. Keresztúrini typis Ioannis Manlii

anno

anno 1598. meminit huius libri Card. Petrus Pázmány Hodeg. Lib. 3. p. 9.

Anno 1647. Per Ferdinandum III. Imp. Georgio Rákoczy attributum est.

Anno 1711. Possidebatur per Cameram Regiam.

Anno 1714. Templum Parochiale pro vsibus Catholicorum a Reformatis receptum.

Nunc oppidi dominus est Comes ad Aspremonth ex successione aviae Iulianae Rákóczy. Sunt tamen et liberae Curiae Comitibus Teleky, 'Sennyey, Döry, et Nobilibus Patay, Ió'sa, Keczer, Bagossy, Besenyey, Kádas, Fáy, Schneider, Glaczinger, et Curia Garaiana dicta.

Priuilegiis paribus cum Tokayano oppidum isthoc gaudet, a Rudolpho II. Imperatore concessis, et per Matthiam II. Imp. confirmatis anno 1610. Iure etiam gladii pollebat, sed iam eo non vtitur. Sigillum refert agnum. Nundinae autem celebres instituuntur ad dies SS. Trinitatis, Matthiae, Bartholomaei, et Catharinae.

Colles vitiferos habet 1mae classis, Csóka-mál, Sajgó, Kakas, Kövágó, Meszszelátó, Ujhegy, et Henye.

§. 196. *Kis-Falud*, siue paruus pagus, in ripa Bodrogi ab exilitate sua olim dictus, 336. iugera terrarum arabilium complectitur, prata vltra Bodrogum protenduntur, locus 1mae classis est, Incolae Hungari, Romano-Catholici, et Helv. Confessioni addicti, Parochiae Keresztúriensi affiliati, viuunt ex agri, et vini cultione.

Anno 1341. Possederunt locum Magistri Stephanus, Akus, Lorandus, et Ladislaus, Mychk-Bani Sclauoniae Filii, vineasque in monte Kis-Falud inter se diuiserunt Not. Hist. §. 44. Ex his demum vna Stirps villae dominata Zeghy vocabatur.

Anno

Anno 1469. Ad castrum Tokay applicata possessio donatione Matthiae Coruini collata est Emerico de Zapolya.

Anno 1515. Ioannes de Zápolya prodigio, quod Insvánf. L. 6. refert excitus, capellam Corporis Christi in Scepusio fundauit, ad eiusque Rectoratum possessionem Kis-Falud applicuit, vti docetur sequenti inuestitura: „ Nos Ioannes Dei gratia Rex Hungariae „ etc. Quod nos inducti meritis, et virtutibus, ac li- „ teralis scientiae sufficienti peritia, caeterisque animi „ dotibus fidelis nostri Venerabilis Francisci de Nagy- „ Körös, quibus ipse apud Maiestatem nostram fidedi- „ gno testimonio meruit commendari. Eundem igitur „ tanquam personam idoneam, et bene meritam ad Le- „ ctoratum, Canonicatum Ecclesiae Scepusiensis, nec „ non Rectoratum capellae nostrae ad latus eiusdem „ Ecclesiae Scepusiensis constructae, simul cum pos- „ sessionibus Kolbach in Scepusiensi, Somogy Abauj- „ váriensi, Kis-Falud, et Zegi in Zempléniensi Comi- „ tatibus existentibus, et habitis, ad eosdem Lectora- „ tum, Canonicatum, et capellam pertinentibus, au- „ ctoritate iuris Patronatus nostri regalis etc. duxi- „ mus eligendum, nominandum etc. Datum Varadini „ in vigilia Festi Beati Laurentii Martyris Anno Do- „ mini 1537.“

Anno 1626. Kis Falud, et Zeghyi, quamuis ex pacificatione exmissa Gabriel Bethlen suae Maiestati Sacratissimae restituit. Dat. Leutschouiae 28. Decembris.

Anno 1647. Patribus Societatis Iesu fine erudiendae iuuentutis, Not. Hist. §. 485. ad arcem Szathmar introductis pro meliori subsistentia ad residentiam memoratorum Patrum per Ferdinandum III. Imp. applicata est.

Anno 1720. Nouis colonis insessa est, cum diu antea desolata stetisset.

Anno 1773. Societate per Bullam Pontificiam exstincta, nunc ad fundum studiorum publicum pertinet.

Montem vini feracem habet Várhegy rotundum, instar metae separatum a reliquis, in summo cacumine ostendit ruinas ex arce olim Zeghiorum ibi supereminente residuas.

§. 197. *Szeghi* praedium, olim pagus familiae agnominis, in ripa Bodrogi, glebam feracem, sed multis adhuc dumetis obsitam habet.

Possidebatur olim per familiam Szeghy, eaque in sexu virili exstincta, per Ioannem Zápolya ad capellam S. S. Corporis Christi applicatus, per Gabrielem Bethlen occupatus, anno 1626. Ferdinando II. Imp. restitutus, per hunc familiae Rakaczay in parte collatus §. 196.

Nunc plurimos agnoscit heros, utpote fundum studiorum publicum, Comites Aspremont, Barones Berzeviczy, Nobiles Patay, Péchy, Keczer, Kazinczy, Desseüffy, Múdrány, Olcsváry, Okolicsány, qui omnes ibi mansiones suas vinicolandi studio, et diuersoria habent.

Colles vitiferi praestantissimo fructu supereminent praedio, vocanturque: Somos, Poklos Mézpest, Göböly, Lapis, Csirke, Czigány, Aranyos, Hoszszúmály, Varjas, et Hatalos. Sylvae Longh §. 55. nimis deuastatae pars hic visitur.

§. 198. *Olaszi-Liszka.* Oppidum in ripa Bodrogi, 1. classis, glebam frugum, et vini feracem, 962. iugera terrarum arabilium, ampla faenisecia ad amnem Bodrogum, sylvae Longh §. 55. memoratae partem, Incolae Hungari Romano-Catholici, et Helu. Conf. addicti distinctum templum, et oratorium habent;

Tur-

Turris templi Catholicorum est structurae eximiae, ambulacris ex secto lapide ornata.

Cum aduentu Ungarorum locum incoluisse Slavos, nomen *Liska* Slauis vulpem designans indigitat.

Anno 1245. Post deuastionem Tartaricam locum instaurasse, et vitibus conseuisse Italos iam supra §. 26. et Not. Hist. §. 22. docuimus, vnde *Olaszi*, siue *Italorum Liszka* nominari coepit. Quamuis et *Liska* nomen ab Italis deriuari non vana sit coniectura: quod etiam Liskanus Ferdinandi I. Dux Not. Hist. §. 196. memoratus, Italice *Liska* vocatus fuerit.

Anno 1248. terram *Liszka-Olaszi* ad se pertinentem Rex Bela IV. Ecclesiae B. Martini de Scepus donauit. §. 26.

Anno 1290. Donationem hanc Andreas III. renouauit. §. 26.

Anno 1466. Matthias Coruinus Rex nundinale priuilegium oppido contulit.

Anno 1530. Ioannes Zápolya Rex oppidanos ad 12. milliaria liberos a teloniis pronunciauit.

Anno 1560. Per Lazarum Schwendium Belli-Ducem fuit ad confinium Tokay occupatum, sed publica lege art. 32. 1567. Praeposito, et Capitulo Scepusiensi restitutum.

Anno 1606. Vi pacificationis Viennensis traditum est ad tempus oppidum Stephano Bocskay. Not. Hist. §. 357.

In reliquo, sicut semper erat Praepositurae Scepusiensis fundationale, ita nunc quoque per Episcopum, et Capitulum Scepusiense possidetur. Sunt tamen et hic liberae curiae, residentiae olim Patrum Iesuitarum Leutschoviensium, ac Nobilium Melczer, et Iakabfalvi.

Sunt Oppidanis eximia priuilegia a Rudolpho II. et Ferdinando II. Imp. concessa, quibus a labore do-

minis praestando exempti, moderatum nonnisi censum soluunt, ius epocillandi, consuetudines nonandi, distinctum Magistratum, nundinarum, et fori prouentum, ac sigillum Tokayensi simile habent. Iure etiam gladii pollebant, sed eo non utuntur.

Nundinae, sed non multum frequentes, hic celebrantur ad dies SS. Benedicti, Ladislai, Michaelis, et Andreae.

Cliuis vini 1. classis feracibus Rány, et Élö-hegy dictis gloriantur.

Sed et consitum est vitibus diuerticulum *Meszes*, olim *Mescces*, Comitis Antolei de genere Hermanni, possessio, in quam dum anno 1255. nominatus Comes introduceretur, diplomate Belae IV. Regis designati erant homines regii, Comes Stephanus filius Cadar de Tolchua, vel Andronicus de Eadem. Katona Tom. 6. pag. 230.

§. 199. *Vámos-Ujfalú*, siue telonialis noua possessio, a telonio ibidem exigi consueto dicta, 1. classis, glebam fertilem, colles vitiferos, 336. iugera terrarum arabilium habet, coloni Ungari R. Catholici, et Helu. Confessioni addicti Parochiae Tólcvensi affiliati.

Anno 1490. Dominus loci fuit Ioannes de Thárcza. Not. Hist. §. 131.

Anno. 1512. Nicolaus de Thárcza pagum Vámos-Ujfalú cum *telonio ibidem exigi consueto*, aliasque possessiones, cum Emerico de Perén Palatino pro castro Wjvár permutauit, vti sequentes literae perhibent: „ Nos Uladislaus Dei Gratia Rex Hungariae etc. quod „ Spectabilis, ac Magnificus Emericus de Perén Comes „ perpetuus Comitatus Abaujváriensis, et huius Re„ gni nostri Hungariae Palatinus, et Iudex Cumano„ rum nostrorum ab vna, ac Egregius Nicolaus de „ Thárcza partibus ex altera, idem etiam Emericus de

„ Pe-

„ Perén Francisci, et Petri filiorum, praefatus vero
„ Nicolaus de Thárcza cunctorum fratrum, et proxi-
„ morum suorum oneribus in se assumptis. Primo
„ praefatus Emericus de Perén Comes, et Palatinus
„ castrum suum Wjvár vocatum in Comitatu de Sáros
„ existens simul cum possessionibus Ujfalu, Lithynye,
„ Olenyk, Hanigócz, Bagler, Krustolov, nec non te-
„ lonio in dicta possessione Ujfalú exigi solito etc. an-
„ notato Nicolao Thárczay dedisset, et contulisset. E
„ conuerso idem Nicolaus Thárczay omnes, et totales
„ portiones suas possessionarias in oppido, et posses-
„ sionibus infrascriptis videlicet Tólchva, Vámos-Ujfa-
„ lú, ac telonio ibidem exigi solito, nec non Chewr-
„ gew, Nagy-Thoronya, Gercheli, Upor, Isép, Aba-
„ ra, et praedio Kis Abora in Comitatu Zemplén prae-
„ libatis Emerico de Perén Comiti, et Palatino, ac
„ Francisco, Petro filiis eiusdem dedisset, et contu-
„ lisset. Dat. in Erd. feria 4. proxima post festum
„ annunciationis Virginis gloriosae, anno Domini 1512.
„ Regnorum nostrorum Hungariae 22. Bohemiae vero
„ 40. L. S. Coram me Georgio Episcopo Quinque-Ec-
„ clesiensi C. regio. "

Possidebatur ergo pagus Vámos-Ujfalú per Perénios, et filium eius Gabrielem, per eosque ad castrum Patak applicatus est.

Anno 1563. Gabriele Perénio sine haerede decedente, Vámos-Ujfalú illos heros agnouit, qui castro Patak dominabantur, vtpote

Anno 1564. Fiscum Regium.

Anno 1574. Familiam Dobó Not. Hist. §. 255.

Anno 1601. Dobonibus in Francisco, Filio Stephani exstinctis, occupata est per Fiscum Regium. Not. Hist. §. 341.

An-

Anno 1608. In Michaëlem Lorándffy de Serke per Fiscum Regium translata.

Anno 1630. Georgius Rákóczy per connubium cum Susanna Lorándffy possessorium eius adiit.

Anno 1711. Ex nota Francisci II. Rákóczy occupata per Fiscum Regium.

Anno 1720. Principibus a Thraúczon collata, hisque anno 1780. in sexu virili emortuis, nunc per Cameram Regiam possidetur.

Fuit circa exitum saeculi prioris desolata solitudo, vnde et in donatione Principum Thrauczon praedium nominatur, nostro iam aeuo nouis coloniis insessa, rudera antiquae structurae templi ostentat. Vineae loci vno tantum cliuo, Rány dicto definiuntur.

§. 200. *Sadra* pagus in ripa Bodrogi, crebris diluuiis agrum eius proluentibus, a caenoso solo nomen accepit, 1. classis, 158. iugera terrarum arabilium, prata caricetosa, vineas nullas habet, coloni Hungari Helu. Confessioni addicti Parochiae Tolcsvensi affiliati.

Anno 1500. Possidebatur per Emericum de Perén Palatinum, per quem

Anno 1502. fundato in Terebes pro Patribus Paulinis caenobio pagus Sára attributus.

Anno 1605. Occupatus fuit per Stephanum Bocskay.

Anno 1610. Patribus restitutus Not. Hist. §. 378.

Anno 1678. Decreto Prouinciae a fundatione claustri Terebesiensis auulsus, et ad claustrum Sátor-Allya-Ujhelienſe Paulinorum applicatus est.

Anno 1786. Ordine Paulinorum sublato, nunc ad fundum religionis publicum possidetur.

§. 201. *Arbona Zsadány* pagus a rivis *Arbona*, et *Zsadány*, qui e monte Zsadány prorumpentes pagum interfluunt, et in Bodrogum influunt, nominatus,

1.

t. classis, glebam frugum, et vini praestantissimi feracem, 313. iugera terrarum arabilium, foenisecia ad Bodrogi ripam habet. Incolae Hungari, Romano, et Graeco-Catholici, et Helu. Confessioni addicti Parochiae Tólcsvensi affiliati.

Anno 1321. Duas possessiones *Orbon*, et *Zsadány*, nunc coniunctas efficiebat, possidebaturque per Marcellum, et Iuche, pro effusione sanguinis eorum per Belam IV. Regem collata, vti sequens diploma metas etiam harum possessionum describens, et claustri Patrum Dominicanorum in Patak mentionem faciens, perhibet: „ Excellentissimo Domino suo Carolo Dei Gra- „ tia Illustri Regni Hungariae, Capitulum Ecclesiae „ Agriensis etc. Literas Vestrae Serenitatis recepimus „ continentes: quod mitteremus hominem nostrum, „ pro testimonio fidedignum, coram quo Andreas de „ Zombor, homo vester sciret, et inquireret omnimo- „ dam veritatem, si possessio Zsadány vocata in Co- „ mitatu de Zemlén existens Marcello, et Iuche, pro eo- „ rum meritoriis, seruitiis, et effusione sanguinum eo- „ rundem, per Dominum Belam condam Regem Hun- „ gariae clarae memoriae auum vestrum exstiterit col- „ lata, ac donata perpetuo possidenda, et quod priui- „ legia eorum super ipsa possessione confecta in clau- „ stro Fratrum Praedicatorum de Potoka igne fuerint „ concremata? etc. Misimus hominem nostrum virum „ idoneum, videlicet Nicolaum sacerdotem de Szerencs „ Vice Archi-Diaconum etc. qui diligenter inquirendo „ talem super praemissis sciuissent veritatem, quod „ praedicta possessio Zsadány Marcelli, et Iuche prae- „ dictorum fuisset ab antiquo, et priuilegia eorum su- „ per praedicta pessessione confecta in claustro Fratrum „ Praedicatorum de Potoka igne fuissent concremata, „ Metae vero, quibus dicta possessio Zsadány ab aliis

„ ter-

„ terris separatur, prout idem homo noster nobis re-
„ citauit, hoc ordine exprimuntur: quod prima meta
„ incipit a parte septemtrionali iuxta quemdam fluuium
„ Orbon-Potoka vocatum, in fine villae Orbon, vbi
„ est meta terrea, dein progreditur versus orientem,
„ et pertranseundo quemdam montem lapidosum venit
„ ad vnam metam lapideam, deinde circumeundo quem-
„ dam montem Mandalon nominatum descendit versus
„ fluuium Zadány-Potoka nominatum, et venit ad
„ quoddam spinetum, vbi est meta terrea, deinde in
„ eadem plaga eundo venit ad quasdam magnas arbo-
„ res populeas pro meta assignatas, et ibi in coniunc-
„ tione insularum fluuii Budrugh pertransit ipsum
„ fluuium Búdrúgh, et per pratum, aa arbores versus
„ meridiem discurrendo super quoddam venit promon-
„ thorium Zadány-halma vocatum, vbi est meta terrea,
„ deinde circumeundo tres lacus Hoszszúton, Zelustón,
„ Lapostón vocatos, progreditur versus villam Vys, et
„ ibi ad iactum vnius sagittae circumdat quemdam flu-
„ uium Túrczér nominatum. Deinde regrediendo ver-
„ sus occidentem circuit angulum Budrug, et eundo
„ versus eandem plagam venit ad vallem villae Sára,
„ deinde reflectitur iterato versus septemtrionem, et
„ pertranseundo fluuium Budrug venit ad quandam ar-
„ borem pyri pro meta assignatam. Deinde in parte
„ villae Sarae per ripam cuiusdam lacus discurrendo
„ venit ad duas arbores piri pro meta assignatas, de-
„ inde ascendendo venit ad quamdam vallem Mocho-
„ laston vulgo vocatam, et in eadem valle discurren-
„ do circuit quemdam montem Zadány-hegye vocatum,
„ et descendendo venit ad metam principalem, et ibi
„ terminatur. Dat. 3. die quindenarum Epiphaniae
„ Domini 1321.“

An-

Anno 1516. Medietatem possessionis claustro Paulinorum Terebessiensi donauit Sigismundus Zrittey, Fragm. Corvi. Eremit.

Altera medietas pagi possidebatur ad castrum Patak per Perénios, et alios, iis succedentes.

Anno 1606. Portio Paulinorum occupata fuit per Stephanum Boeskay, Patribus anno 1610. restituta. Not. Hist. §. 378.

Anno 1666. Medietas ad Dominium Patak spectans, per Principem Sophiam Báthory, et filium Franciscum Rákóczy residentiae Patrum Societatis Iesu Patakinensi attributa Not. Hist. §. 564.

Anno 1678. Altera medietas decreto Prouinciae a claustro Paulinorum Terebesiensi auulsa, et ad claustrum eorundem Patrum Sátor-allya-Ujheliense applicata. Fragm. Corvi.

Anno 1773. Patribus Iesuitis, anno 1786. Patribus Paulinis sublatis, nunc in medietate ad fundum studiorum, in altera medietate ad fundum religionis possidetur.

Colles viniferaces hic sunt: Zsadány-hegye, Elöhegy, Szár-hegy, Szent-Ignácz, omnes soli meridiano obuersi, et ideo plurimas vuas passas proferentes.

§. 202. *Olaszi*, olim *Olaz* pagus in Bodrogi ripa ab Italis conditoribus dictus §. 26. et Not. Hist. §. 22. 1. classis, solum fertile, frumenti, et vini ferax, 614. iugera terrarum arabilium, prata foecunda, syluas glandiferas Longh §. 55. memoratas, et bene conseruatas, in fluuio Bodrogo vtilem piscaturam, incolae Hungari Romano-et Graeco-Catholici, et Helu. Conf. addicti templa sua distincta et parochum, ac Romano-Catholici capellanum localem, habent.

An-

Anno 1244. Conditus est pagus per Italos, qui vineas vitibus Italicis nouiter hic plantarunt. Not. Hist. §. 22.

Anno 1252. Metas Venetorum in Oloz, et Potok Cyprianus Comes de Sarus diuisit. Not. Hist. §. 22.

Anno 1257. Olaszienses incolae erant vinitores regii §. 26.

Anno 1438. Possidebat locum Ioannes de Perén.

Anno 1504. Emericus de Perén possessionem auitam Olaszi coenobio Terebessiensi Patrum Paulinorum a se fundato contulit, vti sequentes literae docent: „ Nos Uladislaus Dei Gratia Rex Hungariae etc. Quod „ fidelis noster, sincere dilectus, Spectabilis, ac Magnificus Emericus de Perény Comes perpetuus Comitatus Abaujuariensis, et Regni nostri Hungariae Palatinus, ac Iudex Cumanorum nostrorum, coram nobis personaliter constitutus, oneribus, et quibusuis grauaminibus Francisci, et Petri filiorum, nec non Barbarae „ filiae, aliorumque cunctorum fratrum, et consanguineorum suorum, quos infrascriptum tangeret, seu tangere posset negotium, super se, et cunctas haereditates assumptis, proposuit, et confessus est, in hunc „ modum: Quod quia ipse Comes, et Palatinus salutari zelo ex alto instinctus, et animo reuoluens nihil „ esse homini magis firmum, et stabile in alio saeculo, „ quam merita, quae hominem sequuntur, volens suae, „ ac parentum, et maiorum, posterorumque suorum „ saluti consulere, atque pro suae, suorumque maiorum, ac parentum, et posterorum suorum animarum „ refrigerio sanctum, et pium memoriale instituere, et „ post se relinquere, simul etiam ea deuotione, quam „ erga beatissimam Virginem Dei Genitricem, in cuius „ glorioso nomine claustrum quoddam in oppido suo „ Terebes vocato, quod per ipsum conditum, et fun-

„ da-

„ datum existit, accensus, cuius patrocinio se, et suos „ in conspectu Dei perpetuo foueri confidit, possessio- „ nem suam auitam, et paternam, *Olaszi* videlicet vo- „ catam in Comitatu Zempléniensi habitam, simul cum „ cunctis suis vtilitatibus etc. Prout nos quoque con- „ siderantes bonam mentem, et factum salutare eius- „ dem domini Comitis, et Palatini etc. dictam colla- „ tionem, atque donationem, elemosynariamque ipsius „ largitionem, per eum modo praemisso dicto clau- „ stro, et fratribus Emeritis coram nobis factam ra- „ tam, gratam, et acceptam habentes, eidem dona- „ tioni, collationi etc. nostrum regium, et gratiosum „ consensum praebuimus, praebemusque beneuolum „ pariter, et assensum etc. Datum Budae in festo B. „ Martini Episcopi, et Confessoris anno domini 1504. „ Regnorum nostrorum Hungariae anno 14. Bohemiae „ vero 34. L. S.

Anno 1606. Occupata fuit per Stephanum Bocskay, Patribus Paulinis anno 1610. restituta. Not. Hist. §. 378.

Anno 1678. Decreto Prouinciae a claustro Terebessiensi auulsa, et ad claustrum Ujheliense applicata.

Anno 1786. Sublato Paulinorum ordine, nunc ad fundum religionis publicum possidetur.

Terreno possessionis includitur diuerticulum *Csók-Földe*, siue terra-osculi, quod plebs a terreno Patakiensi auulsum, et per Sophiam Bátory Viduam Rákóczianam pro dato sibi per vnum e Patribus Paulinis osculo iis traditum fabulatur.

Colles vitiferi sunt hic: Magos-hegy, Somos, Mandalin, et Kautha.

§. 203. *Petrahó* olim *Patrowzkó*, *Patrowo* pagus, intra Olaszi, et Patak, in ripa Bodrogi, 1. classis, glebam fertilem, 410. iugera terrarum arabilium, inco-

las

las Hungaros, Helu. Confessioni addictos, ac proprio ministro, et oratorio gaudentes habet.

Anno 1248. Post vastitatem a Tartáris illatam locus etiam iste insessus fuit coloniis Italicis, qui vites nouiter hic plantare coeperunt.

Anno 1257. Rex Bela IV. ob remedium animae suae fratribus in Thurul S. Augustini regulam profitentibus, quatuor mansiones vinitorum suorum villam inter Potok, et Oloz positas donauit §. 26. Unde cum loci domini fuerint *Patres* voce a latinis deriuata, per Ungaros *Pátereké*; per Russos oras has incolentes *Patrowzkó*, et *Patrovo* dicebatur, sensimque *Patrowo* in *Paterho*, ac tandem in *Petrahó* degenerauit, cum praesertim Hungari a Russis, et Slavis pagum *Patrum* indigitantibus *Pater ho drzi* frequentius audirent.

Thúrul autem siue ex vocabulo Hunnico auis *Turul*, quam Banderium Regis Attilae §. 84. in scutis suis gestare solebat, vel potius a turri Augustinianorum *Turuny* denominata, ac per ignarum linguae Ungaricae scribam perperam *Thurul* vocata, fuerit possessio Toronya, quam Augustinianorum fuisse §. 243, videbimus.

Anno 1530. Reuolutione euangelii his in partibus suborta, posteaquam religiosi Patres per Casparum Drágffy occupata possessione Thoronya Not. Hist. §. 177. pulsi sunt, possessio quoque Petrahó per Petrum Perénium ad dynastiam Patakinensem applicata, expost eosdem heros, quos arx Patakina experta est, ac hodie quoque per defectum sexus virilis Principum a Thrauczon ad dominium Patak per Cameram regiam possidetur.

Colles vitiferos in terreno proprio non habet possessio, sed collem Patakinensem sibi vicinum *Szent-Vincse*, olim ad Patres Dominicanos spectantem, vitibus excolit.

§. 204.

§. 204. *Sáros-Nagy-et Kis-Patak* oppida duo coniuncta, olim *Potok*, ac *Rettel Pataka* dicta, prius in dextra, posterius in sinistra Bodrogi ripa, 1. classis, glebam fertilem, ampla foenisecia, lacus piscosos; colles viniferaces, syluas glandiferas Longh, et Esztava nominatas, 1597. iugera terrarum arabilium possident, intrauillanum autem oppidi Nagy-Patak 177,551. oppidi Kis-Patak 104,661. in toto 282,212. orgias quadratas constituit. Incolae Hungari Romano, et Graeco Catholici sua templa, prout et Helu. Confessioni addicti suum oratorium, parochos, et ministrum habent.

Nomen Sáros-Patak, siue caenosi fluuii acceperunt cum aduentu Hungarorum in Pannoniam, a transuadatione parui fluuii „qui manans a *Satur-halma* „ descendit in *Budrug* per militem hungarum *Rettel* „ Patrem Oluptulma facta, qui per inundationem aqua„ rum equo offendente in aquam submersus, et sociis „ eius adiuuantibus vix a letho liberatus, vnde locus „ ille per socios *Rettel*, per risum *Rettel Potoka* nomi„ natus est, terramque illam, quae *Rettel Potoka* vo„ catur, posteritas Rettel vsque ad tempora Andreae „ Regis, filii Calvi Ladislai habuit.“ Anonym. Cap. 15. et Not. Hist. §. 6.

Primus ergo loci possessor fuit ex Hungaris per donationem Arpadi ducis Rettel, pater Oluptulma; qui et conditor arcis fuisse videtur. Quia nulla arcis cum aduentu Hungarorum occurrit mentio, iam vero

Anno 1050. Rex Andreas I. locum *Patak* cum posteris Retel cambiauit, et cum regina Agmunda, filia ducis Ruthenorum securioris permansionis causa (quia timebat aduentum Imperatoris Teutonicorum) hic habitauit: vnde locum iam munitum fuisse indubium est. Not. Hist. §. 16.

An-

Anno 1201. Emericus rex hospites de Potok iudicio sui praepositi subiecit, et hoc non sufficiente Palatini, vel Regis ac vt nullius alterius subiaceant iudicio praecepit. Wagner Mss. Tom. I. pag. 310.

Anno 1212. Andreas II. Rex Patakini commoratus, eiusque filia S. Elizabeth hic nata. Not. Hist. §. 18. Patak castrum fuisse pariter indicant.

Ab anno 1219. vsque 1330. Inferior pars Comitatus a castro Potok denominabatur Comitatus Potokiensis Not. Hist. §. 12. 37. Quia vero Comitatuum *Vármegye* denominatio a praecipua arce fiebat, arcis ad haec Praefectorum nomina. Not. Hist. §. 13. iam de anno 1219. designentur, arcem iam antea ibi stetisse extra omne dubium est. Recensentur autem Comites Potokienses sequentes: anno 1219. Gregorius. Anno 1229. Farkassius. Anno 1273. Ladislaus Comes de Beregh, et de Potok. Anno 1223. Magister Danch Comes etiam de Zolion, Ioannes filius Alexandri, Mychk Comes de Sarus, et Potok. Not. Hist. §. 12. 13. 37.

Anno 1252. Post deuastationem Tartaricam locus insessus fuit per colonias Venetas, siue Italicas, qui vites nouiter his in partibus plantare, et colere caeperunt. Not. Hist. §. 22.

Anno 1262. Stephanus Iunior Rex Belae IV. filius hic habitauit: turrim arcis ex parte septemtrionali exstruxit, ac Comiti Michaëli, filio Ubul donauit. Not. Hist. §. 25.

Anno 1286. Mokyanus Palatinus hic congregationem generalem celebrauit. Not. Hist. §. 28.

Anno 1291. Andreas III. Rex recognoscit: quod Magister georgius, filius Simonis castrum regium Potok, regiae se submittendo gratiae, ad primum mandatum regium sine difficultate qualibet resignauerit. Katon. Tom. 4. pag. 1074.

An-

Anno 1301. Patak in diplomate ciuitas regia vocatur, acrique praelio inter Matthiae de Threnchén asseclas, et regios milites ibi decertatum est. Not. Hist. §. 30.

Expost ciuitas Patak pro fideliter nauata in bello hoc opera videtur fuisse Simonis Comitis, Not. Hist. §. 27. nominati filiis donata, cum iidem anno 1321. castrum *Pothok* pro castro Purusthyan cum Carolo rege permutauerint. Not. Hist. §. 36.

Anno 1330. Ioannes, filius Alexandri de Comitatu Potokiensi Caroli regis vitam seruauit. Not. Hist. §. 47.

Anno 1366. Patak fuit ciuitas reginalis, siue reginarum Hungariae, vti adiudicatoriae per oppidanos in processu urbariali in origine reproductae perhibent, quas nos quoque in verbis ad rem nostram facientibus, eo maiori cum fiducia horsum transscribimus: quod ex iis tam Magistri Tauernicorum reginalium, causas pure ciuium reginalium discutiendi, quam Iudicis Curiae regiae de proprietate iurium iudicandi actiuitas pateat: „ Nos Comes Stephanus Bybek iu„ dex Curiae Serenissimi, et Magnifici Principis do„ mini Ludouici Dei Gratia Inclyti Regis Hunga„ riae, memoriae commendamus tenore praesentium „ significantes, quibus expedit vniuersis: quod Lauren„ tius Sartor, pro Stephano, filio Pauli de Buttka, cum „ procuratoriis literis conuentus ecclesiae de Lelesz „ iuxta continentiam literarum Georgii Bybek Magistri „ Tauernicorum reginalium, fratris nostri prorogatoriarum in octauis diei Strenarum in anno domini „ 1364. praeteritis, in figura iudiciaria eiusdem Ma„ gistri Tauernicorum comparendo contra ciues, et ho„ spites de Patak, quasdam duas literas inquisitiona„ les, vnam eiusdem conuentus de Lelesz, et aliam „ Vice-Comitis, et Iudlium Comitatus de Zabóleh,

„ am-

„ ambas domino nostro Regi, ad suum literatorium
„ Praeceptum rescriptas. tenorem literarum Regalium
„ ipsis, Conuentui, ac V.Comiti, et Iudlium directa-
„ rum de verbo, ad verbum in se habentes; asserens
„ actionem, et propositionem eiusdem Stephani, filii
„ Pauli literis explicari in eisdem, prout per literas
„ eiusdem Magistri Tauernicorum reginalium exinde
„ confectas informabamur, sibi praesentarant, inter
„ caetera sua serie exprimentes: Quod Regius, et dicti
„ conuentus homines, ac duo ex Iudlium Comitatus
„ de Zabolch ad infrascripta rescienda transmissi, in
„ eisdemque litteris nominatim conscripti, in Comita-
„ tibus Zemplén, et Zabólch circumeundo, ab omni-
„ bus, quibus decuisset, et licuisset, talem de in-
„ frascriptis sciuissent veritatem. Quod memorati Ci-
„ ues, et hospites de Patak propria eorundem poten-
„ tia ad faciem Possessionis Gáva vocatae praedicti
„ Stephani, filii Pauli venientes, quoddam pratum
„ ipsius defalcassent, et foenum in eodem habitum, et
„ defalcatum asportassent. Quarum literarum exhibi-
„ tionibus factis, earumque perceptis tenoribus, et ex-
„ positis praefato Laurentio Sartore, Procuratore dicti
„ Stephani, filii Pauli, eidem super praemissis ex par-
„ te praedictorum Ciuium, et hospitum de Patak iu-
„ dicium, et iustitiam per ipsum Magistrum Tauerni-
„ corum reginalium elargiri postulante, Michaël filius
„ Kutmer pro eisdem Ciuibus, et hospitibus de Patak
„ cum Procuratoriis literis eorundem in ipsius Magi-
„ stri Tauernicorum reginalium exurgendo praesentiam
„ responderat ex aduerso: quod praefati Ciues et ho-
„ spites de Patak annotatum pratum potentialiter non
„ defalcassent, sed ipsi Ciues annotatum pratum tem-
„ pore ab antiquo, nomine terrae seu iuris reginalis
„ intra metas dictae *Ciuitatis Patak* existentis vsi ex-

sti-

„ stitissent, nec in aliquo attineret possessioni Gáva
„ praenotatae. Quibus sic habitis idem Laurentius
„ Procurator praefati Stephani, filii Pauli obiecerat eo
„ modo: quod metae ipsius *Ciuitatis Patak* annota-
„ tam possessionem Gáva in nulla sui parte attinge-
„ rent, sed ipsi ciues de Patak vltra trium, vel qua-
„ tuor possessionum seu villarum modo praemisso po-
„ tentialiter venientes praemissa perpetrassent, et in
„ eo se idem Stephanus ad iuridicam assertionem vici-
„ norum, et commetaneorum, comprouincialiumque
„ suorum nobilium promptus esset submittere, et pa-
„ ratus. Vnde quia ad reambulationem metarum pos-
„ sessionis Gáva, et dictae *Ciuitatis Patak*, ac ad re-
„ uidendum, et resciendum id: vtrum ipsum pratum
„ litigiosum intra metas dictae *Ciuitatis Patak*, vel
„ annotatae villae Gáva existeret, et adiaceret, modo
„ infrascripto faciendas, reginales, et dicti conuentus
„ de Lelesz homines transmitti debuerant necessario.
„ Ideo idem Magister Tauernicorum Reginalium ipsi
„ conuentui scribendo eorum amicitiam petierat reue-
„ renter, quatenus ipsorum darent homines, vtrisque
„ partibus pro testimoniis fidedignos, quibus prae-
„ sentibus homines reginales infra declarandi in octa-
„ uis festi B. Georgii Martiris tunc venturis, et aliis
„ diebus, ad id sufficientibus ad facies dictarum *Ci-*
„ *uitatis Patak*, et villae Gáva vocatarum, vicinorum,
„ et commetaneorum suorum legitimis conuocationibus
„ habitis, et partibus, vel earum legitimis procurato-
„ ribus praesentibus accedendo, primo metas dictae
„ possessionis Gáva iuxta demonstrationem praefati
„ Stephani, filii Pauli, et demum metas dictae *Ciui-*
„ *tatis Patak*, ex parte ipsius possessionis Gáva, se-
„ cundum demonstrationem praescriptorum ciuium de
„ Patak, vel procuratoris eorundem reambularent, fa-

 „ ctaque

„ ctaque ipsa reambulatione, de eo vtrum? praemis-
„ sum pratum litigiosum intra metas dictae possessio-
„ nis Gava ipsius Stephani, filii Pauli, aut intra metas
„ dictae *Ciuitatis Patak Reginalis* foret, et existeret?
„ viderent, et intuerentur, ac ab iisdem vicinis, com-
„ metaneis, comprouincialibusque nobilibus ipsa-
„ rum *Ciuitatis*, et possessionis, et aliis, quibus de-
„ cens fieret, et opportunum, hominibus palam et oc-
„ culate scirent, et inquirerent, omnimodam veritatem.
„ Post haec ipsius possessionariae reambulationis, et
„ reuisionis metarum, ac inquisitionis seriem cum to-
„ tius inibi peragendi negotii processu, ad octauum
„ diem octauarum dicti festi B. Georgii Martyris, si-
„ militer tunc affuturi Dominae nostrae Reginae fideli-
„ ter rescriberet Conuentus de Lelesz praenotatus. Et
„ cum dissensio praemissorum ab eodem octauo die
„ octauarum festi S. Georgii Martyris diuersis proro-
„ gationum cautelis interuenientibus iuxta continentiam
„ literarum praedicti Magistri Tauernicorum Reginalium
„ ad quindenas residentiae exercitus regalis contra Bul-
„ garos moti, et ad octauas festi B. Michaelis Archan-
„ geli in anno proxime praeterito elapsas proclamatae
„ dilatiue deuenisset. Tandem ipsis quindenis adue-
„ nientibus, praedictus Laurentius Sartor pro ipso Ste-
„ phano filio Pauli de Búttka cum Procuratoriis literis
„ praedicti Conuentus ab vna, item Ioannes filius Pau-
„ li pro se personaliter, et pro praedictis ciuibus, et
„ hospitibus de Patak, cum Procuratoriis literis eo-
„ rundem parte ab altera, praesenti causa, eo, quod
„ eadem factum possessionarium tangere dignosceba-
„ tur ad nostram praesentiam deducta etc. Ideo vna
„ cum Praelatis, Baronibus, et regni nobilibus, no-
„ biscum in iudicio considentibus, metas ipsius pos-
„ sessionis Gáva, nequaquam vltra ipsum fluuium Ti-

„ ciae

„ ciae extendi, nullumque ius, et iuris proprietatem
„ eandem vltra ipsum fluuium Ticiae habere agnoscen-
„ tes, eidemque Stephano, filio Pauli, et ad ipsum per-
„ tinentibus vltra iam dictum fluuium Ticiae pro vsu
„ aliquarum terrarum, pratorum, syluarum, stagno-
„ rum, et quarumlibet vtilitatum earundem transitum
„ facere non posse decernentes, atque committentes,
„ praemissam terram litigiosam cum stagnis, pratis,
„ syluis, et aliis omnibus suis vtilitatibus, et pertinen-
„ tiis vniuersis, quibusuis nominibus vocitatis, in su-
„ perficieque eiusdem a dicto fluuio Ticiae versus prae-
„ libatam *Ciuitatem Patak* existentibus, eisdem ciui-
„ bus de Patak adiudicauimus, et commisimus perpe-
„ tuo possidere, tenere pariter, et habere, saluis iu-
„ ribus alienis, praefato Stephano, filio Pauli perpe-
„ tuae taciturnitatis silentium imponentes, ab eadem
„ eundem pro indebita requisitione, et recaptiuatione
„ eiusdem in ipsius aestimatione conuictum fore decer-
„ nentes, atque relinquentes. In cuius rei memoriam,
„ firmitatemque perpetuam praesentes eisdem ciuibus
„ concessimus literas nostras priuilegiales, pendentis
„ authentici sigilli nostri munimine roboratas. Datum
„ in Visegrád sedecimo die octavarum festi B. Marti-
„ ni Confessoris praedictarum. Anno Domini 1366. LS.
„ appensi, iam deperditi.“

Anno 1390. Regia ciuitas Patak per Sigismundum Regem Nicolao de Perén donata. Not. Hist. §. 51.

Anno 1411. Petrus de Perén seditiosos Stephano de Debrö adhaerentes prope oppidum Nagy-Patak profligauit. Not. Hist. §. 54.

Anno 1429. Emortua in sexu virili Nicolai de Perén linea, ciuitas Nagy-Patak ad regias Sigismundi Imp. manus deuoluta, per eum „ in coetum, et nume-
„ rum aliarum liberarum ciuitatum in regno Hunga-

„ riae habitarum aggregata est.“ Datum Agriae feria 2. proxima post Dominicam Laetare. In Processu Urbar. oppidor. Product. Nro 7. et Z.

Anoo 1436. Per Sigismundum Regem Georgio de Pálócz Archi-Episcopo Strigoniensi oppignorata, in Matthaeum de Pálócz regni Palatinum deuoluta iterum fuit oppidum. Not. Hist. §. 66. Qui ibidem generalem congregationem celebrauit.

Anno 1440. Per Hussitas Bohemos arx occupata. Not. Hist. §. 70.

Anno 1459. Hussitae Bohemi arce exturbati, et profligati, ac tunc mons Patakinensis Királyhegy a regiis copiis nomen accepit. Not. Hist. §. 100. 101.

Anno 1514. Per cruceatos concitata seditione rusticana Patakinum occupatum. Not. Hist. §. 144.

Anno 1526. Copiae Zempléniensium ad fatalem campum Mohách profecturae ibi recensebantur. Not. Hist. §. 151.

Demum Antonius de Pálócz Supremus Comes, loci herus, et vltimus stirpis in campis Mohách occumbens Patakini sepultus. Not. Hist. §. 154.

Petrus autem Perénius arcem occupauit, in eius possessione tam per Ferdinandum, quam Ioannem Regem confirmatus. Not. Hist. §. 157. 200.

Anno 1530. Lutheri dogma Patakinum inuectum, religiosis viris partim ad illud desciscentibus, partim expulsis. Not. Hist. §. 175—179.

Anno 1536. Ferdinandus Imp. cum Ioanne Rege inducias Patakini pepigit. Not. Hist. §. 186.

Anno 1542. Conuenticulum procerum regni ibidem habitum. Not. Hist. §. 195.

Anno 1555. Doboiani cum Perénianis pro Sáros-Patakina ditione litigarunt. Not. Hist. §. 213.

Anno

Anno 1558. Exturbato Gabriele Perénio, arx praesidio regio firmata, ditio Patakina vastata. Not. Hist. §. 224. 226.

Anno 1559. Articulo 24. ciuitas compellatur.

Anno 1566. Tartari oppidum depraedati. Not. Hist. §. 249.

Anno eodem Gabriele Perény sine haerede decedente, Dominium Patak in Fiscum Regium deuolutum.

Anno 1578. Familiae Dobó per Maximilianum Imp. oppignoratum. Not. Hist. §. 255.

Anno 1601. Dobonibus in Francisco, filio Stephani exstinctis, deuolutum in Fiscum Regium. Not. Hist. §. 341.

Anno 1608. Michaeli Lorándffy per Cameram repiam venditum.

Anno 1610. Inductitia corona Turcica, olim Principi Bocskaio donata in arce Patak per curatores orphani Valentini Drugeth ad manus Comitis Palatini resignata. Not. Hist. §. 374.

Anno 1617. Georgius Rákóczy per connubium cum Susanna Lorándffy possessorium eius adiuit. §. 131.

Anno 1620. Per Georgium Drugeth ditio Patakina vastata. Not. Hist. §. 395.

Anno 1645. Conuentus generalis septem Comitatuum Rákóczio subiectorum hic celebratus. Not. Hist. §. 475.

Anno 1647. Georgius Rákóczy in possessione arcis per donationem Ferdinandi III. confirmatus, solutis 313000. florenis. §. 131.

Anno 1661. Funus Georgii II. Rákoczy magno concursu hic peractum. Not. Hist. §. 511.

Anno 1664. Studiosa iuuentus ex collegio Reformatorum dispulsa, vnde commissio regia in negotio grauaminum Euangelicorum contra Sophiam Báthory

magno

magno praecipuorum virorum concursu Patakini celebrata. Not. Hist. §. 544.

Anno 1666. Nuptiae Francisci I. Rákóczy cum Helena Zrinia magna frequentia hic celebratae. Not. Hist. §. 553.

Anno 1668. Patres Societatis Iesu ad arcem introducti. Not. Hist. §. 564.

Anno eodem etiam Reformatorum scholae, et professores ad oppidum reducti. Not. Hist. §. 565.

Anno 1670. Commendans Tokayensis Comes a Staremberg cum officialibus caesareis hic custodiae mancipati. Not. Hist. §. 568.

Anno 1671. Ad arcem germanicum praesidium inductum. Not. Hist. §. 575.

Eodem anno arx reparata, et collegium Reformatorum per Iesuvitas occupatum. Not. H. §. 582.

Anno 1682. Schola Patakinensis Reformatis restituta.

Anno 1683. Philippus Baro de Szaponara Commendans Patakinensis arcem orphanis Rákóczianis restituit. Iesuuitae cum praesidio germanico Szathmárinum discesserunt. Templum moenibus arcis contiguum Reformatis traditum. Intererant receptioni Comes Emericus Tököly cum consorte Helena Zrinia, et orphanis Rákóczianis.

Anno 1686. Exturbati ex templo arcensi Evangelici ex mandato Caesaris per Franciscum Klobusiczky Vice-Comitem.

Anno 1687. Schola a Reformatis adempta, exercitum religionis iisdem interdictum, ministro ad pagum Hotyka semet conferente. Lampe Hist. Eccl. a pag. 499. vsque 503.

Anno 1697. Franciscus Tokay concitata seditione arcem patentibus portis ingressus, praesidium omne

cum

cum Vice-Commendante Sturman, ac Barone Alexandro Vécsey trucidauit. Not. Hist. §. 688.

Anno 1701. Cum Franciscus II. Rákóczy motae in Hungaria seditionis auctor fuisset, anno 1702. dynastia Patakinensis in Fiscum regium redacta, arx vero cum multorum malorum quaedam quasi fabrina esset, ex mandato Leopoldi Imp, diruta. Not. Hist. §. 708. 713. 715. Reperta fuisse in arce arma, quibus 15. millia militum armari poterant, et tormenta etiam bellica Cassouiam translata, scribit Isaac Babocsay testis coaeuus, et in diruitione praesens.

A. 1705. Schola Patakina cum templo et parochia Reformatis iterum per Franciscum Rákóczy attributa. Lampe Hist. Eccl. pag. 518.

Anno 1708. Conuenticulum Rákóczianorum Patakini celebratum, sub quo Emericus Bezerédy capite plexus. Not. Hist. §. 730.

Anno 1714. Templum arcense, et parochia Catholicis restituta, in possessione autem oppidani oratorii, et scholarum Reformati confirmati. Not. Hist. §. 753. 755.

Anno 1720. Carolus IV. Imp. Leopoldo Donato Principi a Thraúczhon, Comiti in Falkenstein haereditario aulae suae praefecto, Aurei Velleris Equiti, actuali intimo, et conferentiali suo Consiliario dominium Patak, vtpote arcem, et oppidum Sáros-Patak, nec non oppida Nagy et Kis-Patak, ac Ujhely cum possessione Borsiszer, possessiones item Petrahó, Végh-Ardó, Tökes-Csernahó, Kis-Toronya, portionesque possessionarias in possessionibus Bányácska, et Kovács-Vágássy, ac praedio Vámos-Újfalú cum iure gladii, et patronatus ecclesiarum donauit. Item abalienata Tólcsva, vtramque Bénye, item Erdö-Bénye, portiones item Berczell, Gáva, Balsa

sa, et Szabólcs ad arcem Patak spectantia reuindicandi facultatem tribuit.

Anno 1722. Studiosa iuuentus in collegio Reformatorum grauem tumultum excitauit.

Anno 1731. Hospitale pro pauperibus Patakini fundatum.

Anno 1777. Conuictum pro nobili iuuentute Generalis Nicolaus Beleznay ibidem fundare nitebatur.

Anno 1780. Principibus Thraúczon in sexu virili emortuis, nunc per Cameram regiam possidetur.

Anno 1786. Iosephus II. Imp. inductis ad partem oppidi meridionalem Sueuicis coloniis, illam a nomine suo *Iósef-falva* vocari praecepit.

Arx Patakina fuit opere firma, quam Petrus Perénius maioris adinstar munimenti moenibus, ac fossis circumuallauit, vt patet ex literis eiusdem ad ciuitatem Cassouiensem ex castro Ujhely anno 1534. datis, quibus operas erigendarum huiusmodi munitionum peritas sibi a ciuibus submitti petit. Mss. Kaprinay T. XXVII. pag. 336. Patebit id etiam ab infra, ex inscriptione sepulchri filii eius Gabrielis de Perén. Absoluit opus Petrus anno 1541. quod apparet ex insignibus, et epigraphe supra munimenti portam flumentanam lapidi insculptis:

Felix Ciuitas, in qua verbum Dei praedicatur, et obseruatur illud. 1541. Aprilis 16.

Ostentat hucdum arx vetustam illam turrim, *Vöröstorony*, quam a Stephano iuniore Rege exstructam supra vidimus. Est ea quinque substructiones alta, muros tres orgias latos complexa, cuius apex in pyramidem assurgens turriculis quatuor, per totidem angulos exornabatur, asseruabanturque in ea thesauri Rákócziani. Not. Hist. §. 575. Scribit Isaacus Babocsay Tarczalinensis Notarius anno 1670. Studiosum quempiam

piam in collegio Helveticorum monedulam aluisse, quae dum curiosius volitaret, in fenestram huius turris rubeae penetrauit, indeque ex cumulo nummos aureos rostro sensim exportabat, et in theca studiosi congregabat, qui dum iam ad ducentenorum numerum excreuisset, studiosus sibi metuens, ne aduertatur, monedulam interemit, et ad exteras Academias profectus Patákinum deseruit.

Palatiis arcem vel maxime ornauit Georgius I. Rákóczy. Testatur id marmor supra ianuam palatii in orientem spectantis, in quo insignibus Rákóczianis pulchre sculptis subscripta leguntur isthaec: „Deo fa„ uente haec palatia Spect. et Magnif. Dominus Geor„ gius Rákóczy de Felsö-Vadász intra diem 22. April. „ Anni 1617. et 22, diem Augusti anni 1618. F. F Non „ est currentis, neque volentis, sed miserentis Dei.“ Alii possessores exiguam sui memoriam reliquerunt. Franciscus II. Rákóczy. caminum fumigatorium exstruxisse videtur, cui haec incidi curauit: „Virtutem prae„ sentem odimus, amissam quaerimus. Anno 1700. F. „ R.“ Qua ad arcem interiorem itur, visitur immane os supra portam pendulum, quod incolae ex crure gigantis esse praedicant.

Praefectorum arcis nomina sequentium solum erui poterant.

Anno 1229. Zuga castellanus, et curialis Comes de Potok nominatur in ritu explorandae veritatis. §. 571.

Anno 1300. Georgius filius Simonis Comes de Zobólch; et castellanus de Potok. Katona Tom. IV. pag. 1233.

Anno 1548. Ambrosius Végh Praefectus castri Patak. Pray Annal. Libr. V. pag. 417.

Anno 1681. Philippus Baro de Szaponara. Not. Hist. §. 639.

Anno

Anno 1671. Comes Staremberg.

Templum parochiale quod in arce visitur exstructum est per Polóczios, cum porta eius arcem interiorem respiciens, annum 1492. insculptum ostentet, male ergo per Stephanum Veszprémy, illius a fundamentis excitator Petrus Perénius adstruitur. Not. Hist. §. 177. qui illud potius pro vsibus Helueticorum adaptauit.

Parochi porro Patakinenses erant viri praecipui. Iam supra sub Emerico Rege vidimus fuisse Praepositum Ioannem Plebanum de Potok, Regi Stephano fuisse acceptum memorauimus. Not. Hist §. 25.

Anno 1566. Alexander Plebanus fuit homo regius. §. 205.

Anno 1526. Parochus loci Michael de Ráska, itidem fuit Praepositus. Not. Hist. §. 150.

Anno 1503. Georgius Parochus Episcopus Bodoniensis. §. 243.

Anno 1790. Stephanus Györky Praepositus B. M. V. de Ságh.

Reliquorum etiam sacerorum curionum nomina lubenter huc inseruissemus, sed ab iis, qui suppeditare poterant, impetrare non potuimus. Hodiernum Parochum scimus esse Ioannem Kovalik.

Ipsa etiam Parochia in honorem S. Ioannis B. fundata. Not. Hist. §. 150. fuit a iurisdictione diaecesani Episcopi exempta. Id testatur lis suborta inter Ioannem Archi-Episcopum Strigoniensem, et Stephanum Episcopum Agriensem. Archi-Episcopus praetendebat monasterium S. Crucis de Lelesz, Parochias item de Patak, et de Ujhely, quoad totalem obedientiam, et iurisdictionem spiritualem ad se pertinere, cum partes inter se conuenire non possent, Ioannes Archi-Episcopus appellauit ad Bonifacium Papam IX. et eius sa-

eram

cram Sedem Apostolicam anno 1399. Quam controuersiam Bonifacius sic decidit: „ vt monasterium S. Cru„ cis de Lelesz, et parochiales Ecclesiae de Nagy-Pa„ tak, et de Ujhely nullum alium praeter Archi-Episco„ qum tanquam immediatum superiorem recognosce„ re, et eidem, ac nulli alteri obedientiam et reueren„ tiam debitas exhibere, ac ad Synodum eiusdem Ar„ chi-Episcopi, quoties illa celebrari contingeret, ac„ cedere, et pro procurationibus legatorum, ac proui„ sionibus nunciorum Sedis Apostolicae persoluendis, „ et aliis oneribus supportandis, contributionem debi„ tam facere debeant. Datum Romae apud S. Petrum „ Kalendis Maii, Pontificatus anno 11. Christi 1400. “ Katona Tom. II. pag. 481. 510. et Péterffy Conc. P. II. pag. 288.

Lege etiam publica regni art. 25. 1545. parochia Patakinensis inter praecipuas numeratur. Ius demum patronatus huius Ecclesiae fuit anno 1526. penes familiam de Pálócz. Anno 1720. penes Principes Thrauczhon.

Sepulti iacent cineres in hoc templo Michaelis, et Antonii Pálóczy, cuius inscriptionem Not. Hist. §. 154. dedimus, Petri et Gabrielis Perény, huiusque consortis Helenae Ország. Stephani, atque Francisci Dobonis, Susannae Lórándffy, Georgii et Sigismundi Rákóczy, ac Henricae, filiae Friderici V. Palatini, Clarae, et Barbarae Zekelly.

Petrum, et Gabrielem Perénios in templo hoc Patakinensi, et non Terebessiensi fuisse sepultos euincit oratio, quam Basilius Fabricius Zikfay ludi-magister, de vita, et obitu Gabrielis in Sáros-Patak occasione funeris recitauit Witteb. anno 1568. in 4. plag. 6. typis Ioannis Cratoris impressa, cuius vnum exemplar nos quoque possidemus, et quae sequentes inscri-

ptio-

ptiones monumenti, areae, et vexilli sepulchralis subiectas exhibet.

Inscriptio monumenti.

Pannoniae proceres inter clarissimus Heros,
Vnica spes stirpis, lux, gloria sola *Perenae.*
Religionis honos, patriae pater (heu breue Regni
Solamen) populi dubiis in rebus asylum,
Pacis amans almae, bellis ciuilibus hostis,
Imperioque bonis clemens, at sontibus asper,
Securam solitus requiem praestare colonis,
Musarum portus, tuus o! Ecclesia vindex:
Quo Duce Pannonicis spes fulsit laetior aruis
Quo moriente labant, et squallent cuncta videmus.
Hic iacet ad luctum Regni, patriaeque perennem,
Illustris Gabriel Procerum decus ille *Perénus*
In templo, sibi quod pridem fundauerat ipse,
Qui licet hic summis perfunctus honoribus, amplum
Iam nomen meruit, cui funera nulla nocebunt:
Stemmatis ecce tamen fata lia stamina prisci,
Quod per sexcentos nunquam defecerat annos,
Finiit, et patriis obdormiit ipse ruinis.
Hunc Petrus in tumulum sua clauserat ante Perénus
Ossa parens, hanc qui vallauit moenibus vrbem.
Clara dehinc Mater Tekelini sanguinis, atque
Barbara dicta soror, rapuit quam parca priorem.
Vltimus his Gabriel iungit se nominis haeres,
Quae nunc tota domus cantat super aethera Christum.

Inscriptio arcae sepulchralis.

Illustri, ac Magnifico Heroi, genere pietate, honore, et virtute Inclyto, de Rep. et Ecclesia Vngarica optime merito, Gabrieli Pereno, Comiti perpetuo Comi-

Comitatus Abaújváriensis Supremo Curiae Regiae Iudici, feliciter, et sancte mortuo, anno aetatis 55. Christi 1567. Iun 28. amoris constantis ergo, maerens multis cum lacrymis coniux fidelissima Helena Ország posuit.

Inscriptio vexilli ad tumulum erecti.

Genere, Magistratibusque Spectabili, opibus Magnifico Domino Gabrieli Perénio: Comiti Abaujváriensis Comitatus perpetuo, eodem anno summo militiae super. Part. Ungar. Praefecto, et Tauernicorum Magistro, Consiliario S. Caesareae Regiae Maiestatis, et postremo Iudici Curiae Regiae, quem Posonii in Conuentu omnium Baronum lethalis dyssenteria confecit. 28: Iunii 1567. vixit annos XXXV. mensis XI. Vxor Helena Ország moesta.

Altera facies vexilli.

Gabrieli Perénio maximo Heroi finitam ob posteritatem Perenniacam miserando, virtutem perennem felici, cuius sexcentorum annorum familiam Illustrem cum Regni spe exigua breuis hora extinxit. Vltimus hic Hoeres patriae pene cineribus suos coniunxit. Aeterna spectans nomen aeternae vitae continuum parauit. Vicit anno 1567. IV.Calen. Quintil. triumphat aeternum. Vxor Helena Ország moesta amoris ergo posuit.

Annus natiuitatis 1532. vitae 55. et obitus ipsius 1567. sequenti chronostico in fronte orationis expressus est.

BeLLaCIs tVrCae stIrIa VrItVr eCCe CaterVIs.
NasCerIs Vt oabrIeL CLaras InVectVs aD aVras.
Nona neC aCta tIbI est Vt oLIMpIas, abstVLIt eheV.
Te patrIae InfraCtae LVX ah per aCerba peréne

Hele-

Helenae porró Ország, coniugis Gabrielis Peréni sepulchralis marmoris partem ex chrypta, dum Ecclesia anno 1783. instauraretur, protractam vidimus, et hoc epitaphii eius fragmentum descripsimus :

Vt quos certus amor vivos tenu — — — —
Foedere nec posset mors dissociare — — — —
Digna erat haec Helena Gabrieli — — — —
Nam praelustre genus, formae Spect — — —
Dotibus ast animi speciosior, ac — — — —
Virtutis solidae laudes cumulauit — — — —
Innumeris exculta bonis Heroidas — in — —
Pannonicas tamquam lux spectat.

Georgii II. Rákóczy sepulturam exhibebat vexillum funeri praelatum, ac vsque dum Ecclesia anno 1783. instauraretur, supra chorum pendulum, dein incuria, quibus conseruatio incumbebat collaceratum, cuius tamen dum adhuc integrum esset, inscriptiones descripsimus :

Ab vna parte.

Iehovae Vexillo suo.
D. T. O. M.
et
Memoriae aeternae Sacrum.
Fortis creatus Fortibus.

Celsiss. Georgius Rákóczy II. Dei gratia Transylvaniae Princeps, Part. R. Hungariae Dominus, et sic Comes, Principum Nepos, Filius, Pater, verae religionis cultor constantissimus, Confess. avitae columna, etiam spe regni tentata, sed immota libertatis Christiano Hungaricae assertor ardentissimus, populorum suorum,

rum, tametsi parte eheu! inuitorum, ingratorum, ad vltimum prudentiae defensor strenuus. Regum socius firmissimus, sociorum Principum oppressorum non semel, nec id suo sine damno fidus in thronum restitutor, qui regiam coniugem celsissimam Sophiam Báthory Illustriss. gnatum vnicum Franciscum, sanguinem denique suum Christiano nomini posthabuit. Heros magnanimus, tantum non ad excessum. Quem orbis timor Turca semper timuit, nunquam terruit, nedum domuit, et si semel superauit, permittente fato genti infenso; quam diu vivus (hei superstitibus iam enim mortuum breui non lugebunt, sed plangent seriotametsi sero posteri, maioribus saniores, si veri Hungari) vita ipsa, quam vel vnico terrae gentilitiae pede cedere malens, inter medias Barbarorum, regni Christiani inuasorum (Proh Hominum fidem; a suis contra se irritatorum, inuitatorum, introuocatorum) gladio suo fatali acervatim mactatorum cumulos, primum laethaliter sauciatus, demum VI. Iunii anno U. F. 1660. aetatis XXXIX mens. 4. in arce Váradino, Clavi Hungarorum a se sanctissime conseruata, pro Patria occubuit gloriosus, resurrecturus gloriosior regnaturus gloriosissimus.

Insignia Rákóczia-na.

Ab alia parte.

Hic est is Princeps, quo non animosior alter
Hic iacet Hungarico natus in axe leo
Moldaviae domitor, Valachorum fulmen, et horror,
Patronus pressi portus, et ara gregis.
Quis sit, quaeris adhuc? est nempe Georgius ille
Rákóczy Patris nomina magna gerens.
Transylvanorum, Siculorum Duxque, Comesque
Grandis natalis splendor honosque globi.

Cuius

Cuius in Illustri cerebro doctrina resedit.
Os cuius poterat cum Cicerone loqui.
Cuius et auspiciis ad Lippam Turca cruentus
Concidit, Hectoream gnarus adesse manum.
Hinc fremuit radibo Turcarum murmure Caesar
Mox et Pannoniam sanguine foedat humum.
Non tulit hoc ardens Princeps fortissimus Heros,
Ad Gyalu pugnam triplicat ergo grauem.
Quid? sternit, perimit, furibundos deiicit hostes,
Ipse suo tandem vertice vulnus habet.
Saucius et toto Varadinam fertur in arcem
Corpore, mente suum, laetus obitque diem.
Magnanimo cecidit cum Samsone, plurimus hostis
Principe sic magno Turca cadente cadit.
O cedro dignum facinus! nunc aurea tempe
Incolit in nitido Victor, ouansque polo.

In ponte arcis interioris visitur monumentum marmoreum Emerici Bezeredii, qui quod coniurationem Rákóczianam auersaretur, carnificis manu obtruncatus, ante portam arcis vitam posuit. Not. Hist. §. 730.

Erat Patakinum complurium etiam religiosarum familiarum domicilium.

Anno 1255. Claustrum ordinis praedicatorum in colle vitifero Patakinensi Szent-Vincze fuisse ostendimus. Not. Hist. §. 23. Claustrum idem

Anno 1322. incendio deletum, in eoque literae priuilegiales Comitibus Marcello, et Iuche super possessione Zsadány per Belam Regem datae conflagrasse exponuntur.

Monialium ordinis sanctae Clarae ad sanctam Annam Odoeum anno 1380. in Patak stetisse. Not. Hist. §. 51. probauimus, cuius rudera in suburbio vltra fossam hodiedum occurrunt.

Aliae

Aliae Moniales ordinis S. Vrsulae ad S. Spiritum e regione claustri Franciscanorum, nunc collegii Reformatorum, coenobium habebant. Patres autem Franciscani locum illum incolebant, vbi nunc collegium memoratum visitur. Not. Hist. §. 151. 179.

Patres Societatis Iesu Sophia Báthory anno 1666. adduxit. Not. Hist. §. 564.

Trinitarios de redemptione captiuorum anno 1694. fundauit Georgius Körössy, bonorum Rákóczianorum Praefectus, eorumque fundationem anno 1734. Princeps Thraúczon, et Comes Aspremonth aliis reditibus auxerunt.

Claustrum eorum hanc inscriptionem praesefert.

VnI, trInoqVe Deo, IoannI a Matha, feLICI a VaLoIs, Vtpote sVIs patronIs.
reLIgIosVs orDo sanCtae trInItatIs e pIorum obLatIonIbVs ereXIt.

Patakinensis conuentus Franciscanorum fuit reliquis conuentibus eminentior, quia fuit custodia, habens certum numerum tam conuentuum, quam fratrum sub sua directione: Pertinebant ad custodiam Patakinensem Conuentus Patakinensis, Szántouiensis, Czékensis, Sóvárinensis, et Homonnensis, in quibus anno 1525. numerabantur Patres 98. Erant tunc in Hungaria tales custodiae 10. numerus Conuentuum 73. numerus patrum, et fratrum 1473. vti testantur annales ordinis pag. 29.

Anno 1527. Celebratum est capitulum prouinciale in conuentu de Sáros-Patak dominica Iubilate, in quo in ministrum Prouincialem vnanimi patrum vocalium consensu iterato electus fuit pater Gabriel de Péch-

Váradino, licet iam senio confectus, fuitque in ordine quintus minister Prouincialis Annal. Ord. pag. 27.

Ad fundationem Monialium in claustro Sáros-Patak ad S. Annam degentium anno 1391. pertinebat medietas possessionis Thoronya.

Anno 1556. Ferdinandus rex annuit; vt Matthias Wiczmándy, et Sigismundus Thórda possessionem Sancti Monialium de Sáros-Patak, Csernahó vocatam occupare possint. Item

Anno 1560. Idem Rex confirmauit: vt Sigismundus Thórda possessionem Csernahó in Comitatu Zemplin existentem, olim ad Moniales S. Clarae in castro S. Patak degentes pertinentem, secundum transactionem cum Monialibus eiusdem ordinis in claustro Tyrnauiensi agentibus factam possideat. Mss. Kaprinay Tom. XXIII. pag. 20. 23.

Residentiae Iesuuitarum superiores sequentes ex actis publicis erui poterant.

Anno 1668. Matthias Sámbár.
— 1731. Balthazar Horváth.
— 1733. Ioannes Ribericz.
— 1736. Simon Róth.
— 1745. Franciscus Szabó.
— 1764 Ioannes Schotter.
— 1766. Paulus Iabróczky, sub quo:
— 1773. Ordo sublatus.

Ludum literarium iam ante cladem Mohácsianam Patakini fuisse ostendimus. Not. Hist. §. 174. quem dein Petrus Perénius

Anno 1531. In scholas Euangelicorum transformauit, filius Petri Gabriel stabilibus reditibus auxit, eiusque

iusque voluntatem Maximilianus II. Imp. ratam habuit, vti patet ex actis Diaetae 1662.

Susanna demum Lorándffy bonorum Király-Helmecziensium, et Dobó-Ruszkensium prouentus eidem scholae Patakinae legauit testamento in Patak 30. Octobris anno 1658. condito.

Schola haec anno 1672. per Sophiam Báthóry turbata transiuit Albam-Iuliam in Transyluaniam.

Anno 1683. Reuenit Patakinum. Rursus

Anno 1687. Vice altera loco dimota Gönczinum transiuit. Vnde

Anno 1695. Cassouiam translata.

Anno 1696. In suburbio illocata.

Anno 1703. Bello ciuili dissipata, antiquam suam sedem

Anno 1704. Patakini recuperauit, ibique hodiedum viget.

Inscriptio portae collegii sequens est.

Orate pro paCe hIerosoLIMae, postVLate Vt sInt beatI, qVI tIbI faVent. rIat paX In CIrCVITV tVo, et qVIes In ConCLaVIbVs tVIs. Psal. 122. Protege, conserua, conuertas, destrue, sana, primores, populum, hostes, rixas, vulnera nostra.

Professores eius inde ab anno 1531. erant sequentes:

1. Stephanus Kopácsy circa annum 1531. scholae praefectus fuit, sed qui hinc circa annum 1542. Wittebergam abiit, vnde redux, posteaquam Erdödini, et Rivulini ecclesiis, et scholis reformandis praefuisset, denuo Rivulino 1549. Patakinum ad regendam scholam, et ecclesiam reuocatus fuit. Quo eodem circiter

tempore, schola Patakiensis antea triuialis, formam collegii induit. Obiit tandem Kopácsy circa annum 1562. qua senior Dioeceseos Zempléniensis.

2. Ioh. Vitus Balsaratius circa annum 1560. Professor factus, obiit pastorem simul agens Patakini 1575.

3. Franciscus Czeglédy circa annum 1557 Stephano Kopácsy adiunctus fuisse videtur, senio iam fracto, vt eum laboribus imprimis scholasticis subleuaret, qui ei tandem, non tantum in officio pastoris Patakiensis, sed et in munere seniorali successit, eius simul gener existens, mortuus est Patakini circa annum 1590.

4. Basilius Fabricius Szikszóviensis, admotus fuit officio professorali anno 1561. hinc vero anno 1564. Claudiopolim vocatus fuit, unde 1566. denuo Patakinum rediit, atque ibidem qua professor anno 1576. mortuus est.

5. Petrus Beregszászy anno 1574. Lector Patakini creatus, inde Varadinum pro pastore abductus est. anno 1576.

6. Michael Paksy Fabricio suffectus esse videtur anno 1576. v. 1577. sed hinc Agriam pro pastore euocatus est. Cui successit

7. Georgius Caesar Cassoviensis anno 1578. qui simul pastor ecclesiae Patakinae constitutus, mortuus est ibidem anno 1586.

8. Matthias Thoraconymus anno 1580. vocatus ad professoratum, illi circa annum 1587. valedixit.

9. Casparus Pilczius successor Georgii Caesaris Cassoviensis datus circa annum 1587. quod tamen munas circa annum 1597. deposuit.

10. Casparus Pesthy muneri scholastico admotus circa annum 1591. munere quoque pastoris Patakini functus mortuus est. 1596.

11. Demetrius Krakay vel Karkay (vtroque enim modo scribitur) Professor constitutus, in hoc munere ad annum 1598. perseuerauit.

12. Emericus Katona Ujfalvinus Professor factus anno 1599. mox post tres, vel quatuor annos concionator aulicus Magnifici Sigismundi Rákóczy factus fuit:

13. Moses Kézdy-Vásárhelyi iam anno 1601. professor fuit S. Patakini, sed in hac statione vltra 4. v. 5. annos perstitit.

14. Ioannes Vásárhelyi probabiliter Emerico Katona successor datus circa annum 1603. adhuc 1608. professor nominatur, sed quando munus suum deseruit, non constat.

15. Ioannes Alexius Kecskeméti Mosis Vásárhelyi successor fuisse videtur ante annum 1608. qui anno 1609. pastor ecclesiae Patakinae constitutus fuit.

16. Michael Lány Szepsinus circa annum 1610. professor creatus, munus istud 3. vel 4. annis gessit, et circa annum 1613. pastor ecclesiae Gönczіensis factus est.

17. Stephanus Siderius Szikszoviensis professor constitutus anno 1612. et 4. vel 5. annis in eo munere perseuerauit, mortuus est anno 1623.

18. Georgius Koroz Szepsi anno 1614. Tokaino ex ministerio euocatus pro professore, non vltra triennium in eo munere perstitit, sed rediit Tokaynum, vbi anno 1620. minister fuisse refertur.

19. Georgius Lövey circa annum 1615. professor creatus, non vltra duos annos in isto munere exegit anno iam 1618. pastor Mádensis.

20. Ioannes Boros Szenczy introductus anno 1616. mortuus anno 1622.

21. Ioannes Filiczky muneri professoratus admotus, decessit anno 1622.

22. Martinus Day Muraközy in locum Szenczy introductus anno 1622. eodem adhuc anno peste sublatus.

23. Stephanus P. Tólnay cathedram occupauít anno 1622. ex qua anno 1626. pro concionatore aulico Georgii Rákóczy vocatus fuit.

24. Ioannes S. Simándy venit pro professore anno 1626. sed anno 1630. pastor ecclesiae Ujheliensis factus est.

25. Matthias D. Konyáthy muneri scholasico admotus 1626. ex quo Tólcsvam pro pastore abiit 1630.

26 Georgius Zemlényi ad munus correctoris euocatus anno 1626. ex quo anno 1631. Vinnam pro pastore abductus est.

27. Georgius Salánky pariter pro conrectore introductus anno 1629. iam anno 1635. pastor Mádiensis factus fuit.

28. Bened. Bákay successit Ioanni Simándy anno 1630. mortuus 1633.

28. Andreas Rúszkay professor factus anno 1631. pastor ecclesiae Bényénsis vero factus anno 1636.

30. Michael Dobroviczay professor creatus anno 1634. anno 1636. muneri suo renunciauit.

31. Paulus L. Szepsy anno 1636. muneri professoris admotus, illud anno vertente cum pastoratu ecclesiae Patakiensis permutauit.

32. Franciscus Veröczy anno 1636. rector scholae renunciatus, anno, et mensibus 8. in munere perstitit, et factus pastor Tállyensis.

33. Ioannes D. Bényey introductus pro collega anno 1637. eo se munere anno 1641. abdicauit, et iit pro pastore Mádensis ecclesiae.

34. David Valerius professor creatus anno 1637. et eo se munere anno 1641. abdicauit.

35. Stephanus Fövényesi Professor vocatus anno 1638. anno 1639. S. Szentpéterinum pro pastore abiit.

36. Ioannes D. Thólnay introductus anno 1639. sed anno 1642. Miskólczinum pro pastore abductus,

sed

sed denuo anno 1649. reductus, tandem pastor factus est Tarczalinensis anno 1656.

37. Daniel P. Kolossy anno 1640. professor creatus, mox anno 1642. pastor Beregszásziensis factus est.

38. Michael Szentpétery anno 1641. moderandae scholae admotus, muneri, et vitae anno 1645. finem fecit.

39. Ioannes Zebegnyey introductus anno 1643. anno 1646. munus scholasticum cum pastoratu Tállyensi commutauit.

40. Paulus Tarczali anno 1644. pro correctore vocatus, stationem hanc deseruit, et factus pastor Gönczensis.

41. Casparus P. Szepsy pariter corrector factus anno 1645. munere isto per vnum annum functus est.

42. Stephanus Benjamin Szilágyi Váradino Patakinum vocatus, anno 1645. Tólcsvam inde pastor ibi futurus anno 1647. transiit.

43. Alexander Húszthy anno 1646. introductus vix 6. menses in munere professorali transegit litibus Tolnaianis implicitus.

44. Ioannes S. Szempétery anno 1646. muneri admotus B. Kereszturinum pro pastore secessit, anno 1649.

45. Matthias Nógrády circa annum 1648. professor creatus, anno 1649. Debrecinum pro pastore evocatus est.

46. Ioannes Herczeg-Szöllösy anno 1647. in correctorem vocatus, circa annum 1654. pastor Tólcsvensis factus est.

47. Andreas Váczy anno 1648. professor creatus, anno sequenti 1649. munus pastorale amplexus est.

48. Thomas Ujváry pro correctore adductus anno 1649. muneri huic anno sequenti 1650. valedixit.

49. Ioannes Amos Commenius in reformatorem scholae euocatus fuit anno 1650. cui muneri anno 1654. valedixit, et Lissam abiit.

50. Stephanus Veresegyházy anno 1651. vel 1652. pro praeceptore classium superiorum perpetuo evocatus esse videtur, sed in eo munere quamdiu perstiterit? non constat.

51. Michael Tomfaeus Varadino Patakinum vocatus anno 1652. abiit hinc pro pastore B. Keresztúrinum 1653.

52. Stephanus Ötvös Szathmári anno 1653. muneri admotus conrectorali, in ministrum, Érsek-Ujvárinum euocatus anno 1656.

53. Paulus Szántay anno 1654. muneri professorali admotus minister Tólcsvensis factus est.

54. Michael Buzinkay anno 1656. professor constitutus, vna cum collegio per Sophiam Báthóry pulso, Transylvaniam petiit, et Albae-Iuliae in isto munere anno 1683. mortuus.

55. Samuel Lippay anno 1656. professor creatus anno 1657. eidem muneri valedixit, tandem circa annum 1660. etiam Debreczini professorem agens.

56. Melchior Báczonyi anno 1656. exeunte munus professorale suscipit, mortuus in isto munere anno 1662.

57. Ioannes Pósaházy anno 1657. in scholam Patakinam vocatus, pariter ac Buczinkay cum collegio in Transylvaniam abiit, et Albae-Iuliae anno 1686. suo in munere obiit.

58. Valentinus Köpeczy Med. Doct. anno 1665. professor tertius Patakinum vocatus est, ast muneri valedixit anno 1668.

59. Andreas Sellyey anno 1669. poedagogiarchae titulo vocatus, munus istud post tres menses cum pastoratu Patakiensi permutauit.

60. Ioannes Csécsy posq reditum studiosorum ex Transylvania anno 1686. Professor illis datus fuit, in quo munere inter varias vicissitudines administrato mortuus est anno 1708. Patakini.

61. Stephanus Simándy, Professor creatus anno 1709. anno sequenti 1710. ex peste obiit. *Hanc tumuli inscriptionem habet: Mykrokosmos erat — — — — — — — — cui natura parem non dedit orbe magum.*

62. Andreas Füleky introductus anno 1711. per factionem Ioannes Csécsy iun. anno 1717. exauctoratus, V. D. minister factus est.

63. Ioannes Csécsy iunior in Prof. inauguratur anno 1713. 20. Febr. sed anno 1734. vi mandati regii ab officio remouetur, priuatam suam vitam Patakini anno 1719. claudit.

64. Gregorius Szomolló Nagy-Mihályi introductus anno 1719. ob lites cum Csécsio, et disturbia ex ex illis enata, eodem mandato regio Caroli VI. Imp. et regis anno 1734 cassatur, Csátinum pro pastore abducitur.

65. Michael P. Szathmáry auus Maros-Vásárhelyino anno 1734. adductus anno 1744. in munere suo mortuus est.

66. Dávid Sárkány professor creatus anno 1734. anno 1758. senio, et hemiplegia fractus scholae valedixit, et Miskólczini vitam suam priuatam clausit 1762.

67. Michael Paxi Szathmáry filius, primum professor linguarum orient. Catech. et eloqu. factus est anno 1742. sed mox in ecclesiam Csatiensem secessit an-

1743.

1743. mortuo vero patre 1744. eidem successor datus est, in hoc suo munere ad annum 1771. perseuerauit, quando apoplexia tactus, et renunciatus, vitamque priuatam vixit ad annum 1778. quo mortuus est Patakini.

68. Stephanus Bányay introductus anno 1744. muneri valedixit 1767. quo et eodem breui post resignationem obiit Erdö-Horváthini.

69. Panlus P. Szathmáry proximi Michaelis frater Med. Doctor admotus officio anno 1759. illo, vt et vita sua defunctus est anno 1766.

70. Ioannes Szentesy huc euocatus anno 1767. anno 1781. vitam cum morte commutauit.

71. Stephanus Szent-Györgyi qua interimalis professor euocatus fuit anno 1767. mox 1770. pro ordinario declaratus, hodiedum munus suum continuat.

72. Michael P. Szathmáry nepos Mich. sub Nro. 65. filius vero Mich sub Nro 69. notati anno 1771. Patakinum ex Academiis appulit. Anno 1772. lectiones suas orsus est. Anno 1773. die 24. Ianuarii mortuus.

73. Gabr. Fülep Öry SS. Th. D. ex ecclesia Aszalouiensi in Profess. Theolog. et successorem Mich: Paxi Szathmáry euocatus anno 1773. praelectionesque suas die 22. Martii inchoans, easdem adhuc continuat.

74. Mart. Szilágyi anno eodem 1773. Sept. introductus anno 1790. vitam cum morte commutauit.

75. Ioan. Szombathy muneri admotus anno 1783. in eo hodiedum perseuerat.

76. Dauid Szabó successor Mart. Szilágyi datus in munus suum die 1. Maii 1792. inaguratur, illudque ad haec vsque tempora continuat. Signat. S. Patakini die 18. Octobris anno 1792.

Ministri euangelici Patakienses sequentes in Hist. Eccl. eorum pag. 597. recensentur.

Michaël Sztáray anno 1532. Paulus Arday.
Stephanus Kopácsy Steph. Kereszszeghy.

Franciscus Czeglédy A. 1568.
Casparus Pesthy
Georg. Caesar Cassouiensis obiit anno 1586.
Thomas Tholnay
Ioh. Alexy Kecskeméti ab anno 1609. vsque 1618.
Mich. Orvos Súri
Georg. Baloghi
Stephanus Károli 1629.
Ioh. Iüsüs Patakiniens.
Steph. Thólnay. 1632.
Petrus Tholnay.
Michael Pósahazy
Franciscus Vereczky.
Paulus Megyesy.
Sam. Lippay 1655.
Steph. B. Sellyei.
Petrus Szerencsy.
Mich. Várády,
Matthias Szántay.
Gregor. Némethy.
Paul. Ember Debreczeni. ab anno 1687.vsque 1695.
Petrus Gönyuy.

Celebris etiam typographia Rákocziana fuit Patakini. Meminit illius Paulus Walaszky in Conspectu Reip. Litt. pag. 205. Confessio Reformata Tarczaliensi Tordensis anno 1562. confecta, sub titulo: *Compendium Doctrinae Christianae* Patakini recusa latine, et hungarice. Anno 1655. Cura Principis Susannae Lórándffy, Georgii Rákóczy viduae. Exemplar reconciliationis cum Hungaris factae anno 1606. Conditiones pacis inter Romanorum Imp. Rudolphum II. et Aehomatem I. Sultanum. Item articuli diaetales 1608. 1609. 1613. 1618. 1622. 1625. 1638. 1647. 1649. Patakini typis editi recensentur in bibliotheca Cornides pag. 170.

Maximilianus Imp. et Rex oppido Saros-Patak, et suburbio Kis-Patak sequentes libertates concessit.

1. Per totum Regnum sint immunes a teloniorum solutione.

2. Eligant sibi iudices, qui tamen coram prouisore iuramentum deponant.

3. Eligant magistrum fori, qui habeat antiquas accidentias, siue prouentus, ex foro.

4. Habeant ius gladii, exceptis casibus laesae Maiestatis, proditionis, et incendii.

5.

5. Vina sua educillent toto anno, praeter 18. vasa vini in tribus terminis pro dominio educillanda.

6. Liberam inductionem mercium, et victualium habeant.

7. Soluta nona, et decima, vinum, fruges, et alia libere distrahant. Prouisor tamen habeat praeemptionem.

8. Praeemptiones in foro ante horam decimam matutinam non fiant.

9. Extraneis domos in oppido non habentibus, nec onera publica ferentibus, vinum educillare, et quaestum exercere non licebit.

10. Nobiles in oppido degentes iudici loci suberunt, et onera publica ferent.

11. Artifices in tribus, et cehas diuidentur.

12. Sigillo authentico oppidum vtetur.

13. Ministris ecclesiae prouentus per Gabrielem Perényi limitati expost etiam conceduntur.

14. Abusus exactionum tempore Perenianorum inducti tolluntur, vtpote vini penna, et nummi subtractitii in emptionibus, et venditionibus, ac vnice modus nonandi, et decimandi obseruabitur. Tenutorum vero liberam emptionem, et venditionem habebunt. Dat. in arce Wolkerstorff 21. Augusti 1572.

Ferdinandus II. nundinarum celebrationem tali regio diplomate indulsit: „ Ferdinandus II. Imp. et „ Rex ad requisitionem Illustris Georgii Rákóczy Prin„ cipis Transyluaniae, et quarundam Regni Hungariae „ partium domini, ac Siculorum Comitis pro parte „ prudentum, et circumspectorum, Iudicis, et Iura„ torum, caterorumque Ciuium, et inhabitatorum Ci„ uitatis, et oppidi Sáros-Patak in Comitatu Zemplén „ existentis habitorum nunc per eundem Principem ti„ tulo inscriptionis possessi, apud nos factam, tum

„ ve-

„ vero pro vtilitate, et commodo dicti Regni nostri
„ Hungariae, sed et incolarum, atque inhabitatorum
„ eiusdem Ciuitatis, et oppidi Sáros-Patak ad idem
„ oppidum quaternas nundinas liberas, seu fora an-
„ nualia libera in festiuitatibus, vnas quidem S. Gedeo-
„ nis, hoc est 30. Mensis Martii, alteras autem Do-
„ minica Exaudi, hoc est ipsa Dominica, quae festum
„ S. Pentecostes praecedit. Tertias festo S. Ladislai,
„ hoc est 28. Iunii. Quartas S. Gebhardi aempe 27. Au-
„ gusti etc. perpetuo celebrari duximus gratiose an-
„ nuendum, et concedendum etc. Dat. in Ciuitate
„ Nostra Vienna Austriae die 15. Mensis Iulii anno
„ Domini 1634. Regnorum nostrorum Romani 15. Hun-
„ gariae, et reliquorum 17. Bohemiae vero anno 18.
„ Ferdinandus m. p. L. S. Stephanus Sennyey Episco-
„ pus Iaurinensis m. p. Laurentius Ferenczffy m. p. "

Colles vitiferos habent oppida haec praecipuos Király hegy, Megyer, Szögfö, Darnó, Hoszszúhegy, et Szentvincze. In Megyer est etiam lapicidina saxi candidi, et molis idonei, ideoque tota hac ora celebris. Ibidem et fontem aquae frigidae, nitidae, et salubris obseruauimus. Seiungitur ab his septemtrionem versus collis peramaenus Somlyó dictus, vitibus ex omne parte consitus, qui olim mille, et amplius dolia vini proferens, pro vsibus mensae Rákocziorum colebatur. Subiecta erat colli amplior domus vinearia, et fons aquae saluberimae columnis ex secto lapide elegantis sculpturae circumseptus, ac quod mensae Rákócziorum deseruiret, *Fejedelem-Kúttya* vocatus, nunc rudera solum columnarum ostentat, ipse vero collis per vicinos ei Károly- et Tráuczonfaluenses incolas vite colitur.

§. 295. Vicinum est oppidis praedium Abaj-Homok, olim duas possessiones constituens. Nam anno 1366.

Abaj

Abaj fuit Ladislai, filii Ioannis de Tolchvva, Homok vero fuit Ladislai de Agóch possessio, vti literae intra possessionem Gáva, et oppidum Kis-Patak metas distinguentes perhibent: „ Conuentus de Lelesz petitio- „ nibus magistri Tauernicorum reginalium satisfacere „ cupiens, vt tenetur religiosos viros, fratrem Andre- „ am, cum Nicolao de Kúpony pro parte actoris, et „ fratrem Petrum cum discreto viro Domino Alexandro „ Plebano de Patak homine regio speciali pro parte „ ciuium de Patak in causam attractorum cum homi- „ nibus reginalibus, homines ipsorum pro testimoniis „ transmisissent. Qui tertio die octauarum festi Beati „ Georgii Martyris accessissent ad facies possessionis „ Gáva etc. vbi etc. possessiones Ladislai, filii Ioannis „ de Tólchwa, Felseö-Kenézlen, et *Aba vocatas* eis- „ dem recte vicinari etc. Item Ladislaus de Agóch „ dixisset: vt praetactae possessioni *Aba* possessio „ sua *Homoky* vocata vicinaretur ect. Anno 1366. Ex orig. opp. Patak. Possessiones hae post annum 1526. desolatae, demum ad arcem Patak per potentes eius heros occupatae. Anno 1666. residentiae Patrum societatis Iesu per Sophiam Báthory attributae, nunc praedia, ad parochum Patakensem Romano-Catholicum pertinent.

§. 206. *Ardó* olim *Ordó* pagus 1. classis ad ripam Bodrogi, solo fertili, 421. iugera terrarum arabilium, colonos Hungaros Graeco-Catholicae Religioni addictos habet. Anno 1590. telonium in eodem ab itinerantibus pro parte dominii Patak exigebatur. Not. Hist. §. 51. eosdem semper heros, quos arx Patakina expertus. Anno 1705. sub bellis ciuilibus desertus, et nonnisi anno 1720. nouis coloniis insessus.

§. 207. *Károly-falva* pagus, coloniis ex Sueuico circulo per Principem Ioannem Guilielmum Thraúczhon

hon deductis anno 1754. insessus, in plaga ex amplo oppidi Nagy-Patak terreno auulsa, quem a natu maiore memorati Principis Thraúczhon filio Carolo, Károlyfalvam compellare placuit. 1. classis 252. iugera terrarum arabilium numerat. Coloni Romano-Catholici, suae religionis locali capellano prouisi. Exstinctis Principibus Thraúczhon ad dominium camerale Patak pertinent.

§. 208. *Thraúczhon-falva* pagus coloniis pariter ex Sueuico circulo per memoratum Principem deductis anno 1754. insessus in plaga ex amplo oppidi Patak terreno auulsa, quam a suo nomine Thranczóniam villam compellauit, 1. classis 543. iugera terrarum arabilium, colonos Romano-Catholicos Károlyfaluensi capellaniae affiliatos habet, et ad arcem Patak pertinet.

§. 209. *Hotyka* pagus inter montes 2. classis, 359. iugera terrarum arabilium, glebam frumenti feracem, syluas amplas, colonos Hungaros Helu. Confessioni addictos oratorio, et ministro suae confessionis prouisos habet. Pertinebat olim ad familiam agnominem, demum ad Zörcheky de Hotyka, nunc possessioni dominantur familiae Görgey, Baiusz, et Gamcsik.

§. 210. Tertius districtus in processu Tokaiensi est Megyaszoviensis, in eoque finitima possessio *Kis-Csécs*, olim *Possa Csécs* 1. classis glebam frugum feracem 455. iugera terrarum arabilium, colonos Hungaros Helu. Confessioni addictos habet. Fuit olim haeredium familiae Possa, dein Girincsy, quibus in sexu masculino exstinctis, anno 1732. possidebatur per nobiles Ioannem Szepessy, et Alexandrum Bay, hodie per Comitem Gabrielem Döry, et Baronem Ignatium Eöttvös ex connubio cum Barone Maria Szepessy possidetur.

§. 211. *Girincs* pagus in Sajonis amnis ripa, 1. classis, glebam fertilem 854. iugera terrarum arabilium

mo-

molam Sajoni fluuio impositam, colonos Hungaros religioni Romano-Catholicae addictos, templo, et paro-cho prouisos habet. Erat olim familiae Girinczy, sed huius masculis haeredibus exstinctis anno 1366. transiuit in filias Girincsiorum vti perhibent statutoriae §. 115. memoratae. Per connubia harum transderiuata est in familiam Beke, et ab hac in familiam Nikhazy, potremo in familiam Nikházy, postremo in familiam Comitum Döry, per quam hodie possidetur. Ex his Andreas Döry anno 1730. castellum ibidem exstruxit in formam quadranguli, turriculis quatuor angulos exornantibus. Sajonem quoque solido ponte iunxerat, sed quoniam patres Paulini iniuriam sibi fieri ob auersionem commeationum questi sunt, Dörius pontem magno publici damno diruere debuit. Filius huius Franciscus Not. Hist. §. 764. nominatus amplissimos in regno honores, et Comitis axioma consecutus, amoto Helu. Confessionis loci ministro parochiam catholicam fundauit.

§. 212. *Köröm* pagus ad confluxum Hernadi cum Sajone 1. classis. 901. iugera terrarum arabilium, glebam fertilem, syluas glandiferas, colonos Hungaros Romano-Catholicos, parochiae Girincsiensis affiliatos habet. Pertinebat ex fundatione Georgii, et Petri Zudar anno 1387. facta ad conuentum Paulinorum Sajó-Ladensium, sed ordine hoc anno 1786. sublato iure Camerae regiae administratur. Erat hic olim traiectus naualis, et ipse locus nonnisi a nautis habitabatur, sed postquam in pago vicino Girincs anno 1728. pontem Sajoni impositum Andreas Döry diruere debuisset, patres Paulini, qui priuilegium teloniale hic praetendebant, ad exstruendum pontem, sternendasque vias mandato regio adacti sunt, et locus ipse coloniis insessus pagi formam accepit. Memorabilis est loci

cam

campus a clade Tartarica anno 1241. a conuenticulo Rákoczianorum anno 1707. Not. Hist. §. 20. et 724. templum anno 1729. et amplum diuersorium anno 1760. Paulini erexerunt, vti inscriptio solaris in diuersorio horologii testatum reddit: qVaM CIto feLICes erIpIt hora DIes.

§. 213. *Hidvégh* pagus ad amnem Hernadum, 1. classis glebam fertilem, 1524. iugera terrarum arabilium, colonos Hungaros, Helu. Confessioni addictos, oratorio, et ministro prouisos habet. Olim trans Hernadum iacebat, sed postquam amnis alueum perrupit, solum templum mansit trans aquam, pago vlterius translocato. Pertinebat olim ad arcem Ónod Rákócziorum.

Anno 1633. Volebat esse oppidum haydonicale Not. Hist. §. 446. anno 1648. inscriptus fuit Petro Mosdossy. Anno 1732. eidem Szirmay, et Csikinyi dominabantur, demum Comites Török, nunc heros agnoscit Comites Aspremonth, et nobiles Almássy.

§. 214. *Berzék* pagus in eadem Hernadi ripa pari terreni qualitate 1. classis, 1157. iugera terrarum arabilium, colonos Hungaros, Helu. Confessioni addictos habet. Anno 1732. possidebant locum nobiles Malonyay, et Murakózy, nunc paret pluribus vtpote: Fay, Sturman, Potóczky, Kóos, Major, Malonyay, et Iósa.

§. 215. *Külsö-Böcs* pagus ad confluentem fluuiorum Hernád, et Barsonyos, quasi exterior Böcs, ad discrimen interioris vulgo Belsö Böcs in comitatu Abaujuár siti, 1. classis gleba ferace, incolis Hungaris, Helu. Confessioni addictis, 723. iugera terrarum arabilium numerat, ditionis olim Rákóczianae, dein anno 1730. Csikinii, et Thomae Szirmay, hodie Comitis Aspremonthii.

§. 216. *Hernád-Némethi* olim *Nempti* pagus, in Hernadi ripa, gleba fertili 1. classis, incolitur ab Hungaris Catholicis, et Evangelicis, parocho, et templo ministro, et oratorio prouisis.

Anno 1254. Post cladem a Tartaris acceptam insessus fuit colonniis ex Germania deductis, et ideo sicut *Olaszi* ab Italis, *Némethi* a Germanis dictus. Exstat superinde diploma Belae Regis in tabulario Comitum Aspremonth, per quod *Teutonici de Nempti* iuxta fluuium Honrad residentes, tamquam in fide regia ad Hungariam euocati a iudicum paroçhianorum iurisdictione anno 1245. eximuntur.

Anno 1500. Possidebatur per familiam de Zápolya.

Anno 1527. Familiae Thúrzó. Not. Hist. §. 164.

Anno 1596. Sigismundo Rákóczy donatus. §. 131.

Anno 1635. Volebat esse oppidum haidonicale. Not. Hist. §. 446.

Anno 1711. Post profugium Francisci Rákóczy in Fiscum regium deuolutus, medietasque pagi sorori Rákóczii Iuliannae, nuptae Comiti Aspremonth attributa, altera medietas donatione Caroli IV. Imp. Baroni Iacobo Mesko collata anno 1730. pars Aspremonthiana in pignore per nobiles Szirmay, Iósa, et Wáhll possidebatur, sed redempta hodie per Comites Aspremonth possidetur.

§. 217. *Kak* pagus, olim *Kok* in eadem Hernadi ripa, 1mae classis 1055. iugera terrarum arabilium fertili solo complectitur. Fuit locus ab anno 1560. bellis civilibus desertus. Anno 1750. coloniis ex Bohemia per loci herum Gabrielem Sisáry deductis insessus, sed quia Hussitarum sectam in Hungaria non receptam adductae coloniae profitebantur, carcere, et verberibus ad amplectenda catholica Sacra adactae maxima in parte dilapsae sunt. Nunc inhabitatur a Catholi-

licis, iisque Hungaris herosque agnoscit nobiles Sisáry, Szemere, Fáy, Iósa, Batta, Széky, Gotthárd, Mezössy, et Baronem Meskó.

§. 218. *Gesztely* olim duae possessiones *All-* et *Fell-Geztell.* Not. Hist. §. 50. nunc pagus, in Hernadi ripa, 1. classis, solo fertili 2905. iugera tərrarum arabilium numerat, incolis Hungaris Confessionis Helu. quamuis et Catholici intersint. Olim anno 1400. ad familiam Drugeth pertinebat: demum anno 1560. transiuit ad Rákóczios, anno 1635. praerogatiuas oppidi haydonicalis sibi vendicabat. Not. Hist. §. 446. Fuitque familiae Orosz de Csicser, hodie partim per connubia, partim emptionis titulo a pluribus possidetur, vtpote nobilibus Orosz, Fogarassy, Kapy, Horváth, Széky, Fay, Szmrtnik, Szepessy, Rok-falussy, Komjáthy, Úray, Balogh, Baksy, Fekete, Bassa, Szentgyörgyi, Megyeri, Huszszár, Ghilányi, Kassay, et Barone Döry.

Anno 1705. fuit locus desertus.

Anno 1746. nouis coloniis insessus.

Memorabilis locus est a natiuitate et incolatu nobilis Sigismundi Orosz de Csicser, qui procera corporis statura, robustisque lacertis natus militiam secutus, superiorque Locumtenens legionis pedestris Gyulaianae anno 1757. creatus omnibus acerrimis belli Borussici septennalis conflictibus interfuit, et quamuis manu vbique strenuus fuisset, nullum tamen vulnus ab hoste reportauit. Tandem bello acerrimo pace sopito, e militia dimissus omnem late viciniam immanibus excessibus diuexauit, propter quos ad decennales carceres in domo correctoria Szempcziensi subeundos anno 1773. per Magistratum Comitatensem damnatus cum inexplebili semper odio in Slavos ferretur, socium in captiuitate Slavum, vt sibi ipse suspendio mortem consciscere-

ret, persuasit, morasque nectenti lorum e caligis suppeditauit, subtractaque pendenti sella, cum iam animam pendulus ageret, tunc primum Praefectum domus correctoriae pro ope ferenda inclamauit, superadditis pro hoc facinore Oroszio adhuc quinque annis, in subterraneo carcere, compedibus, et ieiunio subeundis, expleta poena domum reuersus, neque tunc insolentes mores deseruit, sed cum iam grauiora patrare metueret, pertranseuntes per pagum honestissimos quosuis detinuit, et hospitalitatis specie, aduocatis quos praesto semper habebat musicis Zingaris, ad saltum, largioremque vini potum, intentatis etiam verberibus coegit. Senio tandem confectus, cum iam mortem sibi instare videret, proposito poetis praemio, epitaphium sibi fieri expetiit, inter plures iudicio Sigismundi lauream obtinuit Ioannes Banóczy parochus catholicus Litkensis, cuius versus lapidi suo sepulchrali viuens incidi fecit:

Ille Sigismundus, quem nouit perbene mundus,
Hunno patre satus, sed *Orosz* ob stemma vocatus,
Praeda iacet mortis, fuit et si corpore fortis.
Vinceret vt mortem, Martis perceperat artem;
Est tamen hic victus, quia mortem non capit ictus,
Vitae sex denos septem et numerauerat annos
Dismam sectatus, factus cum fine beatus
Mortuus anno 1796. 12. Iulii.

§. 219. *Csanálos* pagus in eadem Hernadi ripa, 1. classis, glebam vini, et frumenti faracem, 1656. iugera terrarum arabilium, coloniam antiquam Hungaricam Helu. Confessioni addictam habet. Fuit olim gentilitius §. 106. familiae agnominis Csanalóssy, sed hac in sexu virili exstincta anno 1556. datus in praemium fortiter defensi Zigethi Marco Horváth Stansich de Gradech, estque haeredium familiae hodiedum superstiti-

stitis, cui tamen sobole mascula carenti in sexum masculinum praefecta est Anna Horváth Stansich de Gradecz Andreae de Szirma conthoralis. Frequentes loco vineae sunt, et in medio pagi mola, haud praetereundi operis.

§. 220. *Hopporty* pagus ad Hernadum fluuium 1. classis, gleba fertili, 708. iugera terrarum territorio complectitur. Colonis Hungaris Helu. Confessioni addictis, nobilibus Szepessy, et Thúránszky subiectis.

§. 221. *Kázmér, alias Alsó-Dopsza* pagus distinguitur a Dopsza superiore Abaujvárinensi in Hernadi ripa, 1. classis, gleba omnis generis seminum ferace gloriatur, accliuitatem vero pago supereminentem vestiunt vites, 886. iugera terrae arabiles efficiunt. Hungaricus locus est Helu. Confessionis. Fuit olim familiae Dopszay gentilitius, et cum locum vnus e stirpe Casimirus possedisset, Kázmér-Dopsza compellari coepit anno 1521. „Ioannes de Zápolya comes Scepusi„ ensis testimonium perhibet: Andream de Dopsza „ bene, et viriliter semet in castris gessisse. Wagner in Mss. anno 1590. Dopsza fuit pagus Rákócziorum anno 1730. partes eius tres tenebant Alexander Plathy, et Iulianna Ibrányi, parte quarta ad Püspökios, et Ubrisios pertinente. Anno 1790. tres partes comes Ludouicus Török possidebat, per comitem Aspremonthium redemptas, reliquam partem tenent Baro Michaël Way, et successores Pauli Pútnoky.

§. 222. *Megyaszó* oppidum 1. classis occupat depressam planitiem, vndique agris frumenti feracibus ac 5550. iugera constituentibus, qua vero erectior est humus, vineis circumseptam. Incolae Hungari, sunt omnes Confessionis helueticae, oratorio eis, et pastore suppetente. Parebant olim anno 1392. familiae Monaky §. 123. et hac in sexu virili exstincta, pars oppi-

di-

di ditioni Szerencsiensi, pars ditioni Monokiensi attributa est.

Anno 1663. Grauis tumultus contra statiuantem militiam in Megyaszo concitatus. Not. Hist. §. 540.

Anno 1713. Terrae motu colles aliquot vitiferi Megyaszouiensium subsederunt. §. 187.

Hodie dominantur oppido comites ab Aspremonth, et Andrássy, ac nobiles Almássy. Inhabitatur praeterea a pluribus nobilibus, domino tamen censum soluentibus: vtpote: Majosházy, Nagy, Kornis, Sólyom, Sebö, Barát, Császár, Illés, Csérepy, Oláh, Ferenczy, Mólnár, Ördög, et Szilágyi.

§. 223. *Monok* pagus 1. classis, terram fertilem, colles vitiferos, syluas glandiferas, 3439. iugera terrarum arabilium habet, coloni loci Hungari religionis catholicae, et helueticae, hi oratorio, illi templo gaudent. Fuit familiae Monaky §. 120. memoratae gentilitius, sed hac in Nicolao in sexu virili exstincta, filiaque eius Anna, Petri Andrássy consorte in sexum masculinum praefecta, possidetur hodiedum per comites Andrássy, quorum duo castella hic visuntur. Comitis praesertim Stephani Andrássy est structurae eximiae, adiuncto horto ambulacris, statuario, et hydraulico opere insigni. In capella castelli huius publicae venerationi expositum asseruatur corpus S. Urbani corruptionis expers Roma allatum.

Anno 1652. Monok fuit possessio Turcarum dedititia.

Anno 1730. Per comites Nyáry, et nobiles Szent-Miklóssy in pignore possidebatur.

§. 224. *Legyes-Bénye* pagus, 1. classis, pari laetatur soli qualitate partim collina, partim campestri, et frumenti ferace. Agri 2089. iugera efficiunt. Fuit adhuc anno 1739. desertus, iam aetate nostra colonis

Hun-

Hungaris catholicae, et helueticae religionis insessus, possideturque per comites Aspremonth, nobiles item Desseüffy, Patay, Way, Püspöky, Mazsáry, Bessenyey, Békéssy.

§. 225. *Golop*, olim *Glúp* pagus 1. classis, terra fertili, 908. terrarum arabilium numerat, pars eius inferior cis riuum Sás-pataka dictum, vocatur Alsó-Golop, et ad Zempleniensem, pars superior Felsö Golop ad Abaujvárinensem comitatum pertinet. Fuit olim familiae Golapy §. 115. memoratae gentilitius, cui exstinctae successit familia Vay, quamuis aliquam partem etiam comites Andrássy possideant. Incolae sunt Hungari Helu. confessioni addicti, oratorio ministroque suae confessionis prouisi, catholici parochiae Monokiensi affiliantur. Est et in loco castellum nobile Wayorum, ac modica incolis vitis cultio.

§. 226. Sequitur iam secundus processus Ujhelien-sis, duos districtus Ujheliensem, et Gálszécsiensem complectens, in cuius priori districtu occurrit primus pagus *Imregh* 1. classis in ripa Bodrogi, ad radices montis sui nominis, glebam sementi haud inimicam, 518. iugera terrarum arabilium, colonos Hungaros, Slavis mixtos romano, et graeco catholicos habet, fuit familiae Imreghy de genere Koplon gentilitius §. 117. nunc in maiori parte per barones Barkóczy possidetur, quamuis et nobiles Bodó aliquam partem teneant, per Gabrielem Szirmay, et Evam Iászay in eos anno 1708. deriuatam. Castellum Barkócziorum pago adiacet aedificio capace. Id anno 1614. exstructum, inscriptio in cubiculo absidi inscripta innuit. In monte pago supereminente occurrunt saxa excisa, vrnae, et lapidis, metallique signati fragmenta, manifesto indicio: Romanos, qui Zemplinii degebant, coloniam suam hucusque dispersam habuisse. Ad radicem montis meridiem versus

sus est vinea per baronem Sigismundum Barkóczy anno 1732. plantata, parte ex alia orientem versus claustrum fratrum minorum ordinis S. Francisci ex residentia Radensi anno 1760. per baronem Emericum Barkóczi horsum translocatorum, cuius conuentus ortum, et progressum taliter a patribus descriptum accepimus: „ Georgius Melith de Priber motus singulari „ amore erga sacrum Franciscanorum conuentualium „ ordinem, tum zelo animarum in insula Tisza Bodrog- „ köz sine consolatione spirituali existentium residen- „ tiam Radensem pro quatuor personis religiosis, vt „ ibidem animabus seruirent, ac pro ipso orarent an- „ no 1637. fundauit, et dotauit, vti et patres in ean- „ dem introduxit, quos ipse, usque dum vixit, aluit, „ aedificans eis tres tractus per modum conuentus, „ quartum tractum circa finem vitae suae continuan- „ dum, commendauit fratri suo germano e superstiti- „ bus natu majori catholico, cui etiam perficiendo le- „ gauit flor. quingentos, iusque patronatus eidem, ac „ futuris natu maioribus catholicis detulit, qui imper- „ fecto opere mortuus, in sacello Szerednyensi a se „ aedificato tumulatus, et sic pia fundatoris mens, „ et intentio fine suo caruit, ideo vel plurimum quod „ per nefarios Gabrielis, et Stephani Bethlen, Fran- „ cisci Réday, Georgii Rákóczy senioris, item iunioris, „ Ioannis Kemény, Achatii Bacsaj, Michaelis Apaffy „ senioris principum Transyluaniae, partiumque regni „ Hungariae motus, annis multis gliscentes, omnia sus- „ deque turbata sint. Consequenter et Radini patrum „ aliqui loco pulsi, alii mactati sunt, inter quos anno „ 1639. V. Frater Stephanus Iglódy in Rozvágy natus „ 6. Nouembris missus ad benefactricem Lonyaianam „ in nemore Kis-Géresiensi incidit in duos notos suos „ Helu. confessionis (et vt fertur consanguineos) qui vt

„ fi-

„ fidem abnegaret instant, sed firmum experti arbori
„ alligatum duobus ictibus per modum crucis capiti
„ inflictis sauciarunt, gutturque gladio aperuerunt,
„ et in odium fidei enecuerunt, quem e fossa erutum
„ Reuerendissimus Simandy episcopus Transyluaniae,
„ et Praepositus de Lelesz die 18. Nouemb. anni citati
„ Leleszini in capella S. Andreae sub titulo S. Crucis
„ sepeliri curauit, dispulsis dein e residentia etiam
„ patribus, bona ad sustentationem legata, occupauit
„ potissimum familia Diuényiana, et aliae, quae per
„ sexum faemineum e familia Melithiana descenderunt.
„ His igitur temporibus aperte permanere non poterant,
„ sed penes priuatos patronos solum latitabant, vti
„ P. Martinus Erdö ab anno 1675. ordinatus praesidens
„ residentiae vsque annum 1679. latitando vixit, quo
„ anno P. Augustinus Nemsószky a rebellibus Radini
„ mactatus est.

„ Nondum ex integro sedata haec reuolutio, Eme-
„ ricus Tököly circa 1681. grassari incepit, sub quo
„ res catholicorum, praecipue vero religiosorum ma-
„ gis adhuc turbatae fuerunt. Fertur ignotos nomine
„ duos conuentuales e residentia Radensi ad syluas
„ ductos ac nudos arboribus alligatos a culicibus, et
„ muscis esse consumptos, cuius quaedam mulier
„ Király Helmeczіensis oculatam se fuisse testem co-
„ ram multis iure iurando asseruit, referendo; dum
„ puella fuisset, missa erat a matre sua catholica oc-
„ culte ob viri metum (Helu. enim confessionis erat)
„ vt panem, et aquam martyribus ferret, culicesque ab
„ iis abigeret; alium item e religiosis Radensibus in fon-
„ tem lapideum fundi Diuéniani iniectum, et ibidem
„ suffocatum dicunt, qui (vt vulgus fert) ideo longo
„ tempore non hauriebatur. Tandem vt fidedigne, ac
„ conscientiose retulit Georgius Somlody plusquam

„ octo-

„ octogenarius ánno 1684. post residentiam funditus
„ euersam, omniaque direpta, rediisse Radinum P. P.
„ Bernardinum Bokcsa, qui nondum cessantibus tur-
„ bis, aliquot annis constanter permansit Radini,
„ benefactorum munificentia alitus. Disparente tandem
„ Tökölio collegit seditiosos, Franciscus Tokay, qui
„ praedonum more anno 1697. arces Tokay, et Sáros
„ Patak vna nocte occupans praesidium Germanicum
„ excidit, nundinas Ujhelienses ad initium Iulii ser-
„ uari solitas inuasit, multorum ibidem fundens sangui-
„ nem, qui tamen post multas in Bodrog-köz, et
„ Nyir factas insolentias interceptus, Viennamque de-
„ ductus, vbi vt bellua catenae alligatus periit. Sub
„ cuius grassationibus etiam contigit (vt fidedigne
„ retulit Alexandri Iesztrebi, subditi baronum Ghilá-
„ niani vidua) duos e patribus in residentia suspen-
„ sos, ac ab inimicis fumo supposito diu mortificatos
„ et vstulatos fuisse, interim quo tandem deuenerint?
„ dicere non potuit, sed eos amplius non fuisse visos:
„ de tertio fassa est se pro certo scire, quod ad fon-
„ tem residentiae vsque ad aquam descenderit, ibi-
„ que se occultauerit usque tempus vespertinum, quo
„ tempore maritus suus Alex: Iesztreby amicus pa-
„ trum misericordia motus extractum ad Zétény no-
„ cturno tempore duxit, sed nec ibidem videns se-
„ curitatem prae timore, quasi exanimem tulit Lele-
„ szinum.“

„ Neque mirum quod religiosi isti tantas in Bo-
„ drogköz persecutiones sint passi, cum et ipsi magna-
„ tes in fortioribus castellis existentes vti B. Sennyey
„ in Tárkányiensi, B. Vécsey in Patakinensi arce occi-
„ si sint. Franciscus autem L. B. Klobusiczky, rem
„ occultam detegente suo vinicola Patakiensi, per Ung-
„ várinum ad domum suam Eperiessiensem se recepit,

„ Mar-

„ Martinus vero Krúcsay Vice-Comes Comitatus Za-
„ bolchiensis per asseclas Francisci Tokay in nundinis
„ Ujhelyiensibus spoliatus, rusticanis vestibus pedes
„ redire Kis-Várdinum coactus est. His successit re-
„ volutio Rákócziana, qua durante etiam nullus in re-
„ sidentia progressus, sed ea sopita, anno 1712, residere
„ eaque, quae modo exiguae videntur e fidelium Elee-
„ mosinis adificare coeperunt patres continua serie per
„ prouinciales dispositi, donec anno 1760. nouo con-
„ ventu per Baronem Emericum Barkóczy Imreghini
„ exstrui coepto illuc translocati fuissent, Radini so-
„ lum capellania locali relicta.

§. 227. *Szürnyegh* pagus 2dae classis solo arcto, et sabuloso ad Bodrogesa amnem in Labarczám influentem, et radices montis Avas, syluis circumseptus, agrorum 250. iugera numerat, coloni sunt Slaui Graeco-Catholici paucis Hungaris mixti, quibus plures sunt domini, Barones vtpote Barkóczy, et nobiles Bernáth, Kazinczy, Nedeczky, Csengery, Püspöky, Rédey, Zóltán.

§. 228. *Bodzás-Ujlak*, aliis *Nagy-Ujlak*, ad distinctionem alterius Kis-Ujlak in insula Bodrogana siti, pagus 1mae classis, gleba fertili, syluis tamen carens 1936. iugera agrorum complectitur, coloni in eo sunt Hungari, Helvetiae confessionis, Slauis Graeco-Catholicis mixti, vtrique templis, et parochis suae religionis prouisi.

Anno 1254. Rollandus palatinus hic congregationem celebrauit. Not. Hist. §. 24. qui et loci possessor erat. Expost pertinebat ad familiam de Bacska, cuius stirps pagum possidens scribebatur etiam Ujlaky de Bacska.

Anno 1548. Possedit locum, tamquam castri Garany appertinentiam Stephanus Losonczy arcis Temes-

siae

siae praefectus, qui dedita arce cum Turcae datam ei fidem non seruarent, fortiter cum suis Turcas adortus, ibidem occubuit.

Anno 1620. per Ferdinandum II. Imp. Comiti Sigismundo Forgách Palatino cum castro Garany donatus.

Anno 1720. Nobilibus Bégányi per Comites Forgách in pignus datus.

Anno 1750. Cedentibus Forgáchiis per Ioannem Okolicsány Consiliarium regium, et Vice-Comitem Zempléniensium relutus. Hodie per familiam Almássy de Zsadány, et Török Szent-Miklós ad castrum Garany perennalis emptionis titulo possidetur.

§. 229. *Barancs* pagus occupat planitiem torrente Helmeczio irriguam, ideoque fertilem 1mae classis, 886. iugera agrorum, colonos Slauos paucis Hungaris mixtos, Romano-Catholicos, templo, et parocho prouisos habet. Fuit olim familiae Baranchy gentilitius, eaque in sexu virili exstincta per filias in familiam Oroghványi transiuit.

Anno 1730. Possidebant pagum maiori in parte Nobiles Barkóczy, Klobusiczky, Boka, et Unghváry, hodie plurium est possessorum, vtpote partem aliquam ad dominium Garany tenent Almássiani, aliquam Camera regia ad possessionem Kiszte fundi religionarii, notabilem partem possidet nobilis Püspöky, reliquum Héczey, Boka, Unghváry, Pap, Kulin, Balog, Pilisi, Regéczy, Liptay, Csegödy, Csömöröky, Horváth, Szikszay, Bernáth, Bottka, Tamáska, Hronkovics, et Bárczy.

§. 230. *Garany* pagus 1mae classis solo pingui, foeniseciis laxis, ac syluis glandiferis gaudens, 489. iugera agrorum complectitur. Castrum pago adiacet, ab occasu loco paululum erecto, aedificio vasto, turriculis

culis duabus ab oriente subnixo, fossa alta incinctum dominii Garany caput.

Anno 1530. per Losonczios exstructum, eosdem expost, quos possessio Ujlak §. 228. heros habuit, agnoscitque hodie memoratam ibidem familiam Almássy, castellum ab oriente despicit paludem Szélestó dictam, quam Bodrogi, et Ondavae eluuies efficit, haud procul supra confluentem Laborczae cum Ondaua est mola Almássiorum grandioris structurae, *Gödény* dicta, densis arboribus, quercis, et populeis circumdata, alioquin et nemus Avas. §. 54. memoratum huc pertinet: ante castellum eminet templum, quod multis olim Catholicorum, Evangelicorumque contentionibus ansam dedit. Not. Hist. §. 453. art. 6. 1647. Evangelicis redditum, per eos adhuc anno 1730. dominantibus Bégányianis possidebatur, dum anno 1750. Ioannes Okolicsinyi Vice-Comes, et castri dominus illud vsibus Catholicorum addixisset.

§. 230. *Kazsú* olim *Kasúh* pagus 1mae classis in eadem planitie, penes riuum Helmecz, solo fertili, iugerorum 603. colonia hungarica Slauis mixta Catholica, Helv. partim confessionis, oratorio, et ministro prouisa, olim gentilitius familiae Kasuhy §. 118. memoratae, ea vero in sexu virili exstincta, per filias in familiam Bernáth de Bernáth-falua maiore in parte deuolutus, quamuis et Nobiles Iánosy, Noska, Bárczy, Pilissy, Göcze, et Súghó in aliqua parte comportionati sint.

Est in pago cultior habitatio Consiliario aulico, et Tabulae Septemviralis Co-Iudici Iosepho Bernáth, quam genitor eius Ioannes Evangelicorum supremus curator anno 1764. exstruxit. Ipsa porro familia Bernáth ex Comitatu Abaujvàriensi, possessione Bernáthfalva oriunda, est vetustae nobilitatis, vti docet diploma Ferdinandi I. Imp. „ quo attentis fidelibus seruitiis nobilium Briccii,

„ Ioan-

„ Ioannis, Stephani, et Lucae Bernáth fratrum car-
„ nalium de Bernáthfalva, eosdem ex nobili prosapia
„ oriundos nouo nobilitatis titulo, siue pedis humani
„ dextri, cothurno, et rubeis caligis induti, supra ge-
„ nu vulnus, ac frameam nudam illi infixam habentis
„ insignibus ornat, ac totalem possessionem eorum
„ Bernáthfalva vocatam in Comitatu Abaujvariensi ha-
„ bitam, in cuius pacifico dominio praefuerant, iis-
„ dem nouae donationis titulo donat. In arce Posonien-
„ si 3. Octobris anno 1563. Ex orig. Fam. Bernáth.

§. 232. *Hardicsa* pagus 1mae classis, solum et huic campestre, fertile, sed stagnante ibidem Helmeczio vliginosum, 741. iugera agrorum efficiens, incolitur aeque mixtis incolis, potioribus tamen Hungaris Helv. Confessioni addictis. Pertinebat olim ad arcem Terebes, hodie per familias Almássy, et Bernáth possidetur.

§. 233. *Töke-Terebes* oppidum amplum, 1mae classis occupat locum campestrem, haud procul a fluuio Toplya, ideoque est solo pingui, 3315. iugera agrorum complectente, colonia frequens, Hungaris, et Slavis mixta, Romano, et Graeco-Catholicae religionis, suis templis, et parochis prouisa. Olim in triplex oppidum *All-Fell-Közép-Terebes*, ac vicum subarcensem *Párics* subdiuidebatur. Arx ei erat extra oppidum ad orientem loco pariter plano, e gesta humo erecto fossa alta praecincta, in quam amnis Tarnóka facili negotio deriuabatur. Primi arcis conditores erant *Paris* nomine, a quibus arx *Paris*, et oppidum etiam *Páris-Terebes* compellabatur. Natales suos, sicut pleraeque Hungariae arces debet eruptioni Tartarorum.

Anno 1254. Illam iam stetisse, et per magistrum Andornok de Terebes, filium Comitis Paris, cuius consors fuit filia Pauli Bani de genere Gúthgeled, posses-

sam

sam fuisse perhibet documentum in Ellencho Búttkaiano Fasc. 1. Nro 53.

Anno 1280. In diuisionalibus Comitis Omodey, filii Comitis David, magistri Dionysii, filii Bodun, Comitis Bodun, filii Georgii, caeterorumque nobilium de genere Aba, cedunt possessiones Beretey, et *Terebes* vocatae cum suis pertinentiis, Michaeli, magistro iuniori fratri ipsorum. Dat. in Zokola in festo Nat. Virginis gloriosae.

„ Anno 1330. Magister Willermus Drugeth Comes „ de Scepus, et Ujvár condito testamento, castra sua „ titulo aquisitionis haereditariae, emptionis etiam, et „ concambii possessa videlicet Zalanch, *Parys*, Barkon „ Iezenen, Lublon, nouum castrum de Dunaietz, et „ Zakalya vocata, Nicolai fratri suo reliquit, item Ni„ colao currifero suo, Paulo et Theolino agazonibus „ suis cuilibet ipsorum X. marças argenti et vnam ses„ sionem in *Terebes* legat. Katona Tom. VIII. pag. 624.

Testamentum tamen istud quoad arcem Paris in effectum non iuisse videtur; cum non longe post anno 1343. in mandato Palatini Leustachii de Illsva, Paris possessio regalis nominetur. Ellench. Fam. Búttkay.

Anno 1387. Sigismundus Rex castrum regale Terebes magistro Petro filio Stephani de Perén, eiusque filiis nouae donationis titulo contulit. Not. Hist. §. 52.

Anno 1483. Stephano de Perén laesae Maiestatis postulato, per copias Matthiae Regis arx expugnata, in fiscum regium redacta, et nonnisi Emerico de Perén, filio Stephani restituta. Not. Hist. §. 122. 123. Expost heros agnouit Perénios vsque annum 1567. dum per vltimum lineae huius surculum Gabrielem vxori suae Helenae Országh, et eâ decedente Georgio Drugeth,

geth, sororis suae Elizabethae filio cum consensu regio legaretur. Not. Hist. §. 258.

Anno 1526. Congregatio prouincialium post cladem Mohachianam in oppido Terebes habita. Not. Hist. §. 161.

Anno 1541. Arcem educto a septemtrione, et meridie ampliore cubiculorum aedificio auxit Petrus Perénius, ac moenia quoque adiecit, quemadmodum in fronte portae annus 1541. legi poterat donec dirueretur.

Anno 1582. Stephanus Drugeth fratrem Georgium in arce obsedit. Not. §. 284.

Anno 1600. Georgius Drugeth propter patratas in sex Comitatibus contra nobilitatem, signanter Petrum Zokolyi, et Simonem Bánóczy violentias in amissione bonorum, et capitis conuictus.

Anno 1602. Arcem suam Terebes cum pertinentiis Camerae regiae resignare debuit. Not. Hist. §. 322.

Aono 1613. Eidem pro innocenti declarato restitutam art. 41. 1613. et Not. Hist. §. 383.

Anno 1620. Ditio Terebesiensis per Gabrielem Bethlen occupata, et Georgio Széchy belli-duci suo donata. Sed

Anno 1625. Comiti Ioanni Drugeth restituta. Art. 44. 1625. et Not. Hist. §. 416.

Anno 1673. Nouis adiectis munitionibus arx instaurata fuit praesidium contra excursiones malecontentorum. Not. Hist. §. 596.

Anno 1674. Patres Paulini Nicolaus Szveteney, et Ludouicus Barilouich ad arcem se receperunt, sed arce in potestatem malecontentorum redacta, patres quoque in carcerem detrusi pane, et aqua macerabantur.

Anno 1675. Aduentante caesarea militia memorati patres consilio cum aliis captiuis inito, custodiam repente

pente aggressi arcem oppugnantibus caesareis copiis tradiderunt. Annal. Ord.

Anno 1684. Arcem Polonico praesidio firmatam Emericus Tökölianus, iterum assultu coepit. Not. Hist. §. 649.

Anno 1686. Tököliani praesidiarii desperatis rebus Múnkácsinum se recipientes arcem Terebes suffossis munimentis puluere pyreo incensam reliquere, nunquam amplius instauratam.

Anno 1692. Exstincta in Valentino Episcopo Corbauiensi Drugethiorum sexus virilis stirpe, Theresia Keglevics Sigismundi Drugeth vidua dominium Terebes ad sexum foemineum extensa donatione a Leopoldo Imp. impetrauit, per cuius descendentes Comites Csáky hodie possidetur.

Anno 1786. Comes Emericus Csáky ex ruiuis arcis elegans castellum in medio oppidi struxit.

Erat hic celebre domicilium ordinis patrum Paulinorum per Emericum de Perén regni palatinum anno 1504. fundatorum §. 202. sed per Iosephum II. Imp, anno 1786. sublatorum.

Anno 1502. Inchoatum fuit coenobii aedificium.

Anno 1504. Consumatum, pagis Sára, Olaszi, et Vécse pro dote eidem coenobio legatis.

Anno 1516. Sigismundus Zrittey possessionis Zsadány medietatem eidem claustro donauit.

Anno 1530. Exturbati sunt abinde monachi per Petrum Perénium.

Anno 1650. 8va Septembris reducti sunt patres per Annam Iakusics de Orbova Comitis Ioannis Drugeth viduam.

Anno 1678. Pagis Olaszi, Zsadány, et Sára ad conuentum Vjheliensem applicatis, claustri Terebesiensis fundationem auxit Comes Barbara Batthtyány Comitis

mitis Sigismundi de Forgách vidua suis ex haerediis Posonii 6. Iulii.

Anno 1684. Exturbati sunt patres per Emericum Tökölyi anno 1686. per caesareos reducti.

Anno 1760. Coenobium instauratum.

Anno 1786. Sublato ordine in parochiam conuersum.

In coenobii templo sepulti iacent cineres Ioannis de Perén anno 1458. mortui cum epitaphio quod Not. Hist. §. 95. dedimus.

Emericum quoque de Perén palatinum, ac coenobii fundatorem in eodem templo sepultum memorat Istvánffy Libr. VI. eiusque ambitiosum funus describit, sed et Basilius Fabritius Szikszay in oratione funebri §. 204. memorata, Emericum Perénium Terebessini tumulatum extra omne dubium ponit his verbis: „ Obiit „ Emericus Petri pater iam aetate grauis, honoribus, et „ dignitate prope regia clarus A. Christi 1519. 5. Febr. „ biennio ante captum Belgradum cuius corpus in op„ pido Therebes sepultum quiescit.“ Dignitate prope regia merito clarum dicit; praeter pro-regiam enim, quam in regno gessit, dignitatem, erat honore etiam Ducis, et Principis conspicuus, titulo tamen hoc siue morte praeuentus, siue ne ob ratihabitam Vladislai regis cum Maximiliano Imp. transactionem inuidiam sibi concitaret, vsus non est. „ Maximilianus certe Imp. Emeri„ cum de Perén regni Hungariae Palatinum, eiusque „ haeredes, et successores vtriusque sexus Duces de „ Soklyos et S. R. I. Principes creauit, et insignia ha„ ctenus harpyae auis monstrosae adauxit superne dua„ bus galeis, ex iisque prominentibus grypho, et leone „ coronam tenentibus, et schedulam collo circumliga„ tam habentibus cum hac inscriptione: *Caesaris Ma„ ximiliani munus.* Datum in oppido Badensi 27. Se„ ptembris

» ptembris 1517. " regnorum romani 32. hungariae 28. Collect. Dipl. Cornides. Tom. III. pag. 6.

Huius attamen tanti viri citra omne dubium Terebessini sepulti sepulchrale marmor amplius in templo non reperitur, nisi forte illud esset, quod forma cataphracti excissum virum, in eiusque pectore sinistro foramen ostentat, quod patres Paulini fulmine infixum credebant, et pro theca tumbae Petri Perénii venditabant.

Hac occasione superanda nobis venit celebris illa quaestio: an Petri Perénii cadauer Terebessini sepultum? et ob inuectum in regnum Lutheri dogma quotannis redeunte anniuersaria depositionis eiusdem die, sereno etiam coelo fulmine percussum fuerit sepulchrum ea parte, quae cordi respondebat, quo adusque Petri cineres, et ossa e chrypta, et templo eiicerentur?

Historiolae huius ab anno 1549. quo Petrus obiit, vsque annum 1696. nulla fama fuit, vel mentio occurrit, nec quidem in annalibus Paulinorum ordinis sub titulo: *Fragmen Corvi panis Proto-Eremitici* Wiennae anno 1663. editis. Primus eam teste P. Ignatio Pongrácz pag. 156. in vulgus sparsit Augustinus Benkovich Episcopus Varadinensis Leleszini residens, antea Prior Paulinorum conuentus Terebessiensis ea occasione vsus, dum anno 1696. templum fulmine tactum conflagraret, instauratoque templo epitaphium istud parieti dextro ad maiorem aram inscribi curauit:

Siste Viator Vngare!
Cultor dulcis Pannoniae terrae
Zelator fidei orthodoxae
Tuus condam terrigena.
Cur exclusus e crypta?
Petrus Perény?
Dat causam solus &c.

Hic inducit inuectum per illum in Hungariam Lutheri dogma, et alia crimina ei obiecta, vti per extensum videri potest apud Nicolaum Benger in continuatione annalium ordinis anno 1743. Posonii edita. Idem referunt Michael Bombárdy, pag. 482. et Samuel Timon e Soc. Iesu scriptores recentiores.

Sed historiolae huius fides omnimode nutat; nam primo suppositum eiusdem ruit: nec enim dogma inuexit vti patet Not. Hist. a §. 174. vsque. §. 178. sed ante eum longe alii, quoad obiecta autem ipsi alia crimina, publica regni lex art. 55. 1545. illum pro innocenti declarat, neque Terebessini tumulatus est.

In funere Gabrielis, filii Petri Perénii, eiusque coniugis Helenae Országh recitatae per Basilium Fabritium orationes §. 204. et Not. Hist. §. 261. memoratae, tantae sunt authoritatis: vt de Petri Perénii exuuiis Patakini sepultis prorsus dubitare non sinant. Fabritius enim praemissas orationes, quibus Petrum Patakini sepultum iterato commemorat, et epitaphium marmori incisum orationi in obitum Gabrielis dictae subiungit:

Hunc Petrus in tumulum sua clauserat ante Perénus
Ossa parens, hanc qui vallauit moenibus vrbem.

In publico, eoque frequentissimo regni procerum conuentu, recente adhuc omnium, quae de Petro, et Gabriele dixit memoria Patakini recitauit, neque tamen a quopiam vel in litera reprehensus. Plus ergo eruditio, cordato, sincero. domestico, atque oculato testi Fabritio credendum erit, quam aliis recentioribus, quamprimum fabulam vulgare coeperunt, falsitatis accusa is. Non longe namque post aetatem Benkovicsii anno 1728. dum Matthias Belius Comitatum Zemplén

per-

peragraret, foramen in pectore cataphracti excisum plurimi ex incolis non fulmine, sed claua infixum ipsi dicebant, vti idem attestatur in Mss. oppidi Terebes descriptione in Biblioth. Cardinalis Primatis, Iosephi Comitis a Batthány prostante. Quamprimum item Bengerius fabulam anno 1743. publici iuris fecit, egregie ipsum refutauit Rottarides in Hist. Hung. Litter. lineamentis Altonaviae, et Servestae anno 1745. impressis ita: vt boni patres confusi inscriptionem parietis per Benkovicsium factam dealbauerint, quae iam aetate nostra non fuit visibilis.

Accedunt aliae chryses: inspectum per nos marmor, quod sepulchrale Petri fuisse praetenditur, nullam inscriptionem continet, vt studiose prorsus tale ad tegendam melius fraudem delectum videatur. Foramen illud, per quod quotannis fulmen penetrasse praetenditur, tam dextre, et scite in durissimo alias, et vnius pedis, ac trium pollicum crassitiei marmore sine vlla circumfissura, aut fractura, effabricatum est: vt illud primo obtutu non fortuito fulminis ictui, sed manui incisoris attribui debeat. Marmor hoc praeterea eiusdem est coloris, speciei, magnitudinis, sculpturae, prout aliud marmor ad parietem prope sachristiam positum: vt adeo pars huius monumenti esse videatur. Hoc vero continet annum 1458. et inscriptionem Not. Hist. §. 95. memoratam gothicis, non coaeuis saeculo XV. literis incisam: vt proinde candidi patres si eiecerunt cineres, Ioannis Perénii Catholici, vel plane fundatoris sui Emerici eiicere debuerint, cum huius sepulchrum, vti praemissum est, aliud non reperiatur, neque plures Perénios ibi sepultos fuisse constet.

Praeter templum Paulinorum sunt alterius infra ruinae, quod olim Helv. Confessioni addictorum fuit,

ab

ab iis anno 1635. per Comitem Ioannem Drugeth. Not. Hist. §. 453. ademptum.

Terebes porro castri metas a vicinis possessionibus anno 1343. distinguebat lacus Nagy-Lika de fluvio Kaponya ortus, vti patet ex Ellencho Fam. Búttkay, et mandato Palatini Leustachii de Illsva Comitatui Zemplén sonante: „vt fluuios Nagy-Lika, et Kapania di„ ctos intra possessionem Búttkai Falkus, ac regalem „ possessionem Paris per medium cuiusdam magnae „ syluae decurrentes metaliter separent; sed Stepha„ nus de Perén Not. Hist. §. 112. " primus metas confudit anno 1461. durabatque magna colonorum calamitate isthaec controuersia vsque annum 1780. quo divae Mariae Theresiae mandato adacti, possessores litem amice inter se definiuerunt.

§. 234. *Isztáncs* pagus, olim *Ztanch* riuulo Helmecz adiacet, 1mae classis, 507. iugera agrorum terrae fertilis complectitur, coloni Slaui Graeco-Catholici parochum, et templum habent. Anno 1447. possidebatur per Nicolaum de Zthancz Not. Hist. §. 75. dein per familias Upory, Lórándffy, Rákóczy. Anno 1730. Bégányi titulo pignoris, hodie per Comites Aspremonth, velut ex familia Upory per lineam maternam descendentes ad castrum Borsi possidetur.

§. 235. *Magyar-Isép* pagus olim *Isepu* 1mae classis 1480. iugera agrorum, glebae fertilis numerat, coloni Hungari Slauis mixti Romano, et Graeco-Catholici, ac Helv. confessioni addicti templis suis, et parochis prouisi illum incolunt. Est familiae perantiquae Isépi de genere Bagath Radván §. 120. memorato descendentis, ac hodiedum superstitis gentilitius. Iam anno 1229. Ioannes de villa Isepu nominatur. Not. Hist. §. 13. Item in ritu explorandae veritatis §. 279. Forkos de Villa *Tavarne* impetiit convillanum Suka pro fur-

furio, Iudice *Iseph* Tauernicorum curiali Comite, Pristaldo Petrus de villa *Cheley*. Suka portato ferro iustificatus est.

Anno 1371. Lucasius de Isyp super quarta puellari genitricis suae Kolus vocatae quietat Nicolaum de Búttka matruum. Ex Elench. Fam. Búttkay.

Anno 1404. Sigismundus rex fideli suo Petro de Isyp iam fere in decrepita aetate constituto, diuinaque voluntate prolibus carenti testamentum condendi facultatem tribuit. Katona Tom. II. pag 563.

Ast cum Isepiani sorores etiam suas successiue in diuisionem bonorum admisissent, pagus hodie non tantum per masculos Isépianos, sed per Comitem etiam Aspremonth iure materno, ac complures alios nobiles possidetur, vtpote: Hollegancz, Reviczky, Sárossy, Horváth, Tahy, Rozgonyi, Ormos, Cserépy, Némethy, Liszkay, Kozma, Püspöky, Pandák, Fekete, Payzos, Palásthy, Kolosy, Kácsándy, Banó, Balog, Bessenyei, Bydes-Kúthy, et Kovács.

§. 236. *Szilvás-Ujfalú* pagus ad distinctionem plurium Ujfalú, a copia prunetorum *Szilvás* dictus, imae classis, 871. iugera agrorum, glebam frugum feracem, colonos Slauos, Romano-Catholicos, templo, parocho prouisos habet. Fuit familiae Ujfalusy §. 138. memoratae gentilitius, sed ea in sexu virili exstincta anno 1730. per successores Comitis Brankovich tenebatur, nunc in maiore parte per Barones Splény, in parte reliqua per nobiles Bernáth, Nyeviczkey, Ecsedy, Csernely, Olchváry et Soltész possidetur.

§. 237. *Kozma* pagus imae classis a templo, quod in honore SS. Cosmae, et Damiani exstructum hic fuerat, anno adhuc 1425. *Szent-Kozma, Damian* vocabatur, vti patet ex Archiuo Fam. Berzeviczi Fasc. 5. Lit. A. Nro 42. Sed cum nomenclatio isthaec Hungaris longae

longae pronunciationis foret, successiue Kozmafalva, demum Kozma nominabatur. Fuitque familiae Kozmay §. 118. memoratae gentilitius, qua in sexu virili exstincta, nunc pago dominantur nobiles Kácsándy, Reviczky, Bydeskúti, et Nyomárkay. Terrenum fertile 979. iugera agrorum complectitur, et per colonos partim Hungaros, partim Slauos Romano-Catholicos excolitur.

§. 238. *Kolbása* pagus 1mae classis, gleba culturae durioris, attamen si fimetur ferace, 1024. iugera agrorum, colonos Hungaros, et Slauos Romano, et Graeco-Catholicae religioni, ac helueticae etiam confessioni addictos habet. Olim ad familiam de Kazmér pertinebat, sed ea emortua, hodie ad nobiles Tóth, Sepsy, Payzos, Ormos, Keresztes, Kolosy, Nagy, Neviczkey, Bekényi, Csernely, Dóczy, Ecsedy, Isépi, Balog, et Bydeskúthy pertinet.

§. 239. *Nagy-Kázmér* a primo loci post cladem Tartaricam anno 1254. possessore *Casimiro* Polono sic dictus, fuit familiae de Kázmér §. 118. memoratae gentilitius, 1mae classis solo fertili, 796. iugera agrorum faciente, colonia hungarica Slauis mixta Romano-Graeco-Catholica; quorum priores templo etiam, et parocho gaudent. Anno 1690. per defectum familiae Kázméry donatione Leopoldi I. Imp. datus est Stephano Barlogh Vice-Iudici Curiae regiae, eoque pariter exstincto successit in possessionem Eva Bencze Barlogii neptis Beöthio nupta, per cuius haeredes vsque annum 1770. possidebatur, demum per connubium cum Francisca Beöthii in Ioannem Nep. Nedeczky, et per hunc in Comitem Török de Szendrö translatus, praeter quem in aliqua pagi parte comportionati sunt nobiles Keresztes, Horváth, et Ecsedy.

§. 240.

§. 240. Conterminum est pago Kázmér praedium *Rakattyás* olim familiae agnonimis §. 119. nunc in maiori parte ad Comitem Török pertinet.

§. 241. *Vitány* pagus 1mae classis situ amoeno, hinc, demissis agris arabilibns 552. iugera facientibus, illinc vinetis 3tiae classis conspicuus, coloniae hungarae Ruthenis mixtae, parochiae Kázmériensi affiliatae catholicae. Fuit olim familiae Vitányi §. 138. memoratae gentilitius, dein ea anno 1690. emortua, Stephano Barlogh per Cameram regiam in 20. mille florenis, ac per Barlogium conuentui Ujheliensi patrum Paulinorum pro refrigerio animae inscriptus, demum anno 1770. Comiti Stephano Györy per diuam Mariam Theresiam donatus, sed per hunc Comiti Antonio Károlyi venditus, per cuius successores hodie ad castrum Radvány possidetur.

§. 242. *Ruda-Bányácska* pagus, quia filialis auri fodinae Telki-Bánya fuit, in diminutiuo Bányácska, quasi fodinula, hungaris *Arany lábú*, Slauis *Ruda* (quae vox mineram designat) vocatus, §. 81. 2dae classis, glebam steriliorem, montosam, syluis fagineis obsitam, 482. iugera agrorum habet, Hungaris, et Slauis Graeco-Catholicis, templo, et parocho prouisis insessus.

Fodinarum vestigia adhuc visuntur, sed obstructis passim puteis, cuniculisque iam obsoletis.

Anno 1560. Ad Stephanum Dobó pertinebat, demum ad Rákóczios.

Anno 1720. Ad principes Thrauczhon, iisque extinctis hodie in maiore parte ad castrum Ujhèly per Cameram regiam, in aliqua autem parte per nobiles Pintér, et Keresztes, nec non fundum religionis publicum possidetur.

§. 243.

§. 243. *Sátor-Allya-Ujhely* oppidum antiquissimum, iam enim cum aduentu Hungarorum in Pannoniam stabat, et *Satur halma* vocabatur. Not. Hist. §. 6. et Anonym. cap. XV.

Nomen accepit a monte *Sátor* tentorii expansi formam praeseferente, cui subiacet, stabatque alio loco decliui ad ripam sinistram amnis Ronyvae exundationi eiusdem, et Bodrogi obnoxio, vbi rudera eius hodiedum visuntur.

Anno 904. Primus ex Hungaris loci possessor fuit Rettel, pater Oluptulma, cui dux Árpád totam terram cum habitatoribus suis a *Satur-halma* vsque fluuium *Tulsuva* condonauit. Anonym. cap. XV. Not. Hist.

Anno 1110. Donatum est oppidum per regem Colomannum Comiti Ratoldo, qui de regno Apulorum de Caserta venit. Thurócz. Chron. cap. XVII.

Anno 1241. Per Tartaros euersum oppidum anno 1250. translocatum est ad dextram fluuii Ronyvae ripam, locum eleuatiorem, ab exundationibus liberum, ad radicem montis Sátor, compellarique coepit infra *Sátor* locus, Sátor-Allya-Ujhely, siue tabernaculorum Neapolis.

Anno 1298. Possessio Ujhely fuit magistri Kokos, filii magistri Stephani de genere Ratholth Comitis Tolnensis, et de Budrúgh. Anno 1299. per Comitem Ioannem de Zoda occupata. §. 135.

Anno 1318. Magistri Ladislaus, et Donch villam Ujhely pro castro Zemlien cum Comite Thoma cambiarunt coram conuentu Lelesziensi. Ex Archiv. Fam. Soós.

Anno 1321. Mich-Bani filii §. 98. et Not. Hist. §. 36. memorati castrum Potok, et possessiones *Ujhely* Ordov, Borsi, Kuachy, Tay, et Thuronia, item castrum Zemlen, cum villa Ladomuch, velut bona sua aqui-

aquisititia pro castro Porusthian, eiusque appertinentiis cum Carolo rege cambiarunt. Katona Tom. VIII. pag. 431.

Anno 1352. Ujhely munificentia Ludovici I. regis possedit Theodorus Keriatovich dux Ruthenorum, aedificatoque in edito monte Várhegy castro, illud coloniis Russicis ita auxit; vt subseque ciuitas vocaretur. Nam

Anno 1390. Ujhely regia ciuitas nominatur, cum castro prope eandem existente, per Sigismundum Imp Nicolao de Perén donata. Not. Hist. §. 51. expost eosdem heros, quos arx Patakina agnouit, ac hodie quoque ad ditionem Patakinam iure Camerae regiae administratur.

Anno 1497. Castellanus arcis fuit Blasius Földessy. Elench. Búttkay. Fasc. 4. Nro 53.

Anno 1522. Lutheri dogma in Hungaria primum Ujhelini disseminari coepit. Not. Hist. §. 174.

Anno 1527. Arx per Petrum Perénium obsidione pressa. Not. Hist. §. 157.

Anno 1528. Simon Deák Perénianus praefectus per praesidiarios exclusus, arce Casparo Serédy caesareo duci tradita. Mss. Kaprinay. Tom. XXVII. pag. 306.

Pnno 1534. Arcem adhuc integram stetisse patet, cum Petrus Perénius ex illa literas §. 204. prouocatas ad ciues Cassouienses dederit, sed et

Anno 1536. Nicolaus Olahus in suis commentariis cap. XI. de ea sic habet: „Ujhely, et Terebes arces „ aggere extra moenia circumductae fortissimo.“

Anno itaque 1558. per Emericum Telekessium ditionem hanc ferro, et igne vastantem, ne Perénianis receptui foret, dirui debuit, cum expost nulla ipsius

mentio

mentio occurrat, et triste nonnisi illius in ruderibus vestigium prostet.

Anno 1697. Seditio Tokaiana in nundinis Ujhelien-sibus erupit. Not. Hist. §. 688.

Anno 1715. Territorium Ujheliense immani grandi-ne quassatum: vt homines, et pecora in campis ma-ctarentur.

Anno 1758. 1764. 1768. Subortis incendiis oppidum fere ex integro conflagrauit.

Templum parochiale oppidi anno 1482. Emericus de Pálócz exstruxerat. Not. Hist. §. 128. quo tamen incendiis labefactato, et diruto, aliud, quod nunc vi-situr anno 1770. inchoauit Princeps Ioannes Guilielmus a Thrauchon, eoque sine masculo haerede decedente, consummauit Camera regia.

Fuit illud anno 1560. per Gabrielem Perénium confirmante factum ipso Maximiliano Imp. vsibus Evan-gelicorum applicatum, vti in actis Diaetae anni 1662. describitur, quo anno per Sophiam Báthory Catholi-cis fuit restitutum. Not. Hist. §. 526.

Anno 1670. Per Evangelicos receptum.

Anno 1673. Pulsis concionatoribus, iterum Catho-licis attributum.

Anno 1682. Per Emericum Tököly iterum Evange-licis traditum. Lampe Hist. Eccl. p. 597.

Anno 1714. Vltimo Catholicis redditum.

Anno 1733. Navis templi fornice tecta, cum se-quenti inscriptione, quam adhuc in pueritia nobis no-tauimus:

opItVLante DeI gratIa, fornIX Iste In eIVs
gLorIaM, ereCtVs est.

Ipsa Catholica parochia amplis reditibus dotata, fuit priuilegiata, a iurisdictione episcopi Agriensis ex-empta, et archi-episcopo Strigoniensi subiecta §. 204.

ad

ad quam hodiedum pertinent amplissima prata Pap-Szögh, agri, vineae, lacus piscosi Pap-tava, mola aquatica Pap-malma, educilla duo, et macella, nec non vicus oppidi Pap-sor dictus.

Quin decima etiam frugum oppidi non ad episcopum dioecesanum, sed ad parochum pertinebat, vti anno 1503. testatum reddit Petri plebani de Ujhely cum Georgio episcopo Bodoniensi, et plebano de Sáros-Patak ratione occupationis decimarum controuersia.

Praeter hunc Petrum plebanum, nonnisi sequentium parochorum nomina aeui recentioris erui poterant.

Anno 1714. Fuit Ioannes Kilian.

1720. Andreas Püspöky canonicus, expost electus episcopus Vovadrensis.

Anno 1735. Ioannes Dely canonicus.

Anno 1745. Ioannes Gusztinyi canonicus, expost episcopus Nitriensis, qui concionibus, et opere de SS. Eucharistia sub titulo: *Üdvösség mannája* inclaruit.

Anno 1750. Stephanus Barta e Soc. Iesu, dein canonicus.

Anno 1760. Stephanus Csák canonicus, expost Abbas B. M. V. de Dömölk.

Anno 1764. Iosephus Kovách Agriae multis annis Theologiam docuit, expost praepositus S. Stephani de castro Agriensi, cui, quia fuit nimis procerae staturae, et singulari nobis amicitia iunctus, hoc epitaphium posuimus:

HIC DorMIt Ioseph KoVáts, paroChVs, praeposItVs VIheLIensIs.

mensuram excessit carmen, et ille miser.

Anno 1778. Emericus Szomy.

Anno 1791. Stephanus Györky praepositus B. M. V. de Ságh.

Anno

Anno 1795. Georgius Szeldmajer de Buzitka canonicus.

Augustanae confessionis ab anno 1522. vsque 1560. publicum exercitium Ujhelini non erat, sed eius promotores Michael Sziklósy, Michael Szilvásy, Andreas Batizy, et Matthias Dévay priuatorum in domibus conciones ad populum habebant.

Anno 1560. Quamuis parochiale Catholicorum templum iis traditum fuerit, maior tamen populi pars doctrinam aspernabatur; tum ideo: quod seniores religioni Catholicae innutriti adhuc vixerint; tum quod confessionis principia per synodum Tarczaliense-Tordensem, susceptasque per Gabrielem Perény ad academias Wittembergensem, et Lipsiensem legationes §. 96. nondum satis constabilita; denique quod Lazarus Schvendius Generalis, homo exterus dogmatis huius vel maxime promotor fuerit.

Anno 1600. Stephano, et Nicolao Bocskay, ac Valentino Drugeth dynastis, cum potiore nobilitatis parte Helv. confessionem (quam *Magyar hit* vocabant) amplexis. Primus sub reuolutione Bocskaiana Ujhelinum inductus Helv. confessionis minister Andreas Sárossy succes ores in functione habuit:

Anno. 1617. Mat. Tiheméry
Ioannem Simándy
Ioannem Bényei
— 1639. Valent. Géressy
Michael. Kapossy.
Steph. Rimaszombaty
— 1646. Ioan. Iratossy.
— 1647. Cas. Hatházy.
Steph. Benj. Szilágyi
Stephanus Némethy.
— 1655. Steph. Kapossy
Anno 1662. Ioannem Sólthy per Sophiam Bathoream pulsum.
— 1670. Ioan. Salánky.
Simonem Vadászy.
— 1673. expulsos.
— 1682. Gabr. Nánássy
— 1684. Franc. Makay.
— 1685. 1699. Martinum Zadorfalvi.

Anno

Anno 1714. Templo parochiali Catholicis reddito, ad ligneum oratorium cum exigua campana in vico Papsor restricti sunt.

Anno 1781. Publicata per Iosephum II. Imperatorem tolerantia Christiana, in conspicuo oppidi loco novum oratorium ex solidis materialibus, turri, et campanis maioribus ornatum extruxerunt, quo hodiedum gaudent.

Ordinis S. Pauli I. Eremitae patres, regulam S. Augustini profitentes, hic celeberrimum, et antiquissimum Monasterium ad S. Aegidium habebant. Antiquissimum ideo dicebatur: quod posteaquam primum Eremi arum in Patach Comitatu Baranyiensi per Bartholomaeum episcopum Quinque-Ecclesiensem anno 1215. erectum monasterium Turcae anno 1526. euertissent, Ujheliensi claustro nullum antiquius fuerit. Fundauit namque istud Andreas II. rex, anno 1221. dum Patakini moraretur, in Eremo prope oppidum Ujhely sita, a turri templi Thuruny dicta.

Anno 1241. Per Tartaros euersum.

Anno 1252. Restaurauit Bela IV. donata patribus possessione Petrahó §. 203. monasterioque.

Anno 1258. Ad locum commodiorem translocato, attributa patribus eremo syluosa pone ipsum oppidum, quae dein coloniis insessa, nunc sub nomine curiae *Barát-Szer* venit.

Anno 1312. Carolus I.

Anno 1350. Ludovicus I. reges confirmarunt. Ioannes Comes Not. Hist. §. 47. nominatus fundationem auxit, duabus piscinis in sylua Longh Barát-tó, et Cassa-tó vocatis. Ex Tabul. ordinis.

Anno 1506. Michael de Búttka vineas Tolcsuenses.

Anno 1509. Laurentius Faber de Toronya pariter vineam.

Anno

Anno 1510. Ursula Varjú vnam sessionem in Kelecsen patribus donauit.

Anno 1530. Exturbauit patres ex vinea Toronya Gaspar Drágffy, ex Ujheliensi coenobio, et possessione Petrahó Petrus Perényi.

Anno 1560. Cum parochiale templum Evangelicis ea conditione cedendum Maximilianus Imp. non abnueret: vt vicissim patres Paulini ad suum coenobium reducerentur, reducti sunt per Gabrielem Perénium.

Anno 1603. Pulsi sunt per Bocskaianos, bonis eorum in Fiscum regni redactis.

Anno 1610. Claustrum, et bona sua iterum receperunt. Not. Hist. §. 378. et art. 2. 1613.

Anno 1626. Templum eorum instaurauit, et ara maiore illustrauit Comes Melchior Allaghy. Not. Hist. §. 437.

Anno 1665. Sub Alphonso Skotniczky Vicario notabili accessione auctus conuentus. Franciscus Somogyi praepositus Lelesziensis praediuitem supellectilem eidem donauit, vidua Pesthiana curiam, et hortum in Olaszy. Sophia Bátory vidua Georgii Rákóczy, eiusque filius Franciscus in compensationem iniuriarum per possessores dominii Patak conuentui illatarum cessit pagum Kiszte, praedium Komár, curiam in Barancs, vineas Vár-allya, et Oremus, cum vno fundo in Ujhely.

Anno 1672. Inuaserunt, et expilarunt conuentum tumultuantes Hungari tempore indulgentiarum festo B. Aegidii celebrari solitarum.

Anno 1674. Patris Georgii Cseppellény per tumultuantes patriae ciues anno 1672. trucidati corpus corruptionis expers ex Farnossiensi terreno extractum, in sacelli per Rákóczium in perennem rei memoriam exaedificati crypta honorifice tumulatum, cum haç inscriptione sepulchro apposita:

Felix

Felix pannonici firmamentum coeli!
Nouo rursus auctum sidere
Quia et integro ditatum Asterismo,
tot stellis conspicuo.

Quot Georgii virtutum splendoribus illustrato,
Ariadna hunc vocantis gratiae
E labyrintheis mundi flexibus eductum
In aede Ioannea, in gratiae
domicilio.

Candidis ornauit vestibus;
Vt coeli canditatus nosceretur.
Ipse tum in crucis inuentae
Solemniis.

Se tribus votis, velut totidem clauis
Cruci, et passioni dominicae
Ominosa futurorum sorte
adstrinxit.

Primam praedicatorii sui muneris cathedram
In Mariana Thallensi valle obtinuit.
Vt vallaretur victricis
Praesidio Mariae.

Apostolico maturus muneri, e valle in campum exiit,
Sementem sparsurus Evangelii:
Vt messem colligat animarum
Exiit Georgius.

Non hasta, aut gladio
Sed romphaea verbi divini
Venit in specie columbae
Mitis Christi discipulus,
Et ad amnem Tybisci ferebatur
Super aquas.

Ramum olivae portans pacis, et gratiae nuncius,
Sed hae caduccalis virga versa est in colubrum,
Furore, et odio ab Erynnibus suscitato; cogitur
itaque in vincula,

Quae pati maluit, quam mereri,
Raptatur per arundinum cardua,
Sed non mouetur vt arundo
inconstantiae vento.

Equi vices subire cogitur,
Et tortorum sarcinas tamquam
Eorum conscientiae onera
ferre iubetur.

Scinditur de hinc, et secatur,
Sed innocentes esse voluerunt secures pro
innocente

Damnatur tandem ad gladium militarem,
Quia nobilis Christi miles Georgius, causa
affertur occisionis
Quia ambulantes in tenebris reduxit viam in lucis.

Iesum supremo loquitur ore,
Quia huius amore cor abundat,
Tali occasu, venit ad ortum,
felicis vita.

Et ipso Eucharistici corporis festo
Corporis deponit pondus Georgii spiritus:
Vt totus sit in toto, et quauis sui parte
inhaerens Christo.

Attamen et suus honor datur exuuiis olida
Putredine ab iis procul pulsa.
Vtpote charitatis balsamo antea delibutis.
Turcae venerantur vt seruum Dei.

Qua

Quatenus vel inde metiaris :
Quantus esse debuerit virtutum fulgor,
Qui tanta coecitate affusos oculos
Videre fecit veritatem.
Orcus fugit, et horret exequiis honoratum accedere
sepulchri locum,

Quia incompatibile est cum tenebris lumen,
Tu iam tabernaculorum Neapolis
Tali ornata pignore, decorata patrono,
Tentoria expande tuo in arcus triumphales,
et Georgio.

Ab intaminate seruato candore virgini,
Et Apostolicae praedicationis impleto munere
Doctori,
Pro heroice exantlato passionis certamine Martyri,
Piae venerationis obsequio tergeminas laureas
necte!

Anno 1678. Pagi Olaszi, Zsadány, et Sára a fundatione Terebessiensi auulsi ad conuentum Ujheliensem applicati sunt.

Anno 1679. 23. Martii iterum inuaserunt coenobium Tököliani cum sex armatorum centuriis, acrique illud oppugnatione ab hora decima meridiem praecurrente ad ipsam vesperam ternis ex partibus premebant. Propugnarunt locum duo patres Marcus Bessenyey, et Augustinus Szörény cum 30. viris, remque adeo strenue gerebant: vt incenso etiam coenobio, templo, vicinisque circum casis, et horreo conflagrantibus, propugnatores non cesserint, oppugnantes vero plurimis ex suis desideratis recedere debuerint.

Anno 1690. Stephanus Barlógh pagum Vitány conuentui in 20. mille florenis legauit.

Anno 1706. Franciscus Rákóczy mandauerat claustrum funditus exuri, ne receptaculo esset caesareis copiis, quae duce generali Rabutinio ad obsidione premendam Cassouiam properabant, sed mandato huic non paruit dux Rákóczianus Comes Alexander Károlyi, locumque flammis destinatum seruauit.

Anno 1786. Sublato ordine Paulinorum anno 1788. patres Piarum scholarum Tokaino ad hunc conuentum transpositi, gymnasioque maiore, et collegio isthic erecto, obligatio erudiendae iuuentutis patribus imposita.

Paulinorum porro conuentum sequentes Vicarii, et Priores regebant:

Anno 1293. Pater Ioannes.
— 1310. P. Laurentius
— 1312. P. Petrus
— 1354. P. Nicolaus
— 1367. P. Martinus
— 1393. P. Thomas
— 1449. P. Nicolaus
— 1454. P. Martinus
— 1640. P. Ioannes Petroviczy.
— 1642. P. Osvaldus Virostek.
— 1645. P. Ioannes Vannouiczy mox episcopus Scardonensis.
— 1659. P. Gregorius Biberi dein Generalis ordinis.
— 1667. P. Alphonsus Skotniczky.
— — P. Augustus Benkovics postea episcopus Varadinensis, Generalis ordinis.
— 1689. P. Ludovicus Barilovics, postea Generalis ordinis.
— 1690. P. Ladislaus Nádasdy dein episcopus Csánadiensis.

A. 1462. P. Vallentinus.
— 1465. P. Vincentius.
— 1477. P. Dèmetrius.
— 1562. P. Casparus.
— 1564. P. Michael.
— 1578. P. Georgius.
— 1637. P. Mart. Koprinchich.
— 1639. P. Greg. Iaurinensis.

An-

Anno 1696. P. Alexius Szkolny.
1701. P. Stephanus Enyiczkey.
1713. P. Augustinus Bolla.
1714. P. Eusebius Radovány.
1716. P. Benedictus Flávi.
1723. P. Paulus Vúkovics.
1726. P. Iosephus Simonyi.
1732. P. Paulus Fejér.
1738. P. Paulus Leteney.
1744. P. Gerardus Bokovics.
1747. P. Iosephus Cunctár.
1755. P. Ioachimus Kollarics.
1767. P. Iosephus Keresztes.
1770. P. Laurentius Ország.
1758. P. Michaël Kuzlics.
1773. P. Hieronymus Márton.
1776. P. Franciscus Vidy.

Caeterum oppidum Ujhely est 1. classis populosum, 6000. incolarum, 2832. iugera agrorum glebae fertilis numerat, coloni Hungari, Germanis, Slavisque mixti, diuersas religiones profitentur, romano-et graeco-catholici sua templa, et parochos, heluetici oratorium, et ministrum, quin et Iudaei eximiam synagogam, scholasque normales nationales habent. Augustani, et Graeci non vniti Tokaino affiliantur. Ruthenorum hic olim archi-praesbiter residebat §. 95. Inter cultiora oppidi aedificia eminet ampla domus comitatensis, in qua conuentus prouinciales celebrantur, complectens tabularium prouinciae, artificiosae structurae carceres cum sacello, in quo captiui sacerdotem diuina peragentem et audire, et videre possunt ex nouem carceribus, et vno triclinio.

Alluitur oppidum amne Ronyva ponte lapideo strato, et quatuor molas aquaticas dominii, oppidanorum, parochi, et Harthainam sustinente.

Terrenum orientem versus longo tractu ambit Longhia sylua glandium ferax §. 55. memorata, per cuius medium Bodrogus fluuius voluitur, et exquisitissimos carpiones oppidanis suppeditat.

Montibus quoque praecipuis, et generosi vini feracibus cliuis gloriatur oppidum. Altissimus est Magos-hegy, olim igniuomus §. 8. hunc sequitur Sátor, in vertice expansi tentorii forma, prominentibus ex eo minoribus collibus castrorum speciem referentibus, reliqui montes, et cliui sunt Várhegy, Szárhegy, Bányay: Feketehegy, Köveshegy, Boglyoska, Veres haraszt, Tompa, Meledóldal, Némahegy, et Czepre. Prorumpunt ex his fontes salubres. Eorum praecipuus est *Dersik* in area nundinarum, qui per subterraneos canales deriuatus, salit in platea principali ante domum comitatensem cum maxima gloria salubritatis, alter *Zólyomka* in radice montis Magos-hegy, vbi in amaena valle series domorum ex vtraque parte inter plateam a philomelarum cantu *Fülemile úttza* vocatam. Tertius Komlókút in plano inter agros. Quartus infra montem Szárhegy. Quintus infra cliuum Köveshegy. Sextus infra Néma-hegy Szent-Iános Kutja ideo vocatus: quod post festum Natiu. S. Ioannis exarescat,

Nundinae tota hac ora celeberrimae diebus Palmarum, B. M. Visitantis, SS. item Aegidii, et Emerici hic celebrantur. — Sigillum oppidi literam W. et annum 1505. refert.

Adiacent oppido tria diuerticula: Néma, vbi diuersorium, Unghvár, distincti alicuius oppidi speciem a longinquo praeseferens, vbi tamen nonnisi cellaria in saxo friabili excisa, superne autem domus vinearíae

ha-

habentur, excursionibus, et compotationibus incolarum accomodae. Tertium remotius diuerticulum est Hosszú-Láz anno 1788. per Iosephum II. Imp. coloniis Svevicis insessum: quod iam distinctam ab oppido possessionem efficiet.

Anno 1702. Franciscus Rákóczius in defluxu fluuii Ronyva nouum oppido vicum addiderat, eumque praetorianae suae cohorti, *Palotás* dictae, Not. Hist. §. 726. memoratae habitationi destinatum, incolae *Palotás úttza* dicebant, Rákoczius autem a loco natiuitatis suae *Borsi-szer* vocauerat, qui taliter etiam in dominatione Thrauchoniana §. 204. compellatur. Fugiente anno 1711. Rákóczio, ne vel memoria praetorianorum eius supersit, solo aequata aedificia, Zingarisque in ruderibus casas suas figentibus platea *Czigány-úttza* vocari caepit, sed in dies increscente politiorum incolarum numero, aedificiisque cultioribus et hic positis, vicus oppido vnitus, tam veterem, quam recentiorem nomenclaturam amisit, et nos etiam tantum pro illustranda vici *Borsi-szer* in donatione Thráuczoniana comprehensi nomenclatura ortum, et metamorphosim illius hicce deduximus.

Accedit non postrema gloria oppido etiam in eo: quod celeberrimam patriae, et aetatis nostrae Poetriam Barbaram Mólnár progenerauerit, et sinu suo foueat, cuius patria lingua conscripti versus sub titulo *Mólnár Borbála munkáji*, siue acumen ingenii, siue ars poetica spectetur, eius sunt elegantiae: vt merito vniuersae nationis honori cedant, quod non tantum Galli, Angli, et Itali, sed nos quoque Hungari tam excellentis ingenii, et iudicii faemina gloriari possimus.

Nos quoque Eperiessini quidem in lucem editi, sed auitae portionis nostrae Ujheliensis possessores hoc

in

in oppido quondam floruimus, elegiasque nostras, et poemata ad amnem Ronyva conscripsimus, vti perhibet elegia totius vitae nostrae cursum exhibens:

Fragopoli primum vitales hausimus auras,
Prima vrbs vagitus audiit ista meos.
Protinus infantem nitidas accepit in vlnas
Phaebus, et Aonidum, dixit, alumnus eris.
Parce puer lacrymis, venient et fleatibus anni.
Hei mihi! fortunae vulnera quanta feres!
Aspice caenoso spumantem vortice Ronyvam,
Stant vbi Rutheni diruta castra ducis,
Has quondam ad salices, haec ad coryleta canendo
Deduces Latias ex Helicone Deas etc. etc.

§. 244. *Nagy et Kis Bári* pagi duo distincti, quadrante horte a se invicem distantes, nomen acceperunt a familia agnomina in sexu virili iam extincta, 1. classis, gleba collina, atque durioris cultus, prior 221. alter 127. iugera agrorum numerat, incolae Hungari Helu. confessionis ministrum, et oratorium in Kis-Bári habent.

Anno 1720. Ad Andream Veres pertinebant, nunc Nagy-Bári per Comites Aspremonth, et Dessöffy. Kis-Bári iure Nikháziano per Petrum Kazinczy possidetur. Vtrique pago sunt vineae fructus boni, sed nonnisi ad potum domesticum.

§. 245. *Csernahó* pagus, olim Monialium S. Clarae de Sáros-Patak, a nigro earum habitu nomen slavicum *Cserna* eccepit, et cum Slavi in communi loquela dicerent: *Cserna ho derzi*, siue per nigram Monialem possidetur, ab Hungaris *Csernahó* vocatus.

Anno 1530. Exturbauit illas inde Petrus Perénius.

Anno 1556. Ferdinandus rex annuit: vt Matthias Wiczmándy, et Sigismundus Torda pagum occupare pos-

possint, secundum transactionem cum Monialibus Tyrnauiensibus initam. §. 204.

Anno 1578. Ad dominium Patak applicatus, expost eosdem heros, quos arx Patakina agnouit, ac hodiedum ad arcem Patakinam per Cameram regiam possidetur.

Est 1. classis solo montoso, vini tamen, et frumenti ferace, syluas ab aquilone, reliqua in parte agros iugerorum 200. colonos Hungaros Helu. confessionis, et catholicos parochiae Ujheliensi affiliatos habet. Nonam ex vino prouenientem cum dominio diuidit parorochus Patakinensis.

§. 246. *Nagy-et Kis-Toronya* olim *Thurul*, *Turuny*, *Felsö-Alsó-Toronya*, duo pagi distincti, a turri Augustinianorum sic dicti, qui hic domicilium in Eremo syluosa pagi Nagy, seu Felsö Toronya olim habebant. §. 203. et 243.

Anno 1221. Fundauerat hic monasterium rex Andreas II. anno 1241. per Tartaros euersum. Anno 1258, Ujhelinum translocatum §. 243. pagi Felsö-Toronya medietate patribus attributa.

Anno 1254. Terra Turonya per familias Úz, et de Tolchuva redempta est a filiis Simon Not. Hist. §. 24.

Anno 1281. Michaeël, et Ompud coram capitulo Agriensi testantur; quod Farkasius de Emewd obligationi certae dotis satisfecerit, et ideo eidem possessionem Thurona in comitatu Zemlin reddiderint. Mss. Kaprinay Tom. I. pag. 249. 256.

Anno. 1321. Micz-baniani posteri etiam possessionem Thuronya pro castro Purústyán permutarunt. §. 274.

Anno 1330. Ioannes de comitatu Potokiensi. Not. Hist. §. 47. nominatus possessionis Felsö Toronya medie-

dietatem Monialibus ordinis S. Clarae Patakini ad S. Annam degentibus donauit.

Anno. 1380. Occupauit possessiones Nicolaus de Perén, sed Monialibus Felsö-Toronya reddidit. Not. Hist. §. 51.

Anno 1390. In possessorio pagi Kis-Toronya per donationem Sigismundi regis confirmatus. Not. Hist. §. 51.

Anno 1512. Felsö Toronya in dimidietate pertinebat ad Augustinianos, siue Paulinos Ujhelienses, altera medietate ad Moniales S. Clarae in Patak degentes pertinente: Wagner. Tom. XV. pag. 164. Mss.

Anno 1530. Exturbauit possessorio Moniales, et Monachos Gaspar Dragffy, hocque in sexu virili extincto.

Anno 1578. Deuenerunt in possessorium familiae Dobó, per quam ad arcem Patak aplicatae possidebantur per heros arcis, donec Francisco II. Rákóczy perduellionis conuicto, possessio Nagy-Toronya sorori Aspermontianae cessisset, Kis-Toronya autem principi Leopoldo Donato a Thraúczhon per Carolum VI. Imp. donaretur, per cuius defectum rursus in fiscum regium deuoluta, nunc per Cameram regiam possidetur. Sunt praeterea in Kis-Toronya Baronibus Sennyey duae curiae a Comitibus Petheö in eos deuolutae.

Incoluntur ab Hungaris catholicis, et Helu. confessioni addictis, quibus in Kis-Toronya oratorium est, Nagy-Toronya 1215. Kis Toronya 481. iugera agrorum numerat agricolatione bona. Sunt vtrique pago syluae quercinae, et cliui vini praestantioris feraces Mákos, Domik, Keletka, et Fekete-hegy dicti.

§. 247, Conterminum est possessioni Nagy-Toronya praedium *Csörgö*, olim familiae Csörgey §. 106. dein Farkas §. 114. nunc ad Comitem Aspremonth, Baro-

rones Sennyey, nobiles Pintér, Viczmándy, et Kazinczy pertinens.

§. 248. *Legénye* pagus 1. classis, gleba fertili, colonia Hungarica catholica, et Helu. confessionis, quae oratorium, et ministrum in loco habet, catholicis parochiae Lasztóciensi affiliatis, 712. agrorum iugera complectitur.

Nomen accepit a familia agnomine, cuius antenatus Legény *Aulae regiae iuuenis* anno 1263. possessionem donatione Stephani iunioris regis adeptus est, possidebatur per familiam Legényéy usque annum 1525.

Huic successerunt Poffa, et Possay de Legenye dicti, ac per sexum faemineum familiae Semsey, Lónyay, et Viczmándy.

Anno 1720. Carolus VI. Imp. maiorem partem pagi cum praedicato de Legénye donauit Martino Pintér Not. Hist. §. 698. memorato, ac nepoti Benedicti illius Pintér, qui insigni fraude proditionem simulans Turcas ad arcem Kékkö funibus attrahi, et capite truncari curauit. Isthu. L. 25. pag. 334. Edit. Colon.

Nepotes huius cultiorem domum in pago habent, in reliquo possidetur per Nobiles Wiczmándy, Bodnár, et Kigyóssy.

Diuerticula duo pago adiacent Sutha, et Szent Andráska, in quo rudera capellae S. Andreae visuntur. Est catholicis in loco etiam sacellum, memoriae in coelos ascendentis Domini sacrum, ac sepulturae Pintériorum deseruiens.

§. 249. *Mihalyi* pagus 1. classis gleba frugum ferace, coloni Hungari Helu. confessionis oratorio, et ministro gaudentes, et catholici sacello prouisi, parochiae Lasztóciensi affiliati, 930. iugera agrorum numerant.

No-

Nomen *Michali* accepit a magistro *Michaële* filio Bertholdi, cui terram habitatoribus destitutam rex Bela IV. in comitatu Zemlyn anno 1252. donauit. Ex Arch. Fam. Andrássy.

Anno 1324. Possessionem *Michali* per notam Petri, filii Bothond de Thóldhy rex Carolus magistro Stephano de Monak contulit. Not. Hist. §. 42.

Anno 1469. Medietas pagi translata est in Emericum de Zápolya: quam

Anno 1527. Ioannes de Zápolya rex Balthasari Lasztóczy castellano castri sui Tokay donauit.

Anno 1552. Art. 22. Donatio haec per publicam legem ratihabita.

Anno 1665. Anna Monaky Mathiae Andrássy consors in altera medietate possessionis per consensum regium Leopoldi Imp. in sexum masculinum praefecta.

Anno 1690. Stephanus Barlóg medietatem pagi a Magdalena Putnoky emit, quam dein ad castrum Kazmér possidebat vsque annum 1767. Familia Beöthy, a qua penes cessionem Baronum Andrássy, haec medietas per Ioannem Nedeczky Notarium Comitatus reluta est.

Altera medietas Lasztócziana per descendentes sexus faeminei; vtpote nobiles Nyomárkay, Galambos, Kövér, Balogh, Kassay, et Kovács possidetur.

Incorporatum est terreno diuerticulum Falucska iuris Andrásiani.

§. 250. *Csapó-háza*, olim *Csapó földe* praedium conterminum pago Mihalyi, olim familiae Csapó, a qua nomen accepit, sed ea in sexu masculino exstincta anno 1520. Balthasari Lasztóczy per Ludouicum II. regem donatum per praenominatos eius in sexu faemineo descendentes Nobiles Szemere, et Szirmay possidetur.

§. 251.

§. 251. *Lasztócz* pagus 1. classis glebam fertilem, 1469. iugera agrorum, colonos Hungaros Slavis mixtos, Helu. confessioni addictos, romano item, et graeco-catholicos habet, quauis praedicta religione suo templo, parocho, et ministro prouisa.

Fuit olim familiae Lasztóczy §. 119. memoratae gentilitius, sed ea in sexu virili anno 1707. in Francisco Lasztóczy exstincta, per sexum eius faemineum Nobiles vtpote Szirmay, Kazinczy, Dobos, Balásházy, Szemere, Mácsy, Albert, Bottka, Balog, Nagy, Lehoczky, Bunyitay, Bernát, Galambos, Nyomárkay, Isépy, Ormos, Bán, Pap. Chehy, Sebök, Demjén, Egry, Valyi, Gönczy possidetur.

Adiacet terreno diuerticulum Csiz olim familiae agnominis.

§. 252. *Velejte* pagus 1. classis, solo collino, attamen fertili, incolis Slavis graeco-catholicis, parocho, et templo prouisis, 706. agrorum iugera complectitur. Olim ad claustrum Augustinianorum, seu Paulinorum Ujheliensium pertinebat; vti apparet ex Wagner Dipl. Sáros. pag. 540. ad annum 1505.

Anno 1605. Per Valentinum Drugeth occupatus, donatioueque Leopoldi Imp. anno 1690. sexus faeminei Drugethiani descendentibus collatus, dein fuit desertus.

Anno 1712. Nouis coloniis insessus.

Anno 1714. Pignoris titulo in Martinum Kossovich translatus; ab eius vidua penes cessionem Csákianorum per Ioannem Okolicsányi anno 1748. redemptus, per familiam Almássy possidebatur, ab ea per Comites Csáky relutus.

§. 253. Adiacet pago diuerticulum *Widumanecz*, siue *Excogitatus locus*, cuius curiosa slavica nomenclatura ad compotandum itinerantes Slavos inuitat.

§.

§. 254. *Geresely* pagus solo collino, et syluestri, 735. iugera agrorum complectente, colonia Hungarica Slavis mixta, diuersae religionis, Helu. confessionis incolis ministro, et templo prouisis, possidetur per nobiles Zóltány, Vékey, Wladár, Szakács, Kozma, Szabo, Inczédy, Zelvay, Püspöky, Almássy, Bernáth, Héczey, Bodnár, Balog, Füzesséry, Boka, Kigyósy, Csorba, et Kövér.

§. 255. *Kiszte* pagus 586. iugera agrorum complectens, colonia Ungarica, Slavis mixta, fuit olim familiae Úpory, dein Rákóczii per Sophiam Báthori Rakoczianam viduam anno 1664. in Paulinos Ujhelienses translatus. Anno 1683. per Emericum Tököly occupatus, nunc fundo religionis publico subest.

§. 256. *Magyar-Iesztrebb* pagus 1047. iugera agrorum, colonos Hungaros, Slavis mixtos, diuersae religionis, parochiae Czekiensi affiliatos habet. Fuit olim colonia Romanorum, vti produnt nummi, et ampullae Romanae in terreno erui solitae.

Anno 1732. Parebat Danieli Rutkay, et Ioannis Bernáth haeredibus, ac Szegianis, hodie dominantur ei Nobiles Rédey, Bernáth, Kossúth, et Szepsy.

§. 257. Sequitur quintus districtus Gálszécsiensis. In quo *Upor* pagus iugerorum 867. in agris, colonis Slavis graeco catholicis. Fuit olim familiae agnominis §. 138. nunc iure materno ad Comitem ab Aspremonth pertinet.

Anno 1490. Possidebatur per Ladislaum de Upor heroem. Not. Hist. §. 132. memoratum, qui progenerata vnica solum filia Barbara, Ioanni de Czeke nupta, per huius filiam Sophiam anno 1510. Dominici Dobó consortem transiuit in Nicolaum Dobó, et per huius filiam Barbaram Michaëlis Lórándffy coniugem in fi-

li-

liam Susannam Georgii Rákóczy vxorem, ex qua Comites ab Aspremonth descendunt.

§. 258. *Pelejte* pagus Slavonicus catholicae religionis, templo, et parocho prouisus, 1680. iugera agrorum terreno complectitur, olim familiae agnominis §. 126. nunc per Nobiles Ócskay, Szepessy, Keresztes, Görgey, Cserépy, Bernát, Fekete, Zsádniy, Komáromy, Arday, Szathmáry, Palásthy, Ecsedy, Török, Márjássy, Kolosy, et Hútka possidetur.

§. 259. *Nagy-et Kis-Ruszka* duo pagi distincti Slavonici Graeco-catholici, parocho, et templo prouisi, prior 820. alter 572. iugera in agris numerat. Olim appertinentiae arcis Terebes, nunc prior per Comites Csáky, et Nobiles Péchy, alter per Nobiles Fekete, Keresztes, Szepessy, Bárczy, Csapó, Pánthy, Mariássy, Bonis, Bálpataky, et Cserépy tenetur.

§. 260. *Miglész* pagus, iugerorum 790. in agris, coloni Hungari, Slavis mixti, Helu. confessionis, oratorium, et ministrum habent. Olim familiae Miglészy gentilius §. 123. nunc per Nobiles Bernáth in maiori parte, quibus elegans in pago domus, in reliquo autem per Nobiles Horváth, Kis, Liptay, Bessenyey, Rozgonyi, et Pékár possidetur.

§. 261. *Vécse*, olim *Velche* pagus Slavonicus Graeco-catholicae religionis, parocho, et templo, ac statione veredarii publici prouisus, 942. iugera agrorum numerat. Fuit anno 1219. Cosmae de Velche Pristaldi, vti ex ritu Exploran. verit. §. 25. patet, dein Comitum Forgách §. 233. anno 1678. ad claustrum Paulinorum Terebessien. aplicatus, iis anno 1776. sublatis, per fundum religionis publicum administratur.

§. 262. *Hoor* pagus Slavonicus, 720. iugera agrorum habet. Haereditas familiae Drugeth. Anno 1732.

per

per Nobiles Kiszely, Tussay, Divényi, hodie per Nobiles Szirmay possidetur, quibus in loco cultior habitatio est.

§. 263. *Tussa*, et *Tussa-Ujfalú* duo pagi distincti Slavonici, prior iugerorum 500. alter 371. in agris complectitur. Coloni Slavi mixtae religionis, Helu. confessioni addicti oratorium, et ministrum in Tussa habent. Sunt perantiquae familiae Tussay hodiedum superstitis gentilitii, a quibus ex donatione Stephani regis anno 1264. nomen acceperunt, per eosque in maiori parte, in reliquo autem per Nobiles Péchy, Bánó, Pékáry, Füzesséry, Both, Kéry, et Szomoroky possidentur.

§. 264. *Bosnicza* pagus Slavicus catholicus parochiae Parnoviensi affiliatus, inter Toplyam et Ondavam fluuios, 459. pigerorum in agris, per Nobiles Molnár, et Kéry possidetur.

§. 265. *Parnó*, olim *Pernow* pagus Slavonicus Romano-catholicus, templo, et parocho suae religionis prouisus 1729. iugera agrorum numerat. Fuit olim familiae Bocskay, sed ea regi suo infideli anno 1672. donatione Leopoldi Imp. Ioanni Mólnár centurioni attributus. Not. Hist. §. 576. et 665. per cuius haeredes, et Nobiles Kéry hodiedum possidetur. — Erat hic familiae Mólnár castellum quadrangulare per haeredes in media parte dirutum, cuius haec erat inscriptio:

Tertina, Saluator, Mólnár cum coniuge, Fisscher,
Arte opere, expensis, ingenioque struunt.

§. 266. *Szécs-Polyánka* pagus Slavicus, catholicae religionis, parochiae Parnoviensi affiliatus, 1250. iugerorum in agris. Erat pos erorum Mich-Báni Comitis Hispani, Csápy de Polyánka dictorum §. 98. iisque emortuis per Bocskaianos congenerationales possi-

de-

debatur, sed iis regi suo infidelibus, comiti Francisco Barkóczy per Leopoldum Imp. collatus. N. H. §. 576. per cuius haeredes hodiedum possidetur metale priuilegium pagi huius habetur de A. 1360. vbi et solennitas iuramenti occasione reambulationis metarum per Hungaros praestiti videri potest: „sub qua arbore pyri praedicti Thomas, et Michaël Chápy discalceatis pedibus, resolutis cingulis, glebam terrae super capita sua ponendo, vt moris est, super terram iurare, iurassent in eo: vt ipsa terra, quam reambulassent, et praedictis metis a primis vsque nouissimas sequestrassent, terra possessionis ipsorum Polianka sit, et ad eandem pertineat. In cuius rei memoriam etc. Dat. in Wissegrad vigesimo die octauarum festiuitatis B. Ioannis Bapt. praedictarum. Anno Domini 1360.“

§. 267. *Czábócz* pagus Slavicus Graeco-catholicus templo, et parocho suae religionis prouisus, iugerorum 633. in agris. Olim Bocskaianis parebat, nunc ei dominantur comites Barkóczy, et nobiles Szemere, Kálnásy, Fáy, Megyessy.

§. 268. *Sztankócz* pagus Slavicus Graeci ritus parocho, et templo gaudet, iugerorum 495. olim castri Purustyán appertinentia, nunc per nobiles Molnár, Kéri, Bernáth possidetur.

§. 269. *Kereplye* pagus Ruthenicus priori affiliatus, iugerorum 418. castri Purustyán appertinentia, nunc Baroni Fischer, et nobilibus Szemere subest.

§. 270. *Visnyó* pagus Slavonicus catholicus parocho Galszecsiensi affiliatus iugerorum 494. olim ad castrum Purustyán spectabat, tresque pagos Alsó-Felsö-Közép Visnow faciebat §. 274. anno 1672. claustro Paulinorum Varannoviensi attributus, iis sublatis, nunc ad fundum religionis publicum spectat.

§. 271. *Téhna* pagus Ruthenicus, templo et parocho Graeci-ritus prouisus, 492. iugera in agris numerat, olim per Bocskaios ad castrum Purustyán possidebatur, hodie comitibus Barkóczy paret.

§. 272. *Gerenda* pagus Slauicus Catholicus, parochiae Gálszécs filialis 228. iugerorum, olim Bocskaianus, hodie nobiles Fay, Pekáry, Púky heros agnoscit.

§. 273. *Kohány* pagus Slauicus, Catholicus ad Gálszécs affiliatus 856. iugerorum, olim Bocskaiornm, nunc nobilium Fáy, Szemere, Kálnássy, Pilisy, Kulin.

§. 274. *Gál-Szécs* olim *Felsö-Zéch*, oppidum frequens, loco hilari, colonia Slauorum, Ruthenorum, Hungaris, et Germanis mixta, Catholica vtriusque ritus, et Helveticae confessionis, templis, oratorio, parochis, et ministro harum religionum prouisa, 2633. iugera agrorum numerat.

Anno 1255. Fuit appertinentia arcis Purustyán per magistrum Petrum dictum Petheuncz de genere Aba ortum, possessae. Not. Hist. §. 24.

Anno 1320. Per notam infidelitatis Petri, filii dicti Petheunc, filiis comitis Miczban in concambium castri Potok attributa. §. 274. et Not. Hist. §. 36.

Anno 1402. a Gallo de Zéch comite Zoliensi §. 98. et Not. Hist. §. 58. 60. 65. memorato, nomen *Gáll-Szécs* accepit, factum oppidum, publicis nundinis ad illud introductis.

Anno 1430. Petrus de Zéch fuit vltimus archidiaconus gremialis Zempleniensis. §. 94.

Anno 1439. Oppidum Occupatum per Hussitas Bohemos. Castro per illos erecto. Not. H. §. 70. et 87.

Anno 1449. Nicolaus de Gál-Széch in captiuitatem per Hussitas abductus. Not. Hist. §. 80. captiuitatem suam sic describit: „quod in captiuitate Bohemorum „ tantas poenas passus sit, vt nisi post Deum speciale

„ au-

„ auxilium Francisci de Sempse, ac Ladislai, et Ru-
„ dolphi filiorum eius in dicta captiuitate ei succurris-
„ set, ipse in dicta captiuitate absque omni dubio vi-
„ tam suam finiuisset temporalem, sed praefatus Fran-
„ ciscus, Ladislaus, et Rudolphus sibi in sui capitis
„ redemptionem 3. millium florenorum auri puri, iusti,
„ et boni ponderis Hungaricalium dedissent, etc. Ex
„ Orig. Fam. Semsey.

Anno 1451. Receptum ab Hussitis per Laurentium de Rozgony. Not. Hist. §. 87. Rursus in potestatem latronum redactum. Not. Hist. §. 88.

Anno 1459. Postremo a Bohemis recuperatum Not. Hist. §. 102.

Anno 1466. Per Stephanum de Perén expilatum Not. Hist. §. 113. 114.

Anno 1538. Bartphenses mercatores in nundinis Gálszécsiensibus per Zapolianum ductorem spoliati. Not. Hist. §. 189.

Anno 1567. Pars oppidi per notam infidelitatis Georgii Bocskay Francisco Kálnássy donata. Not. Hist. §. 262.

Anno 1600. Albertus de Zemere possessorium in Gálszécs a Francisco, et Ioanne Bocskaiis indeptus, est, vir antiquae nobilitatis: iam enim sub Ludouico I. Rege legitur de Zemere Vice-Banus Machouiensis ad compescendos rebelles Racenses, et Moldavos miseus apud Keza part. 3. cap. 39.

Anno 1603. Reuolutio Bocskaiana hic sumpsit exordium. Not. Hist. §. 347.

Anno 1685. Pars oppidi per notam Bocskaianam Baroni Michaëli Fischer donata. Not. Hist. §. 576. aliqua parte comitibus Drugeth attributa.

Hodie maior pars oppidi per nobiles Szemere, et Kálnássy, nec non Barones Fischer, reliqua autem

per nobiles Fáy, Púky, Szilassy, Pékary, Márton, Sóltész, Pánthy, et Tomsics possidetur.

Familiae Szemere, castellum, turribus quatuor hic innititur. Condidit illud Paulus de Zemere Tabulae regiae assessor, et Comitatus Aba-Uj Vice-Comes.

Anno 1647. In tractatu Cassouiensi cum Ferdinando III. Imp. suscepto principis Georgii Rákóczy commissarius, sed infeliciter in aedibus suis anno 1652. die 13. Septembris, aetatis suae 52. a latronibus occisus.

Frequentatur oppidum nundinis quotannis quinis, diebus, S. Gregorii, Sophiae, Magdalenae, Michaelis, et Martini celebrari solitis.

Ecclesia parochialis antiquae structurae hic visitur, in qua „ Georgius de Csap, Gregorius de Bacskó, „ Ladislaus, et Sigismundus de Zrythe ob singularem „ deuotionem, quam ad S. Catharinam, specialem „ ipsorum patronam gesserunt, vnum altare in eccle- „ sia parochiali in oppido Gálzeéch constructum, sa- „ croque nomini eiusdem B. V. Catharinae dicatum fun- „ daruut, ita: vt rectores eius altaris sustententur ex „ duobus molendinis vnius rotae in fluuio Tharna vo- „ cato, contra veras metas possessionis Kohán dictae „ decurrente, et duabus vineis in promonthorio Thar- „ naka vocato situatis, item duabus sessionibus in pos- „ sessione Kohán, omnibusque in Comitatu Zemplén „ existentibus. Coram conuentu ecclesiae S. Crucis de „ Lelesz anno 1512. “ Ex orig. Fam. Soós.

Item visuntur inscriptiones sepulchrorum sequentes: Pothincae Merze de Zinye, Francisci Kálnássy consortis:

Sarcophago hoc recubat tumulo reclusa Potinca
Illustris Merze stirpis memoranda propago.
Velatum lugubri — — — tegmine saxum

per

Heros coniugii sibi quam Kálnásius olim
Franciscus merito sociam delegerat ipse.
Nam matrona fuit virtutibus inclyta summis
Et grauis, et prudens, sic integritatis amatrix.
Religionis item sanctae fidissima cultrix.
Vt lux Pannonicas sic exspectatissima nunquam
Matronas inter vitae sidera debita finis
Parcere nequidquam tantis virtutibus ausit.
Bis duo lustra suae vitae, et geminos ter vixerat annos.
Spiritus ad alta astra volat, matremque — — —
— et repetunt sua membra priorem — — —
Antea cum lacrymis nati sua membra dilecti
Christophori in Sáros grauiter luctata recondit.
Anno 1575. 24. Februarii.

Ibidem epitaphium.

Generosi, et nobilis viri Domini Andreae de Bocskay in Christo pie defuncti anno 1579. 14. Nouembr.

Marmore in hoc tegitur quaeris quis? nomine
Dictus eram Andreas, cognomine Bocskay.
Quigquid opum partum virtute tenebat.
Inque domum patriam decus, atque insignia vera
Intulit, et natis ex se se nomen honestum
E viuis ad superos migrans post fata reliquit.
Aetatis suae anno 48.

Epitaphium Georgii Bocskay.

Ceu tener arescit violatus flosculus agro
Et subito laesus, qui stetit ante, cadit.
Georgius ipse ego sic — — — — —

Ostentantur praeterea vexilla emortualia praenominati Pauli, et filii eius Ladislai de Zemere Zempléniensium Vice-Comitis. Not. Hist. §. 559. memorati.

In

In turri porro reformatorum maior campana hanc inscriptionem continet:

Sacra Reformatis vt Gálszécsiensibus ornem,
De Kálnás Dominus me fundi iussit Adamus.

§. 275. *Bacskó* pagus, olim Bochkow, incolis Slavis, Catholicis vtriusque ritus, parocho tamen nonnisi Graeci ritus prouisis, 940. iugera terrarum complectitur. Fuit pariter castri Purustyán appertinentia, vt patet ex cambialibus, literis, quibus Micz-Baniani posteri §. 98. memorati „castrum Potok, et possessiones „ Ujheli, Ordow, Borsi, Knachy, Tay et Turonia, „ item castrum Zemlen cum villa Ladomuch velut bo„ na sua aquisititia cambiarunt pro castro Purustyán, „ et appertinentiis eius Zéch, vtroque Bochkow, Ke„ reple, tribus Visnow, Polanka, Tehna, Petrusfalva, „ Pernov, Kohán, Gwerenda, Zebegnew, Albun„ Torna, Kniches, et Andrásfalva, quae erant infide„ lis Petri, filii Peteunch cum Carolo rege. 4. Id. Febr. „ Anno 1321." Ex Archivo Fam. Soós.

Permutatione sic facta, pagus Bochkow celebri familiae Bocskay §. 98—101. nominatae nomen dedit, possidebaturque per eandem vsque annum 1671. quo Stephano Bocskay vltimo superstite reuolutioni Wesselinianae implicito, per donationem Leopoldi Imp. Baroni Michaeli Fischer attributus, per eius haeredes vna cum castello Bocskaiorum hodiedum possidetur.

Adiacent pago tria praedia, vtpote *Drinócz* iugerorum 405. et Baronum Fischer. *Albin* iugerorum 1007. ad eosdem Barones, et nobiles Szemere, Fáy, Púky Szilassy spectans. *Kincses* pariter ad Barones Fischer, et nobiles Mólnár pertinent.

Non

Non longe intra montes Baykó, et Dargó rudera visuntur etiam castri Purustyán §. 47. memorati.

Pagorum autem Petrusfalva, et Andrásfalva, prout et Knachy, Tay, prout nomen; ita et vestigia interiere. §. 174.

§. 276. *Dargó* pagus Ruthenicus, parochiae Gálszécs affiliatus, iugerorum 241. montibus, et syluis circumdatus; vnde et praedonum olim receptaculum. Not. Hist. §. 621. Castri Gálszécs appertinentia, nunc Baronibus Fischer, et nobilibus Szemere, Kálnásy, et Szilassy paret.

§. 277. *Tarnóka* olim Torna §. 275. pagus Ruthenicus, parocho, et templo eiusdem religionis prouisus, iugera 268. complectens, olim ad castrum Purustyán spectabat, hodie Barones Fischer, et nobiles Szemere, Kálnásy, Puky, et Pekáry dominos agnoscit.

§. 278. *Nagy* et *Kis-Azar* duo pagi distincti Catholici, parochia, et templo in Nagy-Azar prouisi, prior 1854. alter 985. iugera agrorum numerat. Érant olim familiae Azary §. 97. memoratae, nunc ad nobiles Zámbory, Tomsics, Sóky, Máriássy, Mocsáry, Szemere, Szinyei, Szenczy, Rácsay, Brigánd, Medeváry, Szalay, Pilisi, Horváth, de Pálócz, Püzpöky, Ösze, Ócskay, Versikószky, Pékáry, et Bekes pertinent.

§. 279. *Szécs-Keresztúr* olim *Alsó-Szécs* pagus Catholicus vtriusque ritus, templis quidem distinctis, parocho tamen nonnisi Graeco prouisus, latini ritus incolis parochiae Nagy-Azariensi affiliatis, iugera 1588. in agris complectitur. Olim castri Purustyán, dein castri Gálszécs appertinentia, exstinctis Bocskaianis in possessorium Comitum Petheö, et ab his per connubium in Barones Révay peruenit, hodie per Thomae Szirmay Consiliarii olim regii, et Vice-Comitis. Not. Hist. §. 769.

§. 769. memorati viduam, cui et castellum in pago est, possidetur.

§. 280. *Egres* pagus Slauicus, mixtae religionis, 496. iugerorum, nobilibus Kolossy, Nedeczky, Ecsedy, Haraszty, Török, Egri paret. Olim iuris Serédiáni, Melczeriani, Cseleiani, Barkócziani.

§. 281. *Cselej* pagus Slauicus Catholicus, vtriusque ritus, Graecis parocho, et templo prouisis, iatini ritus incolis parochiae Pelejtiensi affiliatis, iugerorum 1206. in agris. Fuit olim familiae Cseley §. 106. memoratae, nunc vero ad nobiles Orosz, Kolossy, Szenczy, Vislay, Hutka, Brigánt, Püspöky, Pilisy, Liptay, Ecsedy, et Bydeskúty pertinet.

§. 282. *Kelecseny* pagus Slauicus Catholicus vtriusque ritus, latinis ad Lasztócz-Graecis ad Isztánes affiliatis, iugerorum 483. Olim familiae Kelecsényi §. 118. memorotae gentilitius, nunc nobiles Bernát, Pilissy, Bessenyey, Ormos, Szomoroky, Pallay. et Payzos heros agnoscit.

§. 283. Sequitur tertius processus Zempléniensis, in duos districtus Zempléniensem, et Tárkányiensem diuisus, in cuius priori districtu in ordine sexto occurrit primo loco *Zemplén* olim *Zemlun*, ad confluentem Bodrogi cum Latorcza situm oppidum, a quo totus Comitatus nomen accepit, §. 1. Incolis Hungaris, Helv. confessioni addictis, oratorio, et ministro prouisis 917. iugera agrorum numerat, interiacetque castro, et ciuis viniferis.

Castrum *Zemlun* quia terra saxo durissimo vndique aggesta cinctum fuit, a Slauico *Zem* §. 1. nomen accepit, exstructumque est per Romanos ante aduentum Hungarorum, quod ampullae, vrnae, nummique ibidem erui soliti, velut totidem vestigia Romanorum coloniae §. 84. memoratae, Soliditas adhaec structurae, ex saxo,

saxo, et lateribus coctis Romanis extra omne dubium ponunt. Frustra ergo natales arcis aliqui ad Attillam, et Hunnos referunt, quibus ea aetate tam stupendae molis exstruendae nec fuit notitia, sed neque voluntas. Castrum enim hoc in durissimo saxo excavato, e lapidibus sectis, lateribusque coctis constructum, vndique egesta humo offusum, complectitur ambitu orgias 323. altitudine externa ad 10. orgias eleuata.

In hoc Hungari in Pannoniam venientes quieuerunt, legationemque regis Salani exceperunt, Not. Hist. §. 3. 5.

Expost diuisa Pannonia Zemlun fuit castrum regale cum tota fere interamnana regione, cuius praefecti curiales Comites, incolae vero Iobbagiones castrenses dicebantur. Not. H. §. 13. et 22. vbi terras Rozvád, et Gerus rex Bela a castro Zemlun eximit, sed et infra §. 313. Terram Lelesz a castro Zemlun exemptam videbimus.

Quale autem fuerit curialium Comitum munus? et quae Iobbagionum castrensium officia? quanto patriae damno salutare istud Arpádi ducis institutum profusa regum nostrorum liberalitate sublatum? describit Palma.

Anno 1241. Sub clade Tartarica arcem intactam mansisse indigitat diploma Belae regis §. 292, quod anno 1245. Castri Zemlyn facit mentionem, et adhuc

Anno 1263. Videtur fuisse castrum regale, cum Iobbagiones castri designentur. Not. Hist. §. 25.

Anno 1321. Reliqua inter cambiant illud, tanquam bonum aquisitium posteri Micz-Bán Comitis §. 274. fuitque iterum castrum regale, donec

Anno 1331. Rex Carolus vitae suae seruatori Nicolao Drugeth. Not. Hist. §. 47. 49. nominato illud donasset.

Anno

Anno 1557. Arx Zemplénia per Gabrielem Perényium occupata, communita, per Emericum Telekessy assultu capta. Not. Hist. §. 215.

Anno 1572. Maximilianus II. Imp. contulit familiae Drugeth priuilegium nundinarum in Zemplén 1. Ianuari, 24. Februarii, et 3. Nouembris celebrandarum, quae nundinae a distractione saginatorum porcorum tota hac Tybiscana regione maxime famosae sunt.

Anno 1632. Installatio Comitis Ioannis Drugeth in supremum Comitem adhuc in arce Zemplén peracta. Not. Hist. §. 439. Vnde subseque dirui debuit, vel per Georgium Rákóczy Drugethianis infestum anno 1644. Not. Hist. §. 468. vel per Tökölium Drugethiorum arces occupantem anno 1685. Not. Hist. §. 649. Praefectorum, et militum arcis nonnisi sequentium nomina ex ritu explor. veritatis erui poterant: anno 1219. §. 24. Chepanus praefectus castri, Degus centurio, Scema Hadnagio, Mocud Ioubagiones de Zemlun. Anno 1229. §. 25. Olodarus curialis Comes de Zemlun §. 87. Ioubagiones Petrus, Michael, Dugus, Chepanus, Vetha, Tumpa, Mocodin, Mozu, et Hycen. Item castrenses: Villam, Chyan, Bezegu, Payznan, Rettel, Homar, Zurnob, Torsa, et Horkyan, impetebantur lite per Arnoldum procuratorem hospitalariorum de Serrach de destructione praedii hospitalaris. Vnde et claustrum ordinis Cruciferorum prope alicubi fuisse non vana coniectura est.

Hodie oppidum per Comites Csáky, et van Dernath, Drugethiorum in sexu foemineo descendentes, ac nobiles Almássy possidetur. Fuit olim ordinarius locus conuentuum prouincialium. §. 165.

§. 284. *Lagmocz* olim *Ladomúch* pagus Hungaricus, Helv. Confessioni addictus ministro et oratorio eorum prouisus, 169. iugerorum, olim regalis castri

Zem-

Zemplén appertinentia, §. 275. dein familiae agnomini de Ladmucz nomen dedit §. 119. eaque emortua ad nobiles Sútha pertinebat §. 136. hodie per nobiles Klobusiczky, Szeghy, et alios possidetur. Ob terrenum sabulosum, et exundationibus Bodrogi constrictum, nonnisi exustione calcis viuunt incolae, quam ex saxis marmoreis §. 80. tanta copia hic exurunt: vt vicinis etiam Comitatibus Ungh, et Szabólcs abunde sufficiat. Superficies montium vestiuntur vite, vinum non ignobile, attamen calcinosum suppeditante.

§. 285. *Szomotor* olim *Zomorú-tor* pagus Hungaricus, Helv. confessionis, oratorio, et ministro prouisus, 604. iugerorum. *Triste funebrale conuiuium* Hungaris designans.

Nomen locum mutuasse aliqui autumant a sepulcretis Romanorum §. 84. memoratis.

Alii deriuant a suspendio Loborczii ducis Slauorum Not. Hist. §. 3. descripto subsecutoque hic loci funebrali conuiuio Hungarorum.

Alii a tenuiori paraeciae prouentu; nam vetus est de hoc, et non longe dissito loco Bereczky adagium:

A' Bereczky, et Szomotor,
Caue tibi Praedicator.
Nam Bereczky cum Szomotor,
Erunt tibi Szomorú-tor.

Fuit olim oppidum Gew. Tompa, et Mathaei anno 1241. per Tartaros euersum, dein terra deserta.

Anno 1263. Magistro Petro per Stephanum regem donata. Not. Hist. §. 25.

Anno 1500. Possidebatur per familiam Drugeth ad arcem Zemplén.

Anno 1560. Per Benedictum Serédy ad arcem Kövesd occupata.

Anno

Anno 1574. Familiae Drugeth restituta. Hodie per nobiles Klobusiczky, Súghú, Húttka, et Görgey possidetur.

§. 286. *Vécs* pagus Hungaricus, mixtae religionis, 362. iugerorum. Olim castri Zemplén appertinentia, dein familiae agnominis §. 138. memoratae, eaque in sexu virili exstincta, anno 1500. in possessorium familiae de Zerdahely deuenit, et ab hac in Bocskaios, per quorum notam anno 1674. Baronibus Vécsey donatus, nunc per hos, et nobiles Mezössy, et Hutka possidetur.

§. 287. *Kis-Ujlak* pagus Hungaricus, catholicus, parochiae Radensi affiliatus, 304. iugerorum. Olim castri Zemplén appertinentia, dein familiae Ujlaky §. 138. memoratae, eaque emortua Benedicto Serédy anno 1560. donatus, per cónnubium cum Christina Serédy in familiam Melczer deuolutus, hodie per filios Barbarae Melczer ex Emerico Horváth progenitos, nobiles vtpote Horváth de Szent-András, horumque affinem Pintér possidetur. Habet syluas, et piscinam Örköritó dictam.

§. 288. *Szent-Maria* pagus Hungaricus, Catholicus, parochiae Czékensi affiliatus. 188. iugerorum in agris, reliquam terreni partem syluis glandiferis occupantibus. Inde a diui olim Stephani Protoregis temporibus ad iura episcopi Agriensis pertinebat, vti Bela IV. rex in diplomate iurium episcopatus confirmatorio recenset apud Katona Tom. VI. pag. 335. „Item villa „ Szent-Maria in vicinitate castri Zemlyn cum dimidie„ tate tributi, quod ibidem exigitur a transeuntibus „ de villa Zemlyn versus eandem villam Szent-Maria „ in terram Ecclesiae, similiter per donationem B. regis „ Stephani possessae pacifice, et quiete in Comitatu „ de Zemlén existen. Datum anno 1261.“

Anno

Anno 1534. Occupata per Petrum Perénium Agria, haec quoque possessio anno 1548. consentiente Ferdinando Imp. ad castrum Garany applicata per Stephanum Losonczium, et Comitem Sigismundum Forgách possidebatur, litigantibus multum pro eius possessione episcopis Agriensibus, donec tandem

Anno 1638. Per Catharinam Pálffy viduam Forgáchianam Not. Hist. §. 453. memoratam veteribus suis dominis Episcopis restitueretur, per quos hodiedum possidetur, praeter vnam colonicalem sessionem, quam actu nobiles Losonczy possident.

§. 289. *Pálfölde* pagus exiguus, Catholicus, parochiae Radensi affiliatus, iugera agrorum nonnisi 186. complectens, reliquam territorii partem sylua glandifera *Lecse* dicta occupante. Fuit post cladem Tartarorum anno 1246, habitaculum *Pauli* cuiusdam Eremitae, a quo et nomen accepit, eoque mortuo ad castrum Zemplén reapplicatus. Anno 1570. familiae Alpáry de Bolly diuerticulum. Anno 1660. familiae Farkas de Bogdany praedium. Anno 1684. per Leopoldum Imp. Comiti Francisco Barkóczy donatus, per illum Baroni Francisco Klobusiczky cessus, per cuius haeredes Comites Klobusiczky nunc possidetnr.

§. 290. *Rad* pagus Hungaricus Slauis mixtis, religionis Catholicae, templo, et parocho prouisis, iugerorum 505. in agris. Fuit olim familiae Rady §. 130. memoratae, eaque exstincta anno 1578. Francisci de Véke. Anno 1637. Georgii Mélith, qui et residetiam pro patribus Minoritis ad Imreg translatam hic fundauerat §. 226. Anno 1684. in maiori parte possidebatur per Andream Forgách, sed eo regi suo infideli, occupatus per Fiscum regium, et Balthasari Nemessányi in pignus locatus. Anno 1770. Generali Leopoldo Schuller per divam Mariam Theresiam donatus, nunc per

nobi-

nobiles Gergelyi, Szirmay, Malonyay, Tomsics, Rozgonyi possidetur.

Adiacet pago praedium *Körtvélyes* ad nobiles Gergelyi, Sós: Pintér, et Szirmay spectans.

§. 291. *Szinyér* pagus Hungaricus Catholicus parochiae Radensi affiliatus, iugerorum 410. olim familiae Szinyéry §. 136. memoratae. dein iuris Barkócziani, nunc per haeredes Evae Barkóczy, anno 1670. Georgii Soós coniugis, nobiles vtpote Soós, horumque affines Tiszta possidetur.

§. 292. *Zéthény* pagus. Incolae Hungari, parochia Catholica, agri iugerorum 502. Olim familiae Makó §. 120. ex qua Frank dictus anno 1399. fuit Iudex Curiae regiae §. 114. demum familiae Némethy. §. 124. expost Telekessy §. 137. per Leopoldum Imp. Francisco Klobusiczky anno 1686. donatus. Not. Hist. §. 664. per eius haeredes Comites, et nobiles Klobusiczky cum praedicato de Zéthény, ac Barones 'Sennyey possidetur.

Castrum habuit circumfluente Latorcza, et vallis terreis firmum, cuius diruitio art. 46. 1548. decreta, sed resistente Francisco Némethy, nonnisi anno 1558. per Emericum Telekessy expugnatum. Not. Hist. §. 227. demum dirutis vallis per Franciscum Klobusiczky anno 1689. instauratum, nunc diuersioni Comitum opportuna habitacula praebet, opere quadrangulari, ad contignationem eleuato.

Alluitur pagus amne Latorcza, syluis glandiferis ripam occupantibus.

Adiacent pago duo praedia *Kerektó*, et *Eszenke* vocata, iugerorum 270. olim familiae Csápy de Eszeny, nunc ad compossessores Zéthénenses, Radenses, Vékenses, Szinyerienses, et Szentesienses spectantia.

§. 293.

§. 295 *Véke* olim *Weyka* pagus Hungaricus, Catholicus, parochiae Zéthény affiliatus, 736. iugera agrorum numerat. Metae eiusdem diplomate Belae regis sic definiuntur: „ Bela Dei gratia Hungariae, Dalma„ tiae, Croatiae, Ramae, Seruiae, Galliciae, Lodome„ riae, Cumaniaeque rex, vniuersis praesentes literas „ inspecturis salutem in omnium Saluatore, ad vniuer„ sorum notitiam tenore praesentium volumus perue„ nire: quod Martinus de Weyka praesentibus Vosos, „ Iobbagione castri Zemlény, Andrea, et Matthaeo, „ filiis Pika, tribus filiis Demetrii commetaneis suis, et „ consenitientibus est confessus: quod terram suam hae„ reditariam Weyka nomine, Mike filio Voclchok, qui „ in nostra stetit praesentia pro viginti marcis argenti „ vendidisset, et eandem pecuniam ab ipso plene rece„ pisset· Metae autem eiusdem terrae, sicut partes „ retulerunt; sic distinguuntur: prima meta incipit ab „ oriente iuxta fossam, quae exit de Thyche, meta de „ terra sub pomo, et tenet metam cum Vosos Iobba„ gione castri de Zemlény, deinde eadem fossa girat „ quandam piscinam, et ibi est meta de terra, et in„ de vadit ad Salbeuch, et vltra Salbeuch est meta de „ terra et per eundem campum tendit ad tres metas de „ terra, positas, inde tendit ad meridiem ad quercum „ vnam, quae dicitur angularis meta, et tenet metam „ cum filiis Pika, inde ad salices, et ibi est meta de „ terra. Demum vadit ad occidentem per campum, et „ sunt duae metae de terra, et iuxta villam Seuntes „ duae metae de terra, inde vadit ad vnam pyrum, et sel„ pha, et ibi sunt duae metae de terra. Inde vadit ad „ aquilonem, ad vnam quercum, quae est in fine mon„ tis, qui dicitur Birch, ibi est meta de terra, et va„ dit per eundem Bircz vsque verticem ipsius, et in „ ipsius vertice sunt duae metae de terra, inde vero

de-

„ descendit in vallem, et est meta de terra, inde va-
„ dit per campum, vbi sunt tres metae de terra,
„ inde vadit ad Nádas-Thóv, et ibi sunt tres metae de
„ terra, quae dicuntur angulares metae, et ibi tenet
„ metam cum filiis Demetrii, et iuxta Nádas-thóv va-
„ dit ad orientem ad domum Vocha, et infra domum
„ Vocha, et Nádasthóv est meta de terra, et iuxta do-
„ mum Vocha est meta de terra. Inde vadit ad Nagy-
„ Nyár est meta de terra, et vltra Nagy-Nyár meta
„ de terra. Inde vadit ad Bába-thóva, et ibi sunt duae
„ metae de terra, inde vadit ad Thychim super locum
„ molendini, qui tenetur ad terram Veyka, et ibi est
„ meta de terra, et per Thychim vadit superius ad
„ primam metam, et ibi metae terminantur, et super
„ Thycim, tenet metam cum filiis Zoulad. Et vt haec
„ venditio robur perpetuum obtineat firmitatis, prae-
„ sentes literas dari fecimus, sigilli nostri duplicis mu-
„ nimine roboratas: Anno ab incarnatione Domini 1245.
„ octauo kalendas Iulii anno regni nostri decimo. "

Possidetur hodiedum per nobiles Vékey in aliqua parte, eorumque per lineam maternam cognatos nobiles Szikszay, aliqua parte ad Comites, et Barones 'Sennyey, maxima autem parte ad Antonium Szirmay, eiusque coniugem Baronissam Franciscam Ghilány spectante, qui et vetusti operis castellum ibidem instaurari, ambulacrisque ex secto lapide, statuarioque opere ornari fecerunt, cum inscriptione fronti apposita:

AntonIVs De szIrMa, VXorqVe Baronissa
franCIsCa ghILánI restaVrarVnt.

Fuit hic ecclesia Catholica antiquae structurae, cuius iam anno 1423. fit mentio §. 293. et in qua Franciscus Vékey Vice-Iudex curiae regiae. Not. Hist. §. 251.

251. memoratus, marmoreo in tumulo anno 1578. sepultus fuit. Occupauerat is ecclesiam pro Euangelicis, sed illam Baro Georgius Ghilány loci herus anno 1751. pro Catholicis recepit, et quia numerosum iam populum Catholicum non caperet, eam vidua Ghilániana dirui, nouamque longe ampliorem anno 1797 exstrui fecit. Campana templi annum 1314. fusionisque locum *Pápa* ciuitatem ostentat. Dum fundamenta noui templi fodi curaremus, reperimus ossa caesorum permultorum in vnum cumulum coniectorum, quae militum Némethianorum fuisse incolae senes, ex continua patrum traditione retulerunt, hic sepultorum dum arx Zéthéniana per caesareanos anno 1558. caperetur. Not. Hist. §. 227.

§. 294. *Szentes* pagus Hungaricus Helv. confessionis, ministro locali prouisus, 841. iugerorum. Fuit olim familiae Zenthessy §. 136. memoratae quae a progenitore suo Makó de Zenthes, et Zéthény dicebatur.

Anno 1377. Possessor pagi fuit Paulus, filius Makow de Zenthes.

Anno 1423. Subdiuisa fuit possessio inter sexum foemineum Makoianum vti testantur „ adiudicatoriae „ Nicolai de Gara Palatini in causa nobilium Elenae, „ relictae Ioannis Orosz de Chicher, et Catharinae Ma„ kó consortis Petri literati de Kasuh actorum contra „ Petrum, et Georgium, filios Makou de Zéthén incat„ tos; adiudicantur incattis in Véke in vna medietate „ 16. sessiones, nec non vnum molendinum, quod ani„ malibus trahitur, in altera medietate adiudicantur „ Gabrieli, et Andreae literato de Helmecz 15. sessiones „ populosae, et vna deserta, nec non molendinum, quod „ animalibus trahitur; item ecclesia lapidea cum turri, „ et coemetorio, ac sepultura, terrae ad duo aratra „ regalis mensurae, nec non piscina, praeterea lacus

„ Pap-tava. Item in facie eiusdem possessionis fluuius „ Titiae. Actricibus vero pecuniaria solutio in 45. flo- „ renis novae monetae impensa. Item in Zenthes 37. „ sessiones desertae, terrae ad tria aratra regalis men- „ surae. Item rubeta ad tria aratra. Item duo mo- „ lendina, quae animalibus trahuntur. Ecclesia lapi- „ dea cum turri destructa, et caemeterio, ac sepultu- „ ra. Item vineae in monte supra Zenthes. In his „ etiam concordarunt actrices in 45. florenis novae mo- „ netae. Datum Budae 46. die octauarum festi epi- „ phaniarum Domini anno 1423. "

Olim hic fuit parochia Catholica, vti patet apud Katona Tom. XI. pag. 251. et Schmidt in episc. Agr. Tom. I. pag. 371. vbi „Vrbanus PP. VI collectam pro „ necessitatibus sacrae romanae ecclesiae per Hunga- „ riam, medio Rogerii de Canaciis, Camerae suae „ Apost. in regno generalis collectoris, datis ad Sigis- „ mundum regem literis instituit; sed Sigismundus „ propter publicas necessitates non vltra 4. millia flor. „ auri in Hungaria colligi admittit; ex quibus Dioecesi „ Agriensi adrepartitis per regem 400. florenis, Ste- „ phanus Episcopus Agriensis praepositum de Lelesz „ in 14. florenis, plebanum vero de Zentes in vno flo- „ reno, quemlibet florenum 72. grossis computando ta- „ xat, iniungitque sub poenis interdicti, et excommu- „ nicationis, et sex marcarum, quatenus praemissam „ taxam ad octauas festi Epiphaniarum Domini intro- „ mittant. Datum Agriae Sabatho proximo ante fes- „ tum B. Thomae Apost. anno 1388. "

Nunc pagus possidetur per Comites, et Barones Sennyey, nobiles item Ibrányi, Szirmay, et Gyulay.

§. 295. *Nagy-Géres* olim *Gerus*, pagus Hungaricus, Helv. confessionis, Catholicis parochiae Kövesdiensi affiliatis, iugerorum 728. Olim castri regalis Zem-

lun

lun appertinentia. Anno 1258. Ade, Igener, et Ambrosio, filiis Petri per Belam regem donatus. Not. H. §. 22. per Stephanum Vid, ac Nicolaum, filios Stephani Bani anno 1310. cambiatus, pertinebat ad familiam Imreghy §. 117. eaque anno 1436. deficiente, per Sigismundum regem donatus strenuis militibus Petro, et Iacobo, quorum dein posteri Géressy vocabantur §. 115. iisque emortuis, maior pars pagi familiae Iászay attributa, hodie per Comites 'Sennyei, et nobiles Szirmay, Szerdahelyi, Szent-Mihályi, Zmeskáll possidetur.

Conterminum est pago praedium *Keresztúr*, ad praeposituram Lelesziensem spectans. Ante annum 1214. fuit terra Huntonis Comitis, pro 83. marcis, et decem, et septem ponderibus, et duobus frisaticis per Bolezlaum Vaciensem episcopum empta. Vti Fundationales habent apud Katona Tom. V. pag. 184.

§. 296. *Örös* pagus Hungaricus Helv. confessionis, iugerorum 351. olim spectabat ad Stephanum, Vid, et Nicolaum, filios Stephani Bani, per eos anno 1310. cambiatus, fuit familiae Imreghy §. 117. nunc vero ad Comites 'Sennyei, et nobiles Szirmay, Borbély Farkas, Bátfay, Pilissy, Gobóczy, Hancsóvszky, Gazdagh, et Pórúbszky pertinet.

§. 297. *Karcsa* olim *Karacha* pagus Hungaricus, Helv. Confessionis, iugerorum 277. a praeterfluente Karcsa §. 57. nomen accepit, appertinentia castri Páczin. eosdem, quos castrum heros agnouit, ac nunc quoque agnoscit Comites, et Barones 'Sennyey. Templi antiquissimi, ex secto quadrato rubro lapide, ad formam Stephanei Wiennensis constructi. §. 96. et Not. Hist. §. 433. memorati rudera hic visuntur.

§. 298. *Nagy-Kövesd* olim *Kwesd* pagus Hungaricus, catholico templo, et Parocho prouisus, Helu.

confessioni addictis etiam oratorio gaudentibus, sed ministro Kis-Kövesdiensi affiliatis, 764. iugera agrorum numerat, a saxo, cui arcem superaedificatam habet, nomen accepit.

Anno 1247. Arcis conditor fuit Rollandus Palatinus. Not. Hist §. 24. cuius filii.

Anno 1273 Dynastiam Kwesd coram Ladislao rege diuiserunt. Ex Autogr. Ciuit. Eperies. Dein.

Anno 1280. Cum filiis Micz Ban Comitis cambiarunt. §. 98.

Ex his septem illustrium Regni familiarum progenie orta, castrum Kövesd obtigit Georgio Soós de Sóvár, cuius merita per Ladislaum regem recensentur apud Wagner in Dipl. Comit. Sáros pag. 48. 293. 301. 305.

Anno 1451. Per Hussitas Bohemos occupatum. Not. Hist. §. 85.

Anno 1459. Gloriosis Matthiae Corvini armis receptum. Not. Hist. §. 100.

Anno 1556. Per Franciscum Némethy perduellem expugnatum. Isthv. Libr. 20.

Anno 1558. Per Emericum Telekessy caesarearum partium Belli-Ducem recuperatum. Not. Hist. §. 229.

Anno 1560. Benedictus Scrédy Belli Dux arcem Kövesd pro nauata opera a Ferdinando I. Imp. dono accepit. Uti docent statutoriae capituli Agriensis prae manibus nostris habitae. Sed

Anno 1574. Haeredibus Seredianis lite per familias Csápy, Sós, Zrittey intentata: per publicam legem Art. 31. 1574. familiae Sós restituta.

Anno 1672. Georgio Soós reuolutioni Vesselénianae implicito, occupata per Fiscum Regium.

Anno 1673. Per Generalem Cobb. puluere pyreo in auras euersa. Mss. Babocsay.

An-

Anno 1690. Evae Barkóczy viduae Georgii Soós in sortem dotis, et allaturae tradita. Not. Hist. §. 576.

Demum per connubium cum Christina filia Georgii Soós peruenit ad possessorium Francisci Klobusiczky.

Nunc cum pago per Antonium Szirmay in tribus quartalitatibus, per Barones Fischer in vna quartalitate possidetur, qui et habitacula cultiora ibidem habent.

Cliuis vini feracibus, Bakhegy, Tarbúczka, Bohó, Nyúlászó, Mulató vocatis gaudet.

Incorporatum est terreno diuerticulum *Ácsa-homok*, olim possessio, vti testatur cambium inter Georgium, filium Simonis, et filios Benedicti de Delne respectu possessionis Ácha, et portionis in terra Rúzvad in comitatu Zemlyn habitarum, initum anno 1313. Coll. Fejéruáry. Tom. 5. Nro 174.

Sed et conterminum est pago praedium *Gerebse* olim filiorum Stephani Bani, anno 1310. cum familia Imreghy cambiatum §. 117. nunc permultorum possessorum.

Parochia catholica in Nagy-Kövesd antiquitate sua iure merito gloriari potest. Iam enim anno 1325. Gabriel-Plebanus de Kwesd cum credentionalibus Caroli regis missus est ad Ladislaum, filium Thomae, et Nicolaum, filium Boxa, vti literae Archiui familiae Soós testantur. Interim occupatam diu tenebant reformati, donec ab iis anno 1770. reciperetur. A receptione illius duo nonnisi Parochi recenseri possunt. Anno 1770. Matthias File. Anno 1794. Matthias Ioób de Fancsal.

§. 299. *Kis-Kövesd* Pagus Hungaricus, Helu. confessionis, oratorio, et ministro locali prouisus, nonnisi 137. iugera agrorum numerat. Olim castri Köuesd appertinentia, nunc per comites Sennyey, Barones Vécsey, et Fischer, ac Nobilem Szirmay possidetur.

§.

§. 300. *Szerdahely* pagus Ungaricus, ad ripam Bodrogi, incolae catholici vtriusque ritus, Graecis templo, et parocho, gaudentibus, latinis ad Nagy-Kövesd affiliatis, 1231. iugera agrorum complectitur. Collibus vitiferis, syluisque glandiferis plagam septemtrionalem occupantibus. Pertinebat ad familiam Zerdahelyi, vnam ex stirpibus Micz-Banianis §. 98 eaque anno 1549. emortua deuenit ad congenerationales Bocskaianos §. 136. sed his regi suo infidelibus anno 1674. donatus est Baronibus Vécsey. Not. Hist. §. 576. per quos nunc in maiori parte, in reliquo autem per Nobiles Ibrány, Orosz, Szügyény, Csúka, et Borbély possidetur, qui omnes cultiora habitacula ibidem habent, antiquum vero castrum Zerdahelyiorum anno 1670 fugato Stephano Bocskay Generalis Spork euertit. Not. Hist. § 569. et Mss. Babocsay. Veteri quoque templo solo aequato, eius ruderibus superaedificatum sacellum, Nicolai Bocskay monumento §. 99. memorato est memorabile.

§. 301. *Pácsin* pagus Ungaricus, romano catholicae religionis, parochiae Kövesdiensi affiliatus, 389. iugerorum in agris, reliquum terrenum pratis occupantibus.

Anno 1247. Possidebatur per Rollandum, dein Comitem Palatinum. Not. Hist. §. 24. 25. memoratum.

Anno 1392. per generationem Bagoad-Radvan §. 123.

Anno 1530. per familiam More de Körös-bánya §. 123.

Anno 1581. Per Gasparem, et Andream Magóchy.

Anno 1630. Per Comitem Melchiorem Allaghy, qui templum castelli ab euangelicis pro vsu catholicorum recepit. Not. His. §. 433.

Eo-

Eoque anno 1631. In sexu virili emortuo familiae Baronum 'Sennyey donatione regia attributus. Not. Hist. §. 437. per quos hodiedum possidetur.

Castellum nobile Magóchiani hic erexerunt, cuius porta sequentem inscriptionem ostentat:

Deo propitio seruatore, aedificium hoc auspiciis felicibus Magnifici Domini Gasparis Magóchy patrui sui, Angreas Magóchy F. F. anno 1581. G. M. A. M.

Subnexum est infigne, siue scutum militare erectum, in quo vir Hungarus stat, dextra manu cor ardens offerens, cum inscriptione: *Consilio, corde, manu.* Supereminet cassis craticulata corona decora, ex qua prominent duae alae aquilinae. In circumferentia haec leguntur:

Bátorságos az Istent félni,
Veszedelmes vele nem élni.

§. 302. *Karos* pagus Hungaricus, helueticae confessionis, agris iugerorum 132. reliquo terreno syluoso. Olim generationis Bagoad Radván §. 123. dein appertinentia cas'ri Páczin, nunc quoque ad illud per Comites, et Barones 'Sennyey possidetur, aliqua parte ad Nobiles Tiszta, et Csuka spectante.

§. 303. *Lúka* pagus Ungaricus, Helu. confessionis, iugerorum 312. quia prata obtinet continuis vsque ad Tybiscum lacunis vuida, a conditoribus Slavis *Luka*, siue pratum vocatus, dein familiae Lukay §. 119. memoratae nomen dedit, eaque emortua, ad Boeskaios deuenit, per quorum notam Baronibus Vécsey donatus, eos heros agnoscit.

§. 304. *Vajdácska* olim *Vayda* pagus Ungaricus, helueticae confessionis, iugerorum 258. ex primigenia fundatione ad capitulum Váradinense spectabat. Anno 1380. pro possessionibus Mika, et Meger per idem ca-

capitulum cum Dominico Praeposito Lelesziensi cambiatus, expost ad Lelesziense caenobium Praemonstratensium pertinebat, iisque anno 1785. sublatis, ad fundum religionis possidebatur.

§. 305. *Felsö, et Alsó-Bereczky* duo pagi distincti, Helu. confessionis, vno tantum ministro, et oratorio vtrique communi. Prior. 127. alter 382. iugerorum, reliquum syluis quercinis occupantibus, possidetur per Nobiles Boronkay, Olchvary, et Csuka.

Conterminum est pago Alsó-Bereczky praedium *Agócz* stirpis olim Micz-Banianae §. 98. 205. memoratae.

§. 306. *Szögh* pagus Hungaricus, catholicus, quia Bodrogo amne, et palude piscosa *Páltó* cingitur, *insulae* nomen ab Hungaris accepit iugerorum 153.

Anno 1608. Fuit possessio Georgi Herczegh.

Anno 1600. Per Palatinum Comitem Stephanum Illésházy donata Andreae Berzeviczy et Ioanni Sándor.

Anno 1611. Impetrauit pagum noua donatione Franciscus Daróczy de Deregnyö, contradicentibus prioribus. Fasc. 2. Lit. B. Nro 207. 208. 209. Elench. Berzeviczy.

Anno 1732. per Martinum Krucsay.

Anno 1760. Per Nobilem Ramoczaházy, nunc per Nobilem Szügyén possidetur.

§. 307. *Borsi* pagus Hungaricus catholicus, iugerorum 380. syluis quercinis, et amne Bodrogo ab oriente illum ambientibus. Fuit anno 1219. castri Potok appertinentia. Not. Hist. §. 12.

Anno 1321. Per posteros Comitis Micz Ban cum rege Carolo cambiatus §. 274.

Anno 1387. Nicolao de Perén donatus. Not Hist. §. 51. usque Annum 1711. eosdem heros, quos arx

Pa-

Patakina agnouit. Demum Comiti Aspremonth iure Materno Rákócziano attributus.

Anno 1730. Oppignoratus Béganyiis, hodie per Comites Aspremonth possidetur.

Memorabilis a natiuitate Francisci II. Rákóczy patriae luctuosa. Not. Hist. §. 739.

§. 308. *Szöllöske* pagus Ungaricus, Helu. confessionis proprio oratorio, et ministro prouisus, iugerorum 192. reliquum syluis occupantibus, quia collibus vitiferis subiacet, a vineis Hungarice *Szöllö* nomen accepit, traiectu per Bodrogum itinerantibus commodo memorabilis, semper castri Zemplén appertinentia, nunc heros Nobiles Almássy agnoscit.

Hunc nonnulli censent olim ad Praeposituram Praemonstratensium de Darno pertinuisse

Collis vitiferi Patakiensis *Darno* §. 204. mentionem fecimus. Cuius nomenclatura hodiedum retenta suppeditauit nobis celebre antiquitatis, praepositurae videlicet B. Mariae Virg. de *Darnow* ordinis Praemonstratensium monumentum.

Memoria praeposiurarum de *Dornau*, et de *Dorna* hodiedum occurrit in Titularibus Hungarorum Calendariis, et titulus vtriusque per Apostolicos nostros Reges bene meritis Ecclesiasticis confertur, sed localitatem edax tempus sua adeo obuoluit caligine: vt celeberr. etiam Praemonstratensium annalista Carolus Hugo, Abbas Stivagiensis in Lotharingia, de iis non plus adnotarit, quam „suspicarer, inquit, *Dornam* „ in Pagii olim Elencho appositam olim filiam Iászow, „ postmodum subiectam Lucenae paternitati eandem „ esse cum *Dornaw*, nisi illa in Vaciensis, ista vero „ Agriensis Dioecesis finibus occluderetur. Annal. Prae„ mon. Tom. I. pag. 633.

Ita est: *Dornam* intra ambitum Episcopatus Vaciensis perquiramus, *Darnow* autem Dioecesi Agriensi, et colli vitifero Patakinensi *Darnó* adscribamus. Diplomata, quae nobis eximius Iosephus Mallyó, Hliniko-Trenchéniensis, Canon. Reg. Praemon. et Ecclesiar. de Iászow, et Lelesz Iurat. conuentualis, amicus noster, et curiosus antiquitatis indagator ex tabulario Lelesziensi suppeditauit, rem ad claritatem ponunt.

Anno 1336. Praecxstitisse ecclesiam *Darnow* patet ex literis, vt vocant, adiudicatoriis Comitis Pauli Iudicis curiae regiae, reambulationem metalem possessionum Tólchva, et Olazi, ac sequentia continentibus: „ in quadam semita, per quam ad ecclesiam *Darnow* „ vocatam transitur iuxta fluuium Sadanpataka a pla„ ga septemtrionali, ibidemque adstantes Nobiles, ma„ gister Ladislaus, filius Ioannis, et Petrus, filius de. „ — — — Nobiles de Tolchva tricesimo se Nobilibus „ iurauerunt super eo: quod praefata semita vsque ad „ dictam ecclesiam *Darnow*, et aliae metae, quas ipsi „ ostenderant, verae metae dictarum possessionum Ola„ zi, et Tolchwa essent, et fuissent. Inter Metal. „ Comit. Zemplén.

Anno 1369. Hac in ecclesia praefuit fratribus Praemonstratensibus Laurentius praepositus, qui per conuentum Lelesziensem pro fidedigno testimonio destinatus, metas possessionis Liszka cum homine regio reambulauit. Ita ex Archiuo Capit. Scepus excerpsit, atque in sua Mss. analecta transtulit Tom. I. Diplom. Carolus Wagner. *Darnow* itaque fuit filia conuentus Lelesz.

Anno 1436. Albertus praepositus floruit, cuius memoriam conseruat inquisitio contra discretum virum Emericum Plebanum de Patak, qui indiscretum sese exhibuit, dum famulum praepositi negotiorum causa

Le-

Leleszinum proficiscentem in via publica Patakinensi dire verberauit, insuper villicum dicti praepositi, duos item famulos consimilibus verberibus affecit in praeposituralí curia *Szewlewsk*iensi. Arch. Lelesz Actor. anni 1436. Nro 37.

Anno 1492. Franciscus praeposituram rexit, bonaque eius contra potentes inuasores Pálóczios tuebatur. Rem taliter patratam memorant literae conuentus Lelesz Actor. 1492. Nro 22.

„ Nos Conuentus Eccclesiae S. Crucis de Lelez „ memoriae commendamus per praesentes: quod Ve„ nerabilis, religiosus *Frater* Franciscus, ordinis Prae„ monstraten. Praepositus ecclesiae Beatissimae Mariae „ Virginis de *Darnó* nostram personaliter veniens in „ praesentiam, per modum protestationis, et inhibi„ tionis significare curauit hunc in modum: quod licet „ ipse, ac praedecessores praepositi eiusdem eccle„ siae de *Darnó*, necnon vniuersi Iobagiones eius„ dem, in possessione sua *Zewlewske* vocata, in „ comitatu Zemplen existente commorantes semper, et „ ab antiquo secundum fassionem, et demonstrationem „ Iudicis, et iuratorum ciuium, ac vniuersorum hospi„ tum oppidi Sáros-Patak, literarumque suarum scilicet „ Honorabilis Conuentus Ecclesiae de Iászow, super„ inde confectarum, in pacifico dominio permaneret „ piscinarum ex altera parte fluuii Bodrogh vocati a „ partibus orientali, et meridionali intra veras metas „ praefatae possessionis *Zewlewske* adiacentium, nec „ non aquarum decursuum dicti fluuii Bodrogh, pro„ ut haec praescriptae literae fassionales clarius attine„ re declararent. Tandem magnifici Antonius, et Mi„ chaël, filii condam Stephani de Pálócz, ac praede„ cessores eorum, et condam Emericus de eadem „ Pálocz, postquam praedictum oppidum Sáros-Patak

„ ad

„ ad manus eorumdem deuenisset, praefatos vniuer-
„ sos Iobbagiones dictae ecclesiae de *Darnó* ab vniuer-
„ sorum praedictorum pratorum, piscinarumque, et
„ aquarum decursuum vsu in dies in tantum prohibuis-
„ sent: vt iuxta Regni antiquam consuetudinem, pro-
„ ut praedictae literae attestarentur, et fassiones dicto-
„ rum iudicis, et iuratorum, ciuium, ac vniuersorum
„ hospitum continerent, vti non permitterent, quin
„ potius dum eosdem Iobagiones in dictis pratis, pi-
„ scinis, et aquarum decursibus reperissent, tunc No-
„ biles Nicolaus de Borsva ac Ladislaus de Palaga,
„ familiares eorundem Anthonii, et Michaëlis de Pálócz,
„ de commissione eorundem Dominorum suorum, quem-
„ dam vnum iobbagionem praefati praepositi de Darnó
„ in dicta possessione *Zewlewske* commorantem, ac
„ in dictis pratis repertum captiuassent, et in car-
„ cerassent, captumque sub maxima pactatione, et so-
„ lutione pecuniaria de ipsa captiuitate emisissent. In
„ quibus eidem praeposito, ac Ecclesiae suae praedi-
„ ctae ab eo tempore, plus quam quinquaginta millia
„ florenor. auri dampna intulissent potentia median-
„ te, in praeiudicium, et derogamen praefati Exponen.
„ et ecclesiae suae praedictae valde magnum. Vnde
„ facta huiusmodi protestatione etc. Dat. in festo de-
„ collationis B. Ioannis Bap. anno Domini 1492. (L.S.)

Haec itaque ad euidentiam ostendunt: in colle nunc Patakinensi Darnó ecclesiam, praeposituram, et Monasterium ordinis Praemonstratensium fuisse, post cladem indubie Mohácsianam euersa.

Maior quaestio est: vbi fundationalis praepositurae possessio *Zewlewske* praefuerit? hanc dilucidassent literae conuentus Iászoviensis relatoriae, quibus homo regius Valentinus Horváth de Nagy-Mihály cum religioso fratre Oswaldo presbytero, et conuentuali Iaszovi-

viensi metas possessionis *Zewlews* ex mandato regio ad petitionem praepositi Francisci anno 1495. reambulare volebant, sed per seruitores Pálóczianos interturbati sunt. Arch. Lelesz. Metal. Com. Zemp. Nro 3. coniecturae itaque solum locus est.

Possessio *Szöllöske* §. 308. descripta ad Bodrogum amnem hodiedum superest, sed ab oppido Patak plus quam duarum horarum interuallo remota. Qui ergo (vt supra) iudices, iurati, et hospites oppidi Sáros-Patak prata, piscinas, et aquarum decursus remonstrare potuissent? quomodo remotior villicus Szöllöskiensis ansam se verberandi Plebano Patakinensi dare potuisset? nisi fors per transennam.

Anno 1495. noua reambulatione metarum possessionis *Szewlews* per Pálóczios non admissa, Franciscus praepositus iuit ad conuentum Lelesz, et literas donationales Belae IV. Regis super quatuor mansionibus vinitorum inter villam Potok, et Olaz de anno 1257. emanatas transummi fecit. Arch. Lelesz. Fasc. sub T. Nro 153.

Cum itaque donationis huius fuerit possessor, indubie et tenutorum donationi inclusorum possessor fuerit. An non ergo sub nomenclatione nunc possessionis Petrahó, tunc possessio *Zewlewske* venerit? At tenuta Petrahoviensia donata erant *Fratribus in Thuruny*, siue *Toronya degentibus*, vbi patres ordinis S. Pauli I Eremitae monasterium, dein ad oppidum Ujhely translatum habuisse certum est. Deinde sub nomenclatura fratrum Monachi, et non Praemonstratenses canonici (vti §. 316. videre. est) sub nomenclatione vero ordinis S. Augustini *Heremitae* s. Pauli antiquitus veniebant. At et sacer Praemonstratensium ordo regulam S. Augustini profitetur, chorum ad instar Monachorum psallebat, et in donatione eiusdem Belae re-

regis anno 1252. donata iis praepositura B. Mariae Virginis de Turucz vocatur *Monasterium*, illi vero *Fratres ordinis Praemonstratensis* compellantur. Porro damna plus quam 50. millium flor. auri Franciscus praepositus sib potentia mediante illata queritur, debuit ergo esse maior, quam quatuor vinitorum mansionis possesio. Occupa ioni possessionis *Zewlews* possessorium oppidi Patak per Pálóczios adeptum ansam dedit. At et oppidum Helmecz. §. 320. Praemonstratensium Pálóczii occuparunt, quin ipsum caenobium Lelesz §. 316. armata manu inuaserunt. Nomenclationis *Petrahó* deriuationem §. 203. dedimus, at *Zewlews* vocatam possessionem nuspiam alibi in hoc comitatu, quam hodiernam *Szöllöske* comperimus. Denique *Patrovo*, *Darnow*, *Kaluscha* sunt voces Russicae, *Szöllöske* Ungarica, quae nomenclatio potius hodiernae possessioni *Szöllöske*, semper Hungaricae, et non *Patrovo* Russicae congruit. At et Russica *Patrovo*, *Darnow Kaluscha* (*) in Hungarica *Petrahó*, *Darnó*, *Kalusér* mutata sunt.

Qualitercunque tamen res se habeat, volupe nobis fuit transcribere memoratam Belae IV. Regis Donationem, peruetustam, optime conseruatam, notitiamque loci *Petrahó*, terrae S. Vincentii (nunc *Szent Vincze*) olim Dominicanorum multum illustrantem, ac, quod mireris, iam tunc pontis lapidei in hoc comitatu mentionem facientem, quam Franciscus Praepositus in authographo integram reliquit:

„ Bela DEI gratia Hungariae, Dalmatiae, Croa-
„ tiae Ramae, Seruiae, Galliciae, Lodomeriae, Cuma-
„ niae-

(*) *Kaluscha clausura aquae* hodiedum in comitatu Trenchén vocatur.

„ niaeque Rex. Omnibus, quibus praesentes ostenden-
„ tur, salutem in omnium Saluatore. Regiae conuenit
„ Maiestati, vt ea, quae suis ecclesiis contulerit, suo-
„ rum priuilegiorum testimonio fulciat, et confirmet,
„ ne processu temporum in irritum aliquatenus reuo-
„ centur. Proinde ad vniuersorum notitiam volumus
„ peruenire: quod ob remedium animae nostrae, et
„ salutem, dilectis nobis in Christo *Fratribus ordinis*
„ *S. Augustini* de *Turul*, quatuor mansiones *vinito-*
„ *rum nostrorum*, existentes inter villam *Potok*, et
„ *Oloz*, qui quidem his vocabulis nuncupantur, Nico-
„ laus Albus, Nicolaus Niger, Buus, et Wyncha, cum
„ terris suis, et *vineis* perpetuo duximus conferendos,
„ ita: quod per omnia idem debitum, et seruitium me-
„ moratae Ecclesiae, et fratribus exhibere debeant,
„ quod nobis antea exhibere tenebantur; quorum etiam
„ terrarum metae, prout fidelis noster Chybrianus
„ comes de Sarus nobis in suis literis intimauit, hoc
„ ordine distinguuntur: incipit enim iuxta fluuium *Bu-*
„ *drug* sub arbore ilicis, conterminando terrae *Mork*
„ filii *Mortun*, inde vadit ad pirum, post haec intrat
„ nemus, vbi sunt iterum metae sub ilice, deinde va-
„ dit ad meridiem, vbi sunt metae sub sabulo. Post
„ haec iuxta viam sub ilice sunt metae conterminando
„ adhuc terrae *Mark* antedicti, vbi quoddam magnum
„ pratum, seu fenetum cum piscatoribus, ipsis cum
„ aliis populis commune, remanet extra metas. Post
„ haec venit iterum in *Budrug*, vbi est meta sub po-
„ mo, iuxta *Budrug*, et vbi intrat in *Budrug* descen-
„ dendo, et exit de *Budrug* in vallem, quae *Kaluzér*
„ nuncupatur, et conterminando terrae *Sancti Vincen-*
„ *tii*, in communi metis assiduis venit in *pontem lapi-*
„ *deum*, vbi sunt metae. Post haec intrat in locum,
„ qui *Kecelpotok* vocatur, et intrat iterum in *Budrug*,

„ et

„ et redit ad metam priorem, et sic terminatur. Vt „ igitur haec nostra collatio robur perpetuae firmitatis „ obtineat, praesentes literas dedimus duplicis sigilli „ nostri munimine communitas. Dat. per manus di- „ lecti et fidelis nostri M. Smaragdi, Ven. Electi Co- „ locen. aulae nostrae V. Cancellarii. Anno D. 1257. „ regni autem nostri anno 23. (L. S. pend.) Inter „ Metal. Zempl. Nro 42.

§. 309. *Czéke* pagus Slavonicus, catholicus, Parocho, et templo prouisus, 849. iugerorum, syluis glandiferis cinctus.

Habuit olim arcem Czéke-várá, ad familiam Czékey de genere Koplon ortam spectantem §. 106.

Anno 1407. Euersam, et cum pago Nobilibus Soós, et Kelecseny collatam. Not. Hist. §. 56.

Anno 1423. Martino de Czéke Vice-Ianitorum regalium magistro rursus restitutam.

Anno 1503. Per connubium cum Sophia Csékey ad Dominicum Dobó, §. 106.

Anno 1580. Ad familiam Melith. §. 120. dein ad huius descendentes Divényianos, et Comites Klobusiczky pertinebat, nunc autem per Nobilem Possa in maiori parte vna cum castello, in reliquo per Nobiles Boronkay, Rozgonyi, Balogh, Egry, 'Siró, et Illosvay possidetur.

Anno 1670. Per Casparum Kereskény concrematus, de 40. suspensis praedonibus triste spectaculum habuit. Not. Hist. §. 571.

Adiacet pago praedium *Kis-Falud* diuersorio itinerantibus commodo, et ruderibus antiqui templi spectabile anno 1406. per Marcum Parvum, siue Kis de Kis-Falud possessum, nunc ad Nobilem Possa spectans. §. 113.

§.

§. 310. Sequitur septimus districtus Tárkányiensis, cuius caput *Nagy-Tárkány* pagus, ad ripam Tybisci, castello, et depositorio salis Marmatici memorabilis. Colonos Hungaros catholicos, templo, et parocho prouisos, 741. iugera agrorum habet.

Nomen accepisse dicitur ab Arpadi ducis filio *Tarkanz* dicto, de quo Katona in Hist. Crit. Prim. Ducum Hung. pag. 694. qui et castrum ibidem condidit.

Castrum hoc nobilissimae familiae Tárkány. §. 137. et Not. Hist. §. 383. 404. 408. memoratae nomen dedit, cui et priuilegium super telonio, seu tributo salis in fluuio Tisza exigendo anno 1649. Ferdinandus III. Imp. contulit Possidetur nunc per Comites, et Barones 'Sennyey, Tárkányiorum in sexu faemineo descendentes, nisi quod Nobiles Korchma aliquam etiam pagi partem teneant.

Thuroczy in Hungaria suis cum Regibus compendio data, memorat hic fuisse claustrum Carthusianorum.

Anno 1559. Emericus Telekessy Zápolianos domaturus hic castra fixit. Not. Hist. §. 234.

Anno 1675. Baro Franciscus 'Sennyey, et Nobilis Stephanus Terebessy in castello Tárkány per rebelles trucidati. §. 158. et Not. Hist. §. 605.

Anno 1685. Germanicae copiae arci Tokaynae hinc infestae imminebant. §. 178.

§. 311. *Kis Tárkány* pagus Ungaricus, catholicus, priori affiliatus 214. agrorum iugera numerat, olim familiae Boda §. 102. nunc per Barones Reviczky, et Nobiles Apagyi, Szerdahelyi Gyulacsi, et Korcsma possidetur.

§. 312. *Agh-Csernyö* olim *Chorna* pagus Hungaricus, catholicus, 350. iugerorum in agris.

Nomen Russicum *Chorna*, quod *nigrum* designat, a nigredine glebae inhabitatores Rossi eidem indidere, fuitque anno 1214. praedium caenobii Lelesziensis *Chernafolo* dictum, vti fundationales perhibent: „ infra „ memoratas metas continentur quatuor praedia, vnum „ videlicet sub monasterio, quod vocatur Lelez, secun„ dum Oylith, tertium Paylen (nunc-Pólyán) quartum „ in *Chernafolo*, in eoque locus molendini Chorna. „ §. 319. “

Anno 1270. Post cladem Tartaricam a Monasterio Lelesziensi auulsus, in donatione Stephani regis pro Iacobo dicto Ruke, et filio eius Agh. elargita *Chernafewld* vocatur, vti perhibet contradictio Valerii praepositi Lelesziensis eidem donationi anno 1272. coram capitulo Agriensi opposita, qui villam *Cherna-fewld* ad caenobium Lelesziense spectare frustra praetendebat. Nam dein familiae Cherney §. 106. memoratae nomen dedit, et a praefato *Agh* Cherneiorum progenitore Agh-Csernyö compellari coepit, ad distinctionem exiguae solum tarreni partis, versus pagum Pólyán conuentui relictae, quae nunc quoque sub nomine praedii *Csernyö* venit.

Hac demum stirpe exstincta, possidebatur per Bocskaios, iisque notae infidelitatis implicitis anno 1680. per Klobusiczkios. Anno 1790. per Leopoldum II. Imp. Ladislao Szerdahelyi cum praedicato de Ágh-Csernyö donatus, nunc per eundem, et Nobiles Klobusiczky pessidetur.

§. 313. *Bottyán* pagus Ungaricus, catholicus, templo et parochia prouisus, 1004. iugera agrorum numerans, fuit olim familiae Tárkányi, quae et elegans castellum opere quadrangulari ibidem posuit, a qua per connubium transiuit in Barones Sennyey, et ab his

in

in Comites, et Barones Döry, ac Nobiles Bodó, et Szirmay.

§. 314. *Bacska* olim *Becheka* pagus Ungaricus catholicus, 914. iugerorum, olim familiae Bacskay gentilitius, cui in sexu virili emortuae successit anno 1640. Anárcsy de Bacska Capitaneus, et huic familia Vay, sed quia Adamus Vay factioni Rákóczianae adhaesisset. Not, Hist. §. 708. Stephano Barlogh per Leopoldum I. Imp. donatus, dein in Evam Bencze ex sorore Barlogii neptem, consentiente Carolo VI. Imp. translatus, per connubium deuenit in possessorium Nobilium Beöthy, ab his perennalis emptionis titulo in Ladislaum Szerdahelyi, per quem possidetur.

§. 315. *Kaponya* pagus Hungaricus, catholicus 275. iugerorum, olim ad familiam agnominem §. 118. pertinebat, hodie per Nobiles Szerdahelyi, et Durcsák possidetur.

§. 316. *Lelesz* oppidum, colonos Hungaros, catholicae religionis, templo, et parocho prouisos, 1050. iugera agrorum habet.

Post diuisionem Pannoniae inter Hungaros, Lelez fuit praedium ad regale castrum Zemlyn spectans Katona Tom. 6. pag. 182.

Anno 1132. Bela II. rex terram Lelesz a regali castro Zemlyn exemptam donauit Bolezlao, vel vt in diplomate Belae II. legitur Bogyezlao, serius postea Vaciensium Episcopo. cum Bolezlaum e baptismatis fonte leuaret. Kaprinay part. 2. pag. 195. et Katona Tom. 5. pag. 194.

Anno 1180. Bolezlaus, iamVaciensium Episcopus condito testamento „praedium Lelez, et vniuersa prae„dia cum libertinis, seruis, et ancillis Ecclesiae S. „Crucis, et Canonicis in ea sub titulo Praemonstraten„sis ordinis in candido habitu Deo militantibus contu-

 „lit,

„ lit, hancque donationem Bela III. Rex confirmauit.
„ Sed priuilegium istud tempore Emerici Regis dum
„ ob regiae celsitudinis ingratitudinem falsi criminis
„ poenas subiisset. "

„ Anno 1200. Se amisisse pluribus edocuit argu-
„ tis. Ea propter

Anno 1214. Andreas II. Rex fundationem Bolezlai nouiter confirmauit. Katona Tom. V. p. 180. Sed et

Anno 1334. Carolus Rex, et Elizabetha Regina.

Anno 1342, et 1364. Ludouicus.

Anno 1405. Sigismundus.

Anno 1486. Matthias reges successiue roborarunt. Katona Tom. IX. pag. 44.

Immunitates porro, et prouentus peculiares habuit coenobium Lelesziense.

Ex priuilegio Andreae II. Regis de anno 1214.
„ Collectam ponderum, et liberorum denariorum de
„ hominibus in cunctis villis Ecclesiae. Tributa, quae
„ ter in anno, in natiuitate videlicet, pascha, et in fe-
„ sto S. Regis a tributariis Regis, et Reginae solebant
„ colligi. Duos timenos salium in Dees, super aquam
„ singulis annis in pentecoste exigendos. Decimas por-
„ corum singulis annis super homines eiusdem Eccle-
„ siae colligendas. Populus Ecclesiae a iudicio omnium
„ iudicum regni fuit exemtus, et solius regis, vel fratrum
„ ecclesiae iudicio subiectus, ac protectioni regiae, vt
„ *Regalis Ecclesia* peculiariter commendatus. Katona
„ Tom. V. pag. 189. "

„ Ex collatione Cataphani Episcopi Agriensis in
„ dotalitium Ecclesiae Lelesziensis per se consecratae
„ de consensu Canonicorum facta conuentus iste deci-
„ mam frugum villae Lelez exigebat, collatioque talis
„ priuilegio regio firmata. Anno 1214. Katona Tom. V. pag. 190.

Anno

Anno 1348. Nicolaus Episcopus Agriensis inita cum Blasio praeposito transactione, bona praepositurae a solutione decimae episcopalis exempta pronunciauit.

Anno 1400. A iurisdictione etiam episcopi Agriensis Monasterium hoc fuit exemptum, et Archi-Episcopo Strigoniensi subiectum, §. 204. et ideo non immerito se conuentum regiae Ecclesae S. Crucis de Lelesz, sacri, candidi, et *exempti* ordinis Praemonstratensium in publicis expeditionibus scribebat. Ius patronatus tamen illius complures priuati sibi vendicabant.

Anno 1252. Contulit illud Bela II. Rex Andreae Comiti, filio condam Nicolai Bani. Katona Tom. VI. pag. 172.

Anno 1290. Ladislaus IV. Rex Patronatum Monasterii, a Boxa, Thoma, Dyonisio, Detrico, Georgio, et Simone, filiis Simonis, propter notorios eorum excessus auferendo, contulit perpetuo possidendum Magistris Stephano, et Paulo, filiis Comitis Michaelis, filii Ubul. Katona Tom. VI. pag. 1004.

Anno 1310. Carolus Rex Magistris Ladislao, et Donch, Thomae Comitis filiis illum attribuit. Kaprinay pag. 217.

Anno 1441. Vladislaus I. Rex posteris Micz-Ban, familiis vtpote Chapy, Zrittey, Zéchy, Agóczy, Zerdahely, et Soós ius patronatus iterum restituit.

Anno 1502. Vladislaus II. Rex ius patronatus praepositurae Lelesz contulit familiae de Pálócz. Wagner Mss. Elench.

Donec ius patronatus in praeposituras, tamquam soli Regiae Maiestati proprium, publica regni lege art. 15. 1518. a priuatis auferretur.

Praepositos vero, et fata Conuentus Lelesz sequentia habuit:

Anno

Anno 1199. Destructus fuit per regem Emericum, vti praecitatum Diploma Andrae II. regis perhibet de exactione tributorum, „ quae bonae memoriae Rex „ Emericus, post ipsius Ecclesiae destructionem, ad „ damna Ecclesiae resarcienda iure perpetuo contulit „ possidenda. Quam indigne Emericus Rex Bolezlaum „ tractauerit? thesaurum Ecclesiae occuparit? coeno- „ bii Lelez bona confiscarit? profert ad hunc annum „ epistolam Innocentii Papae. Cl. Pray Ann. L. III. „ pag. 184.

Anno 1241. Per Tartaros indubie euersus. Cum terras circumiacentes habitatoribus destitutas fuisse Not. H. §. 22. docuerimus. Confusione possessoriorum enata, praedia etiam caenobii Lelesz aliis attributa §. 309. et 317. videamus, aliquorum vero in fundationalibus designatorum, vti villae Pomochy, et praedii Oylith ipsa etiam nomina interierint.

Literalibus proinde monumentis in hac incursione, praeter Tabulam fundationis, amissis: primus qui coenobium rexit occurrit:

Anno 1250. Ioannes Eztoras praepositus. Pray Hyerarch. Part. I. pag. 35. post hunc

Anno 1290. Benedictus I. apud Kollar Amoenit. Vol. 2. pag. 3.

Anno 1302. Valerius ex protestatione respectu possessionis Zalowka.

Anno 1305. Iacobus ex transumpto priuilegiorum ordinis.

Anno 1326. Blasius I. ex protestatione respectu Zaloka.

Anno 1334. Paulus ex confirmatione fundationis per Carolum I. regem.

Anno 1335. Blasius II. Reginae Elizabeth capellanus ex confirmatoriis eiusdem Reginae.

Anno

Anno 1344. Thomas ex lite ratione iuris patronatus ecclesiae mota.

Anno 1345. Petrus I. ex priuilegio super nundinis in Lelesz in festis inuentionis, et exaltationis, S. Crucis celebrandis.

Anno 1347. Blasius III. extradationis falsarum literarum incusatus, et ideo Patakini in congregatione generali per Palatinum inarestatus, sed erga fideiussionem dimissus. Accordauit respectu decimarum cum Nicolao episcopo Agriensi. In octauis iudiciorum Budae anno 1347. cum nobilibus de Agárd medio pugilum pro terra litigiosa decertauit. Iudicium istud duelli per Paulum iudicem curiae regiae in adiudicatoriis sic describitur: „ Iidem pugiles partium arreptis lanceis se mutua vicissitudine hostiliter impetiissent, „ et lancealibus praeliis derelictis, ictus fortissimos „ per clauas Bulgaricales super se vicissim recepissent, „ vsque ad crepusculum noctis viriliter, et hostiliter „ in ipsa area certaminis duelli dimicarunt, vbi tandem „ nouercante fortuna, pugil praedictorum praepositi, „ et conuentus de Lelez per fortissimas manus pugilis „ dictorum Thomae — — — succubuit in grauamen, et laesionem praepositi, et conuentus de Lelez praedictorum, praefatus autem pugil ipsorum „ Thomae — — auxiliante Domino ibidem victoriam laudabilem obtinuit in praemissis. Propterea „ vna cum Baronibus — — Eosdem — — de Lelez praetextu praemissi succubitus duelli, aquisitionem ipsorum praemissam annihilantes, in iudicio „ duelli 10. marcas faciente, nec non in emenda aestimationis praedictae terrae 4. aratrorum aggrauari „ committentes, eandem terrae particulam — — Eisdem Thomae — — adiudicauimus.

Anno

Anno 1355. Elias I. vix sex mensibus.

Anno 1355. Petrus II. ratione praetensae exttradationis falsarum literarum conuentum purgauit, cum lapicida Budensi ratione turris 50. vlnarum altae in Lelesz erigendae pro 200. florenis conuenit, fundationales rursus confirmari curauit.

Anno 1366. Ioannes I. Visitator generalis ordinis.

Anno 1379. Dominicus de Pálócz Gubernator ordinis, Abbas, Capitulum generale in Hungaria celebravit, praepositos Roberto Antipapae adhaerentes deposuit, post cuius decessum Matthias, et Emericus de Pálócz ex fratre nepotes coenobium armata manu inuaserunt. Literae quae factum hoc perhibent cum multarum familiarum faciant mentionem, huc inducuntur: „ Nos Sigismundus Dei gratia rex Hungariae &c. Quod „ vir religiosus frater Paulus, custos ecclesiae S. Cru„ cis de Lelesz, nostram in praesentiam veniendo in „ personis Domini praepositi, et conuentus eiusdem „ ecclesiae de Lelesz protestatus est eo modo: „ quomodo feria secunda proxima ante festum Purifi„ cationis Beatae Virginis, in anno Domini 1403. prae„ terito, Matyus, et Emericus, filii Petri, filii Mathus „ de Pálócz, filii scilicet fratris quondam Domini fra„ tris Dominici praepositi dictae ecclesiae S. Crucis, „ mortuo eodem Domino Dominico cum eorum sequa„ cibus, et complicibus manibus armatis, violentis, et „ potentiariis, nocturno tempore ad Curiam, et domum „ dicti Domini Dominici irruendo, et subintrando, cor„ pore ipsius adhuc ibidem iacente, scrinia, ladulas, „ reseruacula, et conseruatoria, domo in eadem repo„ sitas, et inuenta rumpentes, et confrangentes multa „ literalia munimenta dic ae ecclesiae, signanter origi„ nale instrumentum per quondam serenissimum prin„ cipem Dominum Andream regem immortalis memo-

„ riae

„ riae datum, et concessum, vniuersosque thesauros
„ ibidem repertos, sciphos scilicet argenteos, et alia,
„ ac in prompta pecunia 800. florenos, per centum no-
„ vos denarios computatos abstulissent. Insuper ea-
„ dem nocte ad sacristiam eiusdem ecclesiae irruentes,
„ hostiumque eiusdem confrangentes, duos fratres di-
„ ctae ecclesiae pro custodia ipsius sacristiae deputatos,
„ Antonium scilicet quondam custodem, et alterum An-
„ tonium sacristiarium, ibidem repertos male, et impie
„ tractantes, ad hostium dictae sacristiae trahi facien-
„ tes, capitibus truncari facere voluissent, nisi auxilio
„ caeterorum fratrum dictae ecclesiae — — — Eorun-
„ dem confluentium protecti exstitissent. Ex quibus
„ fratribus Ioannem, et Ladislaum dire verberari fe-
„ cissent, ex quorum verberum illationibus, veluti
„ verisimiliter coniecturari potest, ipse frater Ioannes tan-
„ dem mortuus exstitisset. Praeterea die sequenti vi-
„ delicet feria tertia Dei timore, humanaque reueren-
„ tia postpositis, malum malo addentes, spemque in the-
„ sauris pecuniarum ponentes; turrim dictae ecclesiae
„ cum praefata sacristia, fratres dictae ecclesiae de ea-
„ dem eiiciendo, et expellendo occupassent, ac eorum
„ homines in eisdem collocassent, et cum ipsi fratres
„ modo pacifico ipsos homines de dicta sacristia exire
„ facere voluissent: tunc praedicti Mathus, et Emeri-
„ cus cum eorum comitiua, et sequela, notanter An-
„ tonio, filio Laurentii de Agárd, Petro, filio Ramo-
„ cha de Zerethva, Andrea dicto Báthor, Stephano,
„ filio Iacobi dicti Dobó de Ruzka, Petro, filio Petri,
„ et Francisco fratre eiusdem de Zerdahely, Akus de
„ Gegen, Antonio de Dávidháza, Andrea de Nyárad,
„ Paulo de Keliz, Ioanne dicto Tompa de Mogyorós,
„ Stephano, filio Bicso de Pinkócz, Nicolao dicto Pol-
„ hos de Csicser, Michaele de Barta, Georgio filio An-

„ dreae

„ dreae de Budaháza, Simone de Cséke, Damiano, et
„ Petro, ac Marco paruo de Kis-Falud manibus arma-
„ tis, et potentiariis, euaginatis gladiis, et bicaellis,
„ apprehensis arcubus, et aliis offendiculis, magno im-
„ petu, et vehementia furibunda ad dictam ecclesiam,
„ et sacristiam irruendo, fratres ibidem repertos nomi-
„ natim Ioannem quondam custodem, Petrum quondam
„ cantorem, Gallum procuratorem, et Aegidium, cae-
„ terosque fratres diris verberibus, et plagis affici fe-
„ cissent, vbi frater Ioannes prior dictae ecclesiae ni-
„ mio terrore concussus in mentis hebetudinem, iner-
„ tiam, et dementiam, vti creditur, irrecuperabiles in-
„ cidendo, suae ratiocinationis vigentiam amississet,
„ ipsamque sacristiam subintrando, octo millia floren.
„ auri puri ad vtilitates, commoda, et necessaria di-
„ ctae ecclesiae per dictum condam Dominum Domi-
„ nicum praepositum in conseruatorio dictae ecclesiae
„ reperientes, de ipso conseruatorio abstulissent, et
„ asportassent, denique Ioannes, filius Iacobi, et Al-
„ bertus filius Gregorii de Nagy-Mihály mediantibus li-
„ teris magnifici viri Domini Nicolai, filii Stephani de
„ Csák Vayvodae Transyluaniensis dictam ecclesiam,
„ et vniuersas possessiones, et praedia ipsius occupas-
„ sent, et super Iobbagiones eiusdem in possessionibus
„ Oroszfalva, — — — Merkócz, et Viszoka commo-
„ rantes, 40. boues recipi, et abduci fecissent. Et
„ quod rector ecclesiae de praedicta Pálócz, ex volun-
„ tate praefatorum Mathus, et Emerici, ad domum di-
„ cti Domini Dominici praepositi in dicta possessione
„ Orosz-falva habitam transeundo, ornatus, indumen-
„ ta, calicem, libros, et alia attinentia ecclesiastica,
„ nec non res, et bona eius Domini praepositi, domo,
„ et possessionibus in praescriptis repertas, et inuenta
„ asportassent, et asportari fecissent. Postremo prae-

„ fatus

„ fatus Antonius, filius Laurentii de Agárd vna cum
„ praenominatis Mathus, et Emerico in Curia, et domo
„ dicti Domini Dominici certis diebus perseuerando vni-
„ niuersas literas, et literalia instrumenta tam ipsius ec-
„ clesiae proprias, quam alienas, nobilium scilicet, et
„ aliorum iura tangentes, et concernentia, in ipsa do-
„ mo repertas examinasset, perlegisset, et perspexis-
„ set, et quibus voluisset, distribuisset, et restituisset.
„ Datum in Lipcse Zoliensi in festo B. Stephani regis,
„ et Confessoris. Anno Domini 1406. LS.

Anno 1403. Stephanus administrator.

Anno 1411. Nicolaus I. Vice-Cancellarius Regius, ex familia nobilium de Chicher ortus. Hospitale S. Spiritus in Lelesz fundauit. Priuilegium nundinale ad festum Epiphaniae pro Lelesz impetrauit. Pagum Sislócz a nobilibus de Chicher perennaliter emit.

Anno 1442. Stanislaus Vicarius generalis Csicserienses ab vsu tereni Kis-Kapos inhibuit.

Anno 1451. Blasius IV. de Bachka commissarii pontificii munere in Hungaria functus, dum cum Ioanne Hunyadio contra Turcas militaret, multa Tabularii acta in castra secum asportauit, ibique deperdidit. Portiones in Agárd emit. Contra nobiles de Hatvan ratione possessionis Bessenyö protestatus est. Nauem Ecclesiae Lelesziensis ex secto lapide instaurari curauit.

Anno 1479. Georgius Gubernator praeposituraе.

Anno 1484. Nicolaus II. Osthffy contra Valentinum episcopum Varadinensem protestatus est: quod ordinem Praemonstratensium in Hungaria exstirpare, ordinemque Cisterciensem ei substituere adlaboret.

Anno 1494. Sigismundus de Werner, Thesaurarius regius, priuilegium de sale ex Dees coenobio extradando confirmari curauit.

Anno

Anno 1500. Benedictus Kornis episcopus Drivestensis, suffraganeusque episcopi Varadinensis, ex canonico Vaciensi ordinem ingressus, desolatum conuentum instaurauit.

Anno 1518. Andreas ex praeposito Bozokiensi Lelesziensis factus.

Anno 1521. Elias II. episcopus Hipponensis Vice-Cancellarius regius.

Anno 1526. Ioannes II: Vice-Cancellarius regius, post cladem Mohácsianam Ioannis regis partes secutus, et ideo a Gaspare Serédio Ferdinandi regis copiarum Duce ad arcem Nagy-Kövesd captiuus abductus, dein anno 1533. in gratiam Ferdinandi receptus, super coenobio, ob securitatem Archiui, ad instar fortalitii muniendo priuilegium obtinuit, illudque muro, et vallis egregie communiuit.

Anno 1547. Georgius Bódy Electus Episcopus Chanadiensis, et Altarista in Beregszáz. Sub hoc conuentum Gabriel Perénius inuasit, supellectilemque templi, et bona diripuit ita: vt tribus annis, testante articulo 21. 1557. expeditiones, et executiones fieri nequiuerint, donec per Emericum Telekessium Ferdinandi Ducem reciperetur. Not. Hist. §. 225.

Anno 1559. Augustinus Bolusich Dalmata, vltimus ex ordine Praemonstratensi, sub quo ordo iste ob continuas patriae turbas, et bella, ita imminutus est: vt innuente articuio 49. 1559: vix aliquo religioso exstante, Presbyteri seculares ad functiones conuentuales peragendas assumerentur. Quo viso Lazarus a Schwendi Caesareus Bellidux, Augustanae confessioni addictus, bona praepositurae Francisco Wékey, Alexandro Nagy-Mihály, et Petro Panka vendidit, per articulum 31. 1567. ab iis receepta. Ordine itaque Praemon-

monstratensium deficiente, rexere conuentum praepositi ecclesiastici.

Anno 1569. Balthazar Melegh, ex canonico Strigoniensi episcopus Chanadiensis, et praepositus maior Agriensis, obtinuit relaxationem dicarum pro bonis praepositurae per Tartaros, et Transyluanos ex oppugnatione Tokainae arcis anno 1566. reduces deuastatis.

Anno 1582. Stephanus Matthisy Electus Episcopus Chanadiensis, dein Vaciensis, sub quo conuentus cum iactura actorum conflagrauit.

Anno 1588. Paulus Zegedey Electus Episcopus Chanadiensis, bona praepositurae de manibus secularium redemit.

Anno 1598. Faustus Verantius Electus Episcopus Chanádiensis, turbata patria, securioris permansionis causa, Posonii habitauit.

Anno 1605. Ferdinandus Langh primarii caesarei ministri Philippi a Langenfeld filius, collatam sibi praeposituram obstantibus Bocskaianis adire non potuit. Quo tempore saeculares scribae ad conuentum per Stephanum Bocskay introducti, nomine suo expeditiones faciebant taliter: „ Nos requisitores literalium instru- „ mentorum in sacristia, siue conseruatorio conuentus „ Ecclesiae S. Crucis de Lelesz repositorum, et loca- „ torum, ac quarumlibet iudiciariarum determinationum, „ et legitimorum mandatorum serenissimi Domini Ste- „ phani Dei gratia Hungariae, et Transyluaniae prin- „ cipis, et Siculorum comitis executores. &c. “

Anno 1610. Ladislaus Habárdy canonicus Agriensis, Archiuum publicum a requisitoribus saecularibus coram Comitatu Zemplén recepit.

Anno 1620. Stephanus Telekessy, antea praepositus Veszprémiensis, et Türiensis, conuentum, et ecclesiam restaurauit.

Anno

Anno 1640. Stephanus Simándy Elect. Episcopus Transyluaniensis.

Anno 1654. Ioannes Pálfalvay Episcopus Transyluaniensis, per Georgium Rákóczy illegitime introductus.

Anno 1654. Franciscus Somogyi Tabulae regiae Praelatus.

Anno 1667. Stephanus Vaskovich.

Anno 1674. Andreas Mokchay Electus Episcopus Transyluaniensis, turbata per malecontentos patria, Cassouiam se habitatum, Archiuum vero conuentus in dolia compositum, securitatis causa ad arcem Unghvár transtulit, vbi deinde per militiae Germanicae praefectos pro replectura tormentorum adhibebantur, vti literae ad conuentuales super receptione adhuc super exstantium de dato 5. Aprilis 1701. datae testantur, et iacturam his verbis deplorant: „inaestimabile damnum „ a tot annis dissipatae literae negnicolis causarunt, „ dum per militiae Germanicae officiales pro vsu artis „ pyxidariae applicabantur, vti et pictori, et coquo „ arcensi dabantur. "

Anno 1680. Andreas Sebesténi Electus Episcopus Transyluaniensis articulo 28. 1681. supremi appellationis Tribunalis assessor declaratus, sed dein factione Tököliana abreptus, conuasata pretiosiore supellectile cum Tökölianis abscessit.

Anno 1682. Augustinus Benkovich antea generalis ordinis Paulinorum, dein episcopus Varadinensis, recepto a Turcis Varadino anno 1697. se ad episcopatum contulit, praeposituramque Lelesz Francisco a Schöllingen praelato Pernecensi, et per eum ordini Praemonstratensium iure postliminii resignauit. Not. Hist. §. 687.

Anno

Anno 1697. Franciscus Schöllingen, Abbas Pernecensis in Austria, solutis Francisco Rákóczy pro bonis Helmeczіensibus 18. mille florenis, soluto item Caesari Leopoldo in 10. mille florenis iure armorum, conuentum tali conditione recepit: vt donec praedesignatas summas cum interusurio Hungari praelaturae Pernecensi rependerint, iure eligendi praepositos careant, sed eos ab Austriis accipiant, et sic

Anno 1700. Iosephus Dimaninger ex canonia Pernecensi missus administrator conuentum quatuor mensibus rexerat, sed cum solutae summae censum ex bonis conuentus se percipere posse desperaret, eundem mense Iulio Canoniae Wratislauiensi in Silesia, onus inhaerens in se assumenti cessit.

Anno 1700. Iacobus Höger Silesita e Canonia Wratislauiensi missus administrator, conuentum duobus annis rexit, sed cum hic quoque fructus inuestitae summae correspondentes se ex bonis percipere non posse videret, conuentum in praelaturam Lucensem in Morauia sitam cum inhaerente onere transtulit.

Anno 1702. Gilbertus Maier e Lucensi canonia missus administrator, praefuit conuentui vsque annum 1710. Cumque Hungari tam nobilem fundationem per exteros, iurium Patriae ignaros administrari apud Carolum VI. Imp. conquererentur.

Anno 1711. Carolus Franciscus Táhy ordinis Paulinorum professus, per dispensationem pontificis in ordinem Praemonstratensem translatus, praepositus de Lelesz, demum Tabulae regiae praelatus renunciatus, Ministros Helv. Confessionis ex oppidis Helmecz, et Kapos amouit.

Anno 1730. Matthias Brauner praepositus iterum Morauus,

Anno

Anno 1733. Carolus Franciscus Comes a Kunicz, et Weiszenburg praepositus, conuentum tertia adiecta contignatione, Templum item instaurauit, hortum elegantem, pluraque aedificia struxit, ac primus acta regnicolarum in ordinem redigi curauit, sed cum foenus debitum praelaturae Lucensi non solueret, per conuentuales fratres, quasi maiora viribus moliretur, incusatus, sic iubente Capitulo prouinciali ordinis, in canonicatum Lucensem redire debuit, eique

Anno 1751. Florianus Szmrcsek administrator subrogatus, Helmeczienses oppidanos parocho stabili e conuentualibus prouidit.

Anno 1763. Gregorius Lambek coadiutor, mox in Abbatem Lucensem electus.

Anno 1764. Theophilus ab Edlingen e gremio Lucensi missus praepositus, pagos Sislócz, et Konyár reluit, conuentum turri ornauit, molam super fluuio Latorcza exstruxit.

Anno 1779. Daniel Todll e canonia pariter Lucensi praepositus an. 1781. in Abbatem Lucensem electus.

Anno 1781. Augustinus Sochovszky administrator, grandia aedificia oeconomica inchoauit, sed

Anno 1787. Praepositura, et conuentus iste abolitus est.

Anno 1788. Acta Tabularii conuentus Budam ad Tabulam prouincialem deportata.

Anno 1791. Ad Capitulum Agriense translata sunt.

Monumentorum porro sepulchralium, in ecclesia Lelesziensi sequentia vestigia visuntur.

Pars corporis reginae Gertrudis, coniugis Andreae II. regis per Bank Banum, vel alios (vti Katona Tom. V. pag. 196. disputat) interemptae hic indubie sepulta iacet, testante praecitato Andreae II. regis priuilegio: „ medietatem praedii Mycusa, pro anima illustris re-

„ ginae

„ ginae Gertrudis coniugis nostrae eidem ecclesiae in „ perpetuum contulimus possidendam, et ideo maxi- „ me, quod quaedam pars corporis eiusdem in eadem „ est sepulta ecclesia, duoque sacerdotes ibi sunt con- „ stituti pro eius anima in perpetuum celebraturi. Item „ nomina autem Libertinorum Othmarus, quos cum „ omnibus filiis pro anima Gertrudis reginae coniugis „ nostrae contulimus, ista sunt &c. Anno 1214.“

Andreae Dóczy anno 1631. Not. Hist. §. 402. Comitis Melchioris Allaghy anno 1631. Not. Hist. §. 436. Baronis Francisci 'Sennyei anno 1675. Not. Hist. §. 605. hic sepultorum monumenta iam dedimus.

In monumento Meleghiano ex simplici lapide fabricato penes stalla, ex parte dextra in *superficie terrae collocato visuntur haec*:

Balthasaris tegit hoc Melegii membra sepulchrum
Praesulis Ecclesiae Chanadiana tuae.
Ingenii splendor, pietas, moresque decori
Ornarunt clarum nobilitate virum.

Sequitur Crux, intra quam apparent ista:
Mortuus est 22. Martii anno 1588.

Circa lapidem.

Georgius, Ladislaus — — Prouisor Reuerendissimi Domini Episcopi Electi Vaciensis *piae recordationis ergo hoc opus faciebat.* — Rubrum marmor memoriae Hallerianae, penes Stalla, ex parte sinistra, super terra apparens exhibet sequentia circa lapidem:

Hic iacet Spectabilis, ac Magnificus Dominus Georgius Haller de Haller-keö Ferdinandi III. Romanorum Imp. Consiliarius, arcis Szattmár, et partium Cis-Tybiscanarum supremus Capitaneus, qui obiit 20. Aprilis anno 1633. aetatis 39.

In meditullio lapidis haec:

Requiem aeternam ita Tibi Deus largiatur, vt ossa hic contumulata in pace requiescere sines!

In vexillo rubro sericeo Halleriano visuntur sequentia:

M E M O R I A E

Spectabilis, ac Magnifici Domini Samuelis Haller, de Hallerkeö S. I. R. ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae Regum Ferdinandi II. et III. Praesidii Dios-Györ supremi Capitanei, arcisque eiusdem haereditarii, qui postquam annis decem laudabiliter continuato officio gloriosas de hostibus saepe victorias reportasset, demum 3. Octobris anno 1643. in hostes arci insultantes facta eruptione, iisque in fugam conuersis, dum auitis virtutibus fortissimi Ducis, et militis strenui officio fungeretur, in ipso victoriae cursu nouercante fortuna per Turcas Agrienses trucidatus, pro Deo, et Patria fortiter occubuit, animam Creatori, corpus terrae, fama perenni, et gloria immortali reddidit aetatis suae annorum 30. cui mater moestissima Magnifica Domina Barbara Nyáry hoc posuit Throphaeum.

Post, seu infra hanc inscriptionem idem Haller coram Crucifixo genu flexus depictus est.

Vexillum Anárcsianum sericeum hanc inscriptionem praesefert:

V e x i l l u m.

Generosi, atque maxime strenui Domini Ioannis Anárcsy de Bacska, S. C. R. Maiestatis certorum Equitum olim Capitanei, obiit 27. May, aetatis suae 28. anno Domini 1641. Quod moestissima coniux Domina Helena Kamuthy fieri curauit.

Fuit

Fuit Conuentus iste conseruatorium antiquissimorum literalium Instrumentorum. Quae cum longum foret recensere nonnisi sequentia saeculi XIII. quam breuissime ex regestro per nos recensebuntur.

Anno 1214. Nro 18. Fundationales, et metales Ecclesiae de Lelesz.

Anno 1223. M. Nro. 195. pro Melith donatio Andreae II.

Anno 1237. Nro. 1. antiquit. Testamentum Comitis Zothmár.

Anno 1248. Nro. 57. Metales terrae Chepan-földe penes terram Dubrun, seu Dobrony in Comitatu Bereg.

Anno 1254. Cambium Belae Regis cum Nata in Comitatu Zemplén.

Anno 1255. 1256. 1563. I. Nro. 116. Fundationales Praeposituraе Iászoviensis.

Anno 1256. Z. Nro. 110. Donatio pro custodibus horti Regii de Zólyom.

Anno 1257. Nro 42. Donatio Belae Regis pro Eremitis S. Augustini in Comit. Zemlyn.

Anno 1258. Nro. 52. Metales super Ruzvad a castro Zemlyn exempta, in Comitatu Zemlyn.

Anno 1262. Nro. 1. Antiquit. sententia Archi-Diaconi Neugradiensis.

Anno 1265. Nro 69. Venditio terrae Gerens in Comitatu Zemlyn.

Anno 1265. Inter acta anni 1265. Nro 1. Donatio Belae Regis pro Zubuzló de villa Chicher, super Chicher in Comitatu Ungh.

Anno 1268. I. Nro. 117. Donatio Stephani Regis pro successoribus Comitis Ipud super terra Thoh.

Anno 1278. M. Nro. 205. de Miskouch Donatio Ladislai Cumani cum duplici sigillo.

Anno 1278. Prot 7. fol. 224. Donatio super terra ab arce Haradischa exempta.

Anno 1279. Nro. 2. Metales super Dolyan circa Saág in Comitatu Neograd.

Anno 12 83. T. Nro 11. Dona io pro de Therian.

Anno 1283. Nro. 3. R. Diuisionales familiae de Rathold.

Anno 1287. Nro 2. NB. Antiquit. Metales super Usa.

Anno 1287. Nro 18. Fassio in Capitulo Agriensi super terra Kapuna celebrata.

Anno 1292. Nro 238. Donatio pro Zadur super Ieke

Anno 1292. Nro 40. Donatio pro Comite Iacobo de Pank, super possessione Bezo in Comitatu Ungh.

Anno 1294. Nro 3. Fassio e Capitulo Agriensi super Megyer.

Anno 1294. Nro 3. Fassio Rollandi Wayvodae Transyluaniensis.

Anno 1295. H. Nro 127. Donatio super terra Heten in Comitatu Ugócha pro Nicolao de Zirma, et fratribus eius, filiis Otthobor, et Cheburka.

Anno 1296. Proth. 38. fol. 54. Metales super Gulup, et Zenthes Kutha.

Anno 1297. Nro 1. Metales possessionis Meldur in Comitatu Scepusiensi.

Anno 1299. Nro 2. Fassio Kis-Várday, et Surány super Mark, et Surány in Comitatu Bereg.

Sed et memoratu dignum hic asseruabatur Vladislai I. Regis ex stirpe Iagellonica, qui expost ad Varnam caesus occubuit, Diploma, quo Bullam auream Andreae II. Regis per extensum insertam confirmat, et in quo regni coronam per Elizabeth Raginam, Adalberti regis viduam de castro Vissegrád surreptam,

seque

seque corona S. Stephani ex theca reliquiarum capitis eiusdem accepta coronatum describit anno 1440. sub comitiis anno 1792. ad Archiuum regni translatum, quod Claris. Kovachich suis cum obseruationibus edere meditatur (*).

Metae denique oppidi Lelesz Diplomate fundationali anni 1214. sic definuntur: „prima meta incipit a „ Latorcia versus occidentem vltra fossatum, vnde pro„ fluit aqua Latoriciae in stagnum Myhom, indeque „ procedentes metae crucibus super arbores comitanti„ bus transeunt stagnum quod egreditur de praedicto „ stagno, procedentes ad torrentem Choncheha nomine „ vbi olim fuit molendinum, inferiusque a molendini „ loco traneuntes tendunt ad metas, quae sunt super „ montem Potoha, et transito riuulo, qui egreditur „ de eodem Potoha, exeunt de sylua in locum, qui di„ citur Velehethaluth, et circum praedictum Talut gi„ rantes veniunt ad metas iuxta vicum, indeque proce„ dentes per medium montis sabulosi, vsque ad stagnum „ paludosum, quod Kazna vocatur, circumeuntesque „ finem eiusdem stagni sub villa nomine Pomothy per„ veniunt ad metas, quae sunt inferius a molendino „ Eceka supra lutosam aquam nomine Thicza, trans„ euntesque aquam sub loco, qui vocatur Vilochtha„ luth, procedunt per mediam planitiem, vsque ad „ quercum, quae est in angulo sylvae, proceduntque „ iuxta eandem syluam, vsque ad stagnum versus me„ ridiem, quod diuidit terram Ecclesiae, et terram vil„ lae de Beyle, indeque reflectuntur versus orientem „ per mediam planitiem, vsque ad praedictam lutosam „ aquam, quae circuens est pro meta vsque retro vil„ lam

(*) Dum haec scribimus edidit Vir Clarriss. in Suplem. ad vestigia Comitior. pag. 54. Tom. I.

„ lam Becheka nomine, indeque versus orientem per
„ mediam planitiem tendunt ad riuum, qui Chyser vo-
„ catur, qui habetur pro meta vsque ad introitum syl-
„vae, vltra vero riuum versus orientem intrantes syl-
„ uam vadunt iuxta planitiem, quae est in sylua vsque
„ ad metas, quae sunt in monticulo Molyva nomine,
„ in fine torrentis, quod Zohaynis dicitur, et inde ten-
„ dunt ad metas, quae sunt super Latoriciam ad por-
„ tum Eleuha nomine, vbi fluuius Hung. cadit in La-
„ toriciam. Infra erga memoratas metas continentur
„ quatuor praedia, vnum videlicet sub Monasterio,
„ quod vocatur Lelez, secundum Vylveh, tertium Pay-
„ len, quartum Cherna-folo.

§. 317. *Pólyán* olim *Paylen* pagus Vngaricus, Catholicus Graeci-ritus, templo, et parocho prouisus, 660. agrorum iugera numerat, ex praeuia fundatione ad conuentum Lelesz semper spectabat, ac nunc quoque nomine fundi religionis publici administratur.

§. 318. *Szólnocska* pagus Vngaricus, colonis diuersae religionis insessus, 196. iugera agrorum complectitur, possideturque per nobiles Szirmay, Horváth de Szent-András, Órmos, et Kantha.

§. 319. *Bolly* olim *Beille* pagus Hungaricus, Catholicus, tempho parochiae Zéthéniensi affiliato. 780. Iugerorum in agris. Anno 1570. fuit familiae Alpáry §. 97. memoratae, expost familiae Farkas de Bogdány, dein anno 1680. Comitum Barkóczy, nunc est Comitum Klobusiczky.

§. 320. *Király-Helmecz* olim *Hermely Hermelyz* oppidum, colonia Hungarica, Catholicae religionis, et Helv. Confessionis suis templis, et parochis prouisa, agris 1475. iugera efficientibus, sylua quercina *Eörös* dicta, et collibus vitiferis a septemtrione, et occasu inumbratum.

Fuit

Fuit olim locus publicarum nundinarum, siue *Forum Regale*, et tum ideo, tum ad distinctionem alterius *Pupka-Helmecz* in Comitatu Unghensi siti, nomen *Király-Helmecz* successiue accepit.

Andreas II. Rex illud Bolezlao Episcopo, et hic ordini Praemonstratensi contulit; vti praeallatum anni 1214. diploma loquitur: „ praedium *Hermely* nomine, „ contulit cum *libero foro*, quod nos suae fidelitatis „ obtentu sibi contuleramus a duobus prestaldis nostris „ Hemone, et Matthia Comitibus metis circumdatum. "

Siue anno 1241. sub clade Tartarica confusione possessoriorum enata; siue anno 1301. sub Matthaei de Trenchén turbis, via potentioribus ad quiduis audendum strata, oppidum Helmecz occupatum est per familiam Akus Not. Hist. §. 37. nominatam; vti patet ex protestatoriis Dominici praepositi anno 1364. coram Capitulo Agriensi „ contra Michaelem, et Ladislaum Akus „ Not. Hist. § 44. memoratos, detenticne, praedesso- „ rumque eorundem violenta occupatione oppidi Hel- „ mecz, Gerés, Riche, Semjén. "

Anno 1488. 1500. Pertinebat ad familiam de Pálócz, vti patet ex protestatione Benedicti Kornis Praepositi, qua regem a collatione, Pálóczios ab impetratione oppidi Helmecz inhibet.

Anno 1525. Antonio Pálóczy in clade Mohácsiana occumbente, occupatum est per Petrum Perénium, qui castellum ibidem erexit, ex constitutione articuli 46. 1548. dirutum.

Anno 1560. Gabriel de Perény duas sessiones in Helmecz Ioanni Day inscripsit.

Anno 1610. Possidebatur per familias Báthory, Daróczy, Thelegdy, Nyáry, Gobóczy.

Anno

Anno 1654. Fuit Rákócziorum, qui et castellum ibidem situ amoenissimo excitarunt, vti inscriptio portae incisa testabatur:

„ Susanna Lórándffy Princ. Dom. Georgii Rakó-
„ czy Pr. Transyl. relicta. 1654. die 1. Maii.

Anno 1696. Franciscus Rákóczy leuatis a Francisco Schöllingen Abbate Pernecensi 18. mille florenis, oppidum Helmecz, cum pagis Kis-Géres, Ricse, Semjén, et praedio Keresztúr ad interpositionem Cardinalis Kollonich ordini Praemonstratensium restituit. Contradicente sorore Iulianna Rákóczy Aspermonthiana.

Anno 1786. Conuentu sublato nunc ad fundum religionis pertinet.

Metae porro oppidi in diplomate anni 1214. sic recensentur: „ primae incipiunt metae versus meri-
„ diem a stagno, qui diuidit terram eiusdem praedii,
„ et terram villae de Bejle, et vadunt ad monticulum,
„ qui est prope ad stagnum, indeque directe ad sta-
„ gnum, quod vulgo Nádasthov, et inde ad metas, quae
„ sunt sub magna quercu, iuxta viam, indeque pro-
„ cedentes iuxta viam veniunt ad riuum, qui Karacha
„ appellatur, et inde iuxta Karacha girantes veniunt
„ ad metas de Gyures versus occidentem, ibique trans-
„ eunt Karacha, et circuunt iuxta syluam per montes
„ sabulosos vsque ad metas, quae sunt circa magnam
„ viam retro locum, qui Ivanus-Teleke appellatur,
„ indeque procedunt secus viam versus orientem vsque
„ ad locum, qui porcorum volutabrum appellatur, et
„ inde iterum versus partes occiduas per mediam syl-
„ vam tendunt ad locum, qui Zordoch appellatur, et
„ inde per medium montem sabulosum ad magnam
„ viam, quae vadit versus Zemlin, reflectunt vsque
„ iuxta viam versus orientem, et iuxta stagnum vsque

„ ad

„ ad monticulos, qui sunt in angulo lutosae aquae, quae „ Ticza vocatur, et habentur pro metis.

§. 321. *Kis-Géres* olim *Gyueres* pagus Hungaricus, Helv. Confessionis, oratorium, ac ministrum, et 906. iugera agrorum habet.

Fuit olim alicuius nomine Vitalis, vti patet ex fundationalibus conuentus Lelesz: „ contulit etiam prae- „ dium, *Gyueres* nomine, quod emerat a filiis Vita- „ lis, Chaka, et Stephano pro 15. marcis, quod a fine „ est terrae de Hermelyz. "

Anno 1214. Conuentui Lelez attributus, ac ad distinctionem alterius §. 294. designati, Kis-Géres vocatus, eosdem heros, quos oppidum Helmecz agnouit, et hodie agnoscit.

§. 322. *Nagy* et *Kis-Rozvágy*, olim *Ruzvad*, pagi duo distincti, colonia Hungarica, Helueticae Confessionis, oratorio, ministro prouisa, prior 583. alter 325. iugera agrorum numerat. Olim regalis castri Zemlun appertinentia, anno 1258. a castro exempta, et Age, Igener, et Ambrosio, filiis Petri donata. Not. Hist. §. 22. dein familiae Rozvády §. 133. memoratae nomen dedit. Anno 1730. prior ad Barones Perény, et Klobusiczky, alter ad nobiles Ferenczy pertinebat, nunc sunt multorum compossessorum, Baronum vtpote Reviczky, et nobilium Szirmay, Eötvos, Bártphay, Csapó, Borbély, Farkas, Zsiday, Tóth, Dobray, Pilisy, Budaházy, Orosz, et Pallay.

Pagus Nagy-Rozvágy habet stagnum rotundum, *Pallagcsa* dictum, in medio arundineti falcabilis, ea ex omni parte latitudine: vt in vna eius ripa stans homo minutae instar auis esse ex aduersa stagni ripa videatur. Aestate auibus maioribus, vtpote gruibus, cygnis, struthionibus, ardeis, ciconiis, diuersae speciei

prae-

praebet habitaculum. Hyeme congelatum stagnum magnam copiam maiorum piscium incolis suppeditat, 36o. habitacula piscium (Tanya) in eo numerant incolae, pertusaque in aliquot locis glacie, infra eam demissis maioribus retibus, 8o. et vltra orgias longis, *Gyalom* dictis piscantur.

§. 323. *Nagy* et *Kis-Czigánd*, duo pagi distincti, incolis Hungaris, Helv. Confessionis, qui et oratorium, et ministrum in Nagy-Czigánd habent, prior nonnisi 14. alter 244. iugera agrorum habet, ad ripam Tybisci, syluis, et lacunis ita circumdati: vt ab humana quasi societate seiuncti, sub cladibus, et reuolutionibus Hungariae illaesi perseuerauerint, et hodie quoque priscae seueritatis antiquos colonos prolixam barbam alentes ostentent. Olim Cinganorum colonia fuerint, a quibus nomen acceperunt, et fabrilia exercentes, ad castrum Tárkány spectabant. Anno 173o. per Barones Sennyei, et Vécsey, ac nobiles Ibrányi, Vay, et Pongrácz possidebantur, nunc Baronibus Sennyey, et Bánffy, et nobilibus Ibrány, Vay, Olchváry, Boronkay, Órmos, Laczkovics, et Gönczy parent.

§. 324. *Karad* pagus Hungaricus, Helv. Confessionis, in eadem Tybisci ripa, lacunis, et syluis ab humana societate seiunctus, agros penitus nullos, colonos antiquae originis, barbas liberales alentes, parique vti Czigandienses cultu habet. Pariter castri Tárkany appertinentia, haereditate ad Barones Sennyey redundante. A. 173o. possidebatur per nobilem Petrovay, et in parte per Fiscum regium, nunc per connubium cum Sennyeianis pars ad Comites Döry, reliquum ad Comitem Aspremonth, et nobiles Almássy pertinet.

§. 325. *Ricse* pagus Hungaricus, Helv. Confessionis, oratorio, et ministro prouisus 185. iugerorum in agris, ad conuentum Lelesziensem ex fundatione Bolezlay

lay Episcopi spectans, iisdem, quibus oppidum Helmecz Dominis semper subiectus.

§. 326. *Semjén* pagus Hungaricus, Catholicus, parochiae Tárkány filialis, 347. iugera agrorum numerat, conuentus Lelesz ex fundatione Bolezlai haereditas, eosdem semper, quos oppidum Helmecz heros agnovit.

§. *Cséke* pagus Hungaricus, Graeci-ritus, templo, et parocho prouisus, 189. iugera agrorum complectens, olim familiae Csékey §. 106. memoratae gentilitius, nunc per nobiles Pilissy, Bártfay, Szeghy, et Sztánkay possidetur.

§. 328. *Lácza* pagus Hungaricus, Helv. Confessionis, 453. iugerorum, olim familiae Láczay, §. 119. nominatae, eaque emortua parebat familiis Tárkányi, et Agárdy §. 97. nunc est Baronum Sennyei Comitum Döry, et nobilium Csuka, Zóltán, Nagy, Borbély, Krucsay, Bártfay.

§. 329. *Perbenyik* pagus Hungaricus, Helv. Confessionis, 581. iugerorum, olim ad Tárkányios, anno 1570. ad Franciscum Vékey, dein ad familiam Paczoth de Böky pertinebat. Anno 1629. per connubium cum Iuditha Pachoth, et nouam donationem regiam peruenit ad Baronem Alexandrum Sennyei, ac nunc quoque Comitibus, et Baronibus Sennyei paret.

§. 330. *Dobra* pagus Hungaricus, Graeci-ritus Catholico templo, et parocho prouisus 507. iugerorum, eosdem heros semper, quos Perbenyik agnouit, et nunc Sennyeios agnoscit.

§. 331. *Bélly* pagus Hungaricus, diuersae religionis 417. iugerorum, vti prior olim Tárkányianis, Vékeio, et Paczothiis parebat, nunc paret Baroni Ioanni Sennyei, qui eleganti castello, hortis, et ambulacris pagum ornauit.

§. 332.

§. 332. *Dámócz* pagus, colonis Hungaris, Graeco-Catholico parocho sacra peragente, 471. iugerorum, iisdem, quibus prior Dominis semper subiectus, nunc quoque cum adiacente eidem praedio *Sarkány* ad Comites, et Barones Sennyey pertinet.

§. 333. *Leányvár* pagus in ripa Tybisci, publico ad Comitatum Zabolch traiectu, syluis quercinis, et lacunis circumdatus, colonis Hungaris, diuersae religionis 381. iugerorum agros colentibus.

Colonia hic inepto loco sedem fixit, quia ob ripam Tybisci vndique salebrosam, et vliginosam, ac nonnisi hic modica sui parte apertam transitus per Tybiscum ad arcem Kis-Várda non alibi, quam hic patere potest, quo traiectum hunc in potestate sua haberent, et se contra excursiones Bohemorum Hussitarum facilius tuerentur praesidiarii Kis-Várdenses, anno 1440. munitionem terream pro excubiis hic erexerunt, et quia per eos inexpugnabilis credebatur, vel quia Agothae Pálóczy sponsae Ladislai de Wárda §. 334. memorandae hoc nomine complacere studebant, eam *Leány-vár* siue *arcem virgineam* compellarunt, quae demum coloniis insessa est.

Dum anno 1700. cum arce Kis-Várda ex mandato Leopoldi Imp. munimentum hoc solo aequaretur, Iudex nobilium Ioannes Kantha, qui ad opus hoc operas compellebat, incolis fertur dixisse: „arcem eorum vir„ gineam facile esse aperiendam, cum quilibet vir cla„ uim illius habeat.“ Ligonem indubie, et palam, vel aliud instrumentum, ad subruendam terream munitionem aptum vir facetus intellexerit. Caeterum vti prior possessio semper iisdem heris paruit, ac nunc quoque paret Sennyeiis.

§. 334.

§. 334. *Agárd* pagus, colonis Hungaris, Catholicis Graeci-ritus, parocho, et templo sui ritus prouisis, 824. iugera in agris numerantibus insessus. Olim familiae Agárdy §. 97. memoratae, ac cum stirpe Tárkányiorum ex eodem progenitore descendentis gentilitius, in duos pagos Nagy et Kis-Agárd distinguebatur.

Anno 1452. Magnam partem vtriusque Agárd Ludouicus de Agárd in Blasium praepositum, et conuentum Lelesz pro 400. Ung. florenis celebrata coram conventu Iászoviensi fassione transtulit, ac frustra dein anno 1486. cum Nicolao Osthffy praeposito superinde litigauit: quod tunc illegitimae aetatis fuerit, adeoque bona auita alienare non potuerit. Nam anno 1490. venditionem, quia pecuniis Ecclesiae, et pro refrigerio etiam animae facta fuerat, irretractabilem esse, Curia regia pronunciauit, in bonisque Agárdianis conuentum restatui curauit, vti restatutoriae docent. Anno 1451. Ecclesia ampla Catholica ex secto quadrato lapide exstructa, et diuo Ioanni Baptistae dicata gloriabatur possessio, vti rudera Ecclesiae hodiedum ostentant, et processus docet „ coram Blasio de Bachka, praeposito „ Lelesziensi, assistentibus plebano Nagy-Tárkányiensi „ et Vice-Archi Diacono, de Helmecz, inter Stephanum „ de Agárd vt actorem, et Ladislaum de Kis-Várda vt „ in causam attractum, de rebus per Agatham de Pálócz „ Ecclesiae S. Ioannis Baptistae Agárdensi legatis, et „ per dictum Ladislaum de Kis-Várda ablatis. "

Nunc pagus possidetur per fundum religionis publicum, ac Comites, et Barones Sennyey in maxima parte, compossidentibus in reliquo nobilibus Szirmay, Ormos, Tolvaj, et parocho Bottyaniensi.

§. 335. Sequitur quartus processus Sztropkoviensis totus coloniis Slauicis insessus, tres Districtus, Sokúthiensem, Dobrensem, et Sztropkoviensem complectens,

ctens, in cuius Districtu Sokúthiensi in ordine octauo primus occurrit.

Szacsúr pagus, colonis Catholicis, vtriusque ritus, templo, et parocho gaudentibus, Evangelicis ad Sókútth affiliatis, 1964. iugera agrorum colentibus insessus.

Olim ad castrum Csicsva, dein ad Comites Berchény, et nobiles Divinyi spectabat, nunc in maxima parte per nobiles Soós in reliquo per Comites Forgách, Barones Perény, et nobiles Fáy, Károly; Berthóthy, Wladár, Keller, et Lyptay possidetur.

Adiacet pago praedium *Lomnicza* ad Comites Barkóczy, et nobiles Soós pertinens.

§. 336. *Kólcs-hoszszú-mezö* pagus Catholicus, priori affiliatus, 788. iugera agrorum numerans, olim familiae Hoszszú-mezey de genere Bagath-Radván descendentis §. 120. ex qua etiam Vice-Comitem Blasium Hoszszúmezey prouincia Zempléniensis habuit: Not. H. §. 222.

Pervulgata de hoc Blasio prouincialium traditio est: quod cum Cassoviam praesidio Germanico firmamatam subingrederetur, omnesque subintrantes nomen suum in porta praesidii prius profiteri iuberentur, ac nonnisi impetrata a Commendante Cassouiensi venia subingredi permitterentur, hic longum nomen suum, et quidem cum praedicato: *Kólcs-hoszszú-mezey, Hoszszú-mezey Balás* enuncians, ab interrogante Germano officiale eo cum dicterio: *Diabolus nomen tuum addiscat! vel Commendanti insinuet!* liberum introitum nactus fuerit.

Anno 1730. Ad Barones Barkóczy, et nobiles Okolicsány pagus pertinebat, hodie per eosdem Okolicsány, et nobiles Szirmay, Rettegi, et Ujhely possidetur.

§. 337.

§. 337. *Henczócz* pagus, colonis Catholicis, et Augustanae Confessionis, 481 iugerorum, castri Varanó appertinentia, quorsum et affiliatus est, olim Comitum de Rozgony, dein Comitum Báthory §. 98. hisque emortuis Comitum Drugeth, anno 1730. Baronum Sennyey, et Ghilány, nunc ad nobilem Petrum Szirmay. et in aliqua parte ad fundum religionis pertinet.

Hic Ondava fluuio ponte strato transitur ad steriliores regni plagas, vnde proverbium de eo est provincialium: *Az Henczóczi hidon túl ne meny házasodni barátom.*

§. 338. *Majoróczka* pagus Catholicis, et Evangelicis mixtus, 269. iugerorum, pariter castri Varannó apertinentia, et filialis, eosdem cum castro Varano heros agnouit, nunc vero ad nobiles Wladár pertinet, nisi quod et Comites Forgách, ac nobiles Bydeskúthy aliquid compossideant.

§. 339. *Varano-hoszú-mezö* pagus, mixtae religionis, 449. iugerorum, castri Varanó appertinentia, et filialis, nunc per Comites Forgách, et Barkóczy, ac nobiles Oláh, et Wladár possidetur.

§. 340. *Varanó-Csemernye* pagus, mixtae religionis, parochia Graeca, 1387. iugerorum, castri Varanó appertinentia, nunc est Comitum, et Baronum Barkóczy, Forgách, et nobilium Mátyásovszky, Wladár, Soós, Schramb, Rozgony, Malonyay, Hazuga, Vitéz.

§. 341. *Csáklyó* pagus, mixtae religionis, 1293. iugerorum, ab interfluente riuo *Chaklon* §. 340. nomen accepit, castri Varanó appertinentia, nunc in maiori parte per Comites Barkóczy, in reliquo per nobiles Csáklyay, Hazuga, Ghilány, Schramb, et Wilcsek possidetur.

§. 342.

§. 342. *Sokút* pagus colonis Catholicis, et Aug. Confessionis, parocho, et ministro prouisis 1111 iugerorum.

Quia ob fodinas salis Sóvárienses e regione illius sitas fons copiosus salsae aquae hic prorumpit, ab illo nomen *Sokút* accepit §. 77. Castri olim Varanó appertinentia, nunc per Comites Csáky, et Forgács, ac Barones Barkóczy, nec non nobiles Almássy, Fáy, Károlyi, Berthóthy, Liptay possidetur.

§. 343. *Varanó* oppidum, colonis Catholicis, parocho, et templo gaudentibus, evangelicis ad Sókút affiliatis, 1075. iugera agrorum complectitur. Fuit

Iam anno 1270. Reynaldi, Rozgoniorum antenati, §. 134. memorati, vti infra ex donationalibus terrae Csicsva patebit, possidebaturque per Rozgonios vsque annum 1520. quo per donationem Ludouici II. Regis Andreae de Báthor attributum est §. 98.

Anno 1588. Emericus Telekessius Gabrielem Perénium, Isabellae Reginae partibus adhaerentem, hic cruenta clade affecit. Not. Hist §. 216.

Anno 1610. Elizabetha Báthory, Francisci Nádasdy consors, oppidi Domina, sicut in castello Csejte ita hic quoque pedissequas crudelem in modum excarnificauit, vti processu eiusdem prae manibus nostris habito, signanter fassione famuli Ioannis Ficzkó docetur.

Anno 1617. Per connubium cum Catharina Nádasdy transiuit in possessionem Comitis Georgii Drugeth. Not. Hist. §. 393. memmorati, possidebaturque per Drugethios vsque annum 1686.

Anno 1690. Foeminarum haereditate discissum est dominium in quinque partes, vna earum Comitibus Barkóczy, aliis quatuor partibus, Comitibus Zichy, et Forgách attributis: vti processus ratione Dominii Buják perhibet.

Anno

Anno 1720. Forgáchianam ratam tenebat Baro Ioannes Szentiványi, Vice-Comitis Not. Hist. §. 745. memorati filius, a Bagomero de Zentivány Comite Lyptoviensi antiquum genus ducens: vti diplomata regum Andreae 1230. Belae anno 1267. et Ladislai anno 1283. testantur, hic primum causarum regalium Pro-Director, deinde anno 1715. Iudicis Curiae Protho-Notarius, factusque Carolo VI. a Consiliis, mox anno 1721. Baronatus dignitatem quoque indeptus, Tabulae regiae qua Baro adsedit. Anno 1728. in supremi quoque Comitis Comitatus Beregh dignitatem euectus, tres filias Baronibus Ladislao 'Sennyey, Carolo Barkóczy, et Sztadniczky Polono nuptas reliquit.

Anno 1730. assurgebant hic quatuor castella, duo Ioannis Szentiványi, tertium haeredum Comitis Petri Zichy, quartum Ioannis Reviczky.

Nunc possidetur per Comites Forgách item Comites et Barones Barkóczy, nobiles Eperiessy, et Wladár.

Templa duo habebat oppidum, vetus Slauicum dictum, et aliud Hungaricum, quod Euphrosina Drugeth Stephani Báthori Ecsediensis consors anno 1580. §. 96. pro vsibus Evangelicorum exstruxerat, multum pro possessione eorum Catholicis, et Evangelicis anno 1630. 1637. 1640. 1647. inter se decertantibus, vti Not. Hist. §. 456. 486. vidimus, et art. 6. 1647. perbibet.

Anno 1672. Veteri templo desolato, aliud ab Evangelicis Comes Maria Eszterházy, Comitis Georgii Drugeth vidua iterum recepit, claustrumque Paulinorum ibidem fundauit, adiunctis duobus pagis Visnyó, et Tóth-Ispép. Confirmauit fundationem Leopoldus regio consensu, admisit Archi-Episcopus Strigoniensis Georgius Szelepchény, et Franciscus Szegedy Episcopus Agriensis, vti fundationales eorum perhibent.

Anno 1676. Emericus Fejérváry claustri superior, et Georgius Dubniczky sacerdos, per Tökölianos e claustro protracti per vada aquis tumentia raptati, 800. florenis solutis vitam redemere. Kazy. Hist. Lib. II. pag. 188. Alii funibûs alligatos tandem in praeterfluentem Ondavam mersos memorant, donec reconditam claustri pecuniam remonstrassent.

Anno 1682. Emericus Tököly expulsis Monachis templum evangelicis iterum tradidit.

Anno 1686. Per Comitem Franciscum Barkóczy Paulinis postremo restitutum.

Anno 1786. Sublato Paulinorum ordine vsibus parochi catholici adplicatum.

Asseruabantur in hoc claustro duo antiquiora tormenta campestria, cum sublatione ordinis ad armamentarium Caesareum translata. Vnum maius erat celebris illius Georgii Martinusii, Not. Hist. §. 202. memorati, hancque inscriptionem praeseferebat penes orificium: *Ladislau. Was. M. Galu Curiae Waradin. Prouisor.* in parte inferiore: *Frater: Georg. Eps. Waradi. Trans. Locumte. Iud. Gen. Anno M. D.X.L.II.* Insigne desuper fuit arbor Palmae, insidente supra coruo, panem rostro tenente, cuius circumferentiae incumbebat mitra Episcopalis. Aliud minus tormentum, hanc inscriptionem habebat: *Franciscus Bibek. 1531.*

Priuilegiis etiam ornabatur oppidum per Reges Matthiam anno 1461. et Rudolphum anno 1607. cum respectu commercii, quod cum Polonis habebat, tum agriculturae, exemptionisque a teloniis, et decimis. Depositorium certe mercium hic fuisse ex Articulo 18. 1569. videre est. Nunc ex quaestus laude, qua olim florebant, non aliud retinent, quam nundinas quinquies per annum diebus S. Valentini, Georgii, Mariae Visitantis,

tis, Stephani, et Nicolai cursorio ritu hic celebrari solitas. Vineis etiam tamquam fructus nimis austeri, pridem desertis.

Monti oppidi insidet arx *Csisva*, quo nomine totam Dynastiam Reynoldi condam Palatini anno 1309. compellatam fuisse sequens documentum indigitat: „ Omnibus Christi fidelibus etc. Capitulum Ecclesiae „ Agriensis salutem in omnium Saluatore etc. Quod „ magister Iulas, filius Reynoldi condam Palatini par- „ ticulam terrae de terra sua haereditaria *Chychva* „ *vocata* in Comitatu de Zemlyn existente, cum vtili- „ tatibus suis etc. ob merita fidelitatis Symonis, et „ Beke, filiorum Ioannis de Gerche seruientium suo- „ rum etc. dedisset, donasset ipsis seruientibus, et „ haeredibus eorum etc. Metae autem eiusdem particu- „ lae terrae, sicut Mykee sacerdos de Lapis-patak ad „ nos redeundo nobis recitauit, hoc ordine distinguun- „ tur: prima meta incipit a parte aquilonari in quo- „ dam *Beérch* communi, vbi sub quadam arbore illi- „ cis est vna meta, de qua egreditur super eodem „ *Beérch* ad meridiem, et eundo directe venit ad quen- „ dam riuulum, in quo descendit iuxta riuulum *Chak-* „ *lon*, ad fluuium *Topl*, in quo reflectitur iterato ad „ aquilonem, et contra meatum eiusdem eundo iungit „ quendam riuulum *Kuzuru potok* vocatum, in quo „ reflectitur ad partem aquilonarem, et eundo in eo- „ dem iungit quemdam locum *Nogles* vocatum, vbi „ reflectitur iterato ad partem meridionalem, et eun- „ do directe super praedictum *Beerch* venit, ad quem- „ dam locum *Kusles* nominatum, de quo directe eun- „ do iungit primam metam vnde inceperat, et ibi „ terminatur. Anno Domini 1309. Inter reliquos Ca- „ pitulares subscriptus legitur. Petrus de Zemlyn Ar- „ chidiaconus. "

Anno 1440. Exstructam fuisse annus portae arcis incisus perhibet, eo indubie tempore, quo Rozgonii Wladislai partibus adhaerentes a vicinis ex arce Sztropkovia Perénianis Ladiflao Posthumo addictis depraedationem Dynastiae suae metuebant. Not. Hist. §. 71. 72.

Anno 1527. Fugiente ex arce Stephano Drugeth Acta tabularii comitatus hic deplorando fato conflagrarunt. Not. Hist. §. 167.

Anno 1678. Adhuc stetisse integram litera Vice-Comitis Francisci Putnoky perhibet, qua Rudlovienses incolas ad arcem Csicsva abductos dimitti petit.

Anno 1684. a Tökölio obsidione nimium lacerata. Not. Hist. §. 649.

Anno, 1704. Sub motibus Rákóczianis instaurata est.

Anno 1711. Per Generalem Lauken diruta.

Memoratu dignus in hac arce liber mendaciorum, vulgo *Csicsvay Könyv* asseruabatur, hodiedum in Archiuo Comitum Barkóczy visibilis, in quo solennia mendacia cum nominibus mentientium hic ab antiquo connotabantur, vnde et nunc, si quis rem incredibilem narrat, in prouerbium abiit apud prouinciales: *bé lehetne ezt a' Csicsvay Könyvbe irnya.*

§. 344. *Magyar-Krucsó* pagus, colonis catholicis, ad Varano affiliatis 125. iugerorum in agris. Est Nobilium Krúcsay de *Nádfö* gentilitius, per quos, eorumque in sexu faemineo congenerationales Szügyény, Szíkszay, et Beszterczey possidetur.

Diuerticulum *Naád fö* est terreno pagi incorporatum, vti apparet ex processu octauali Martini de Nádfö actoris contra Andream Banó de Lúchka, Ladislaum filium eiusdem, et Petrum dictum Bagos de Kü-

ke-

kemezeö in causam attractos. Anno 1420. Dipl. Car. Fejerváry Tom. I. Nro 109.

§. 345. *Komorócz* pagus, colonis catholicis ad Sókút affiliatis, 458. iugerorum castri Mogyorós appertinentia, ad Comites Forgách, et Barkóczy pertinet.

§. 346. *Csicsóka* pagus, colonis Graeci ritus, parocho, et templo prouisis, 566. iugera agrorum colentibus insessus, quia particulam de terra Chychva auulsam efficit, ab ea nomen accepit.

Anno 1309. Per magistrum Iulam seruientibus suis donatus. §. 343. nunc Comitibus Barkóczy, et Forgách, ac Nobilibus Szirmay subiectus.

§. 347. *Mernyik*, pagus, augustanae confessionis, ministrum, et oratorium tolerantiae Christianae Diui Iosephi II. Imp debet 1187. iugera agrorum colit. Appertinentia castri Mogyorós, nunc ad Nobilem Melchiorem Szulovszky pertinet.

§. 348. *Tóth-Jesztreb* pagus, colonis catholicis, ad Sókút affiliatis, 580. iugerorum in agris, castri Mogyorós appertinentia, nunc paret Nobilibus Keczer, Almássy, Fay, Károly.

§. 349. *Tóth-Isép* pagus, catholicus, parochiae Mogyoroska filialis 898. iugerorum. Olim castri Mogyorós appertinentia.

Anno 1672. Ad claustrum Varanouiense Paulinorum adplicatus §. 343. nunc nomine fundi religionis publici administratur.

§. 350. *Mogyoróska* pagus catholicus, suo parocho prouisus, 704. iugerorum, a plaga nucum auellanarum ferace nomen accepit.

Anno 1520. Habuit castrum Mogyorós dictum totius Dynastiae caput Rozgoniano-Báthorianum §. 98. sed reuolutionibus Patriae ita subuersum: vt vix rudera illius conspiciantur.

Pos-

Possidetur hodie per Comites Csáky Rozgoniorum, Bathoreorumque per lineam maternam Drugethianam descendentes.

§. 351. *Bisztra* pagus catholicus, evangelicis mixtis, ad Hanusfalva affiliatis, 705. iugerorum. A minerali fonte, qui hic acidas eructat aquas §. 77. et Slavis *Bisztra vodicska*, siue limpidus fons vocatur, nomen accepit. — Fuit olim terrae Hanus-pataka. Not. Hist. §. 37. memoratae appertinentia, nunc per Nobiles Szeghy, Hevesy, et Farkas possidetur.

§. 352. *Hermány* pagus augustanae confessionis ad Hanusfalva affiliatus 549. iugerorum.

Anno 1340. Nemen accepit ab Hermanno Saxone, minerarum Auri in aranyos-Patak §. 81. Praefecto, vnde etiam *Villa Hermanni* dicebatur. Mss. Bel. et Wagner. Dein castro Mogyorós aplicatus, nunc ad Comites Csáky pertinet.

§. 353. *Fekete-patak* pagus colonis mixtae religionis, ad Sókút affiliatis, 778. iugerorum. A scaturigine ferreis particulis inpraegnata, et ideo atri coloris nomen accepit. — Castri Csicsva appertinentia, nunc per Comites Csáky, et Barkóczy possidetur.

§. 354. *Aranyos-patak* pagus, colonis Graeci ritus, ad Agyagos affiliatis, 246. iugera agrorum inter praeruptos montes colentibus.

A riuo aurifero, fodinisque nomen accepit §. 80. 81. — Monasterium etiam Augustinianorum anno 1325. hic fuisse perhibet Wagner in Mss. dein ad castrum Csicsva adplicatus, nunc Comites Barkóczy Dominos agnoscit.

§. 355. *Agyagos*, pagus, Graeci ritus parocho Sacra colonis peragente, 1032. iugerorum, in agris, a limosa gleba nomen accepit, castri Mogyorós appertinen-

nentia. Anno 1760. Baronibus Fischer parebat, nunc Comiti Dessöffy subiectus.

§. 356. *Rudlyó* pagus, parochia Graeco-catholica prouisus, 746. jugerorum, a minera, quae Slavis *Ruda* vocatur, nomen accepit: vicini enim montes ferrum producunt probatissimum §. 80. Castri Mogyorós appertinentia, nunc Comitibus Forgách paret.

§. 357. *Zamuthó* pagus colonis catholicis, et evangelicis, ad Sókút affiliatis, 1320 iugerorum, castri Mogyorós appertinentia, nunc ad Comites Barkóczy, et Nobiles Almássy pertinet.

§. 358. *Juszkó-Volya* pagus, parochia Graeco-catholica gaudens, 381. iugera agrorum complectens, castri Mogyorós appertinentia, per Comites Barkóczy, et Forgách possidetur.

§. 359. *Vehécz* pagus catholicus, ad Szacsúr affiliatus, 1008. iugera agrorum numerat. — Familiae Báncsy de Vehécz adhuc superstitis haereditarius, per eandem, eiusque in sexu faemineo congenerationales Nobiles Berzeviczy, Vilcsek, Vitéz, Schramb, Malonyay, Végessy, Hazuga, et Ghilány tenetur.

§. 360. *Kamena-Poruba* pagus Graeci-ritus, colonis ad Szacsur affiliatis, 700. iugera agrorum colentibus insessus, Nobiles Soós, Matyasovszky, et Beszterczey heros agnoscit.

§. 361. *Banszka* pagus Graeci ritus templo, et parocho prouisus, 686. iugerorum in agris, per Comites Forgách, et Nobiles Melczer, Fáy, Soós, possidetur.

§. 362. *Dávid-Vágás* pagus parochia Graeco-catholica, 877. iugerorum, est Comitum Bárkóczy, et Nobilium Almássy, Soós, Bernáth, Kéry, Zámbory.

§. 363. Sequitur nonus districtus *Dobrensis*, colonis Slavicis insessus, parte eiusdem ad dominium Mogyo-

gyorós, parte ad dominium Sztropkó pertinente. Dominii Mogyorós pagi sunt.

§. 364. *Szedliczke*, colonis catholicis, ad Varanó affiliatis, 778. iugerorum, Comitibus Barkóczy, Forgách, et Nobilibus Bydeskúty, Lasztóczy, Vladár subiectus.

§. 365. *Benkócz*, Parochiae catholicae Matyasócz filialis, 673. iugera agrorum habet, estque Comitum Barkóczy, et Forgách, ac Nobilium Bydeskúty.

§. 366. *Orosz-Kázmér*, parochia Graeca, iugerorum 414. Comitum Fórgách, et Barkóczy.

§. 367. *Dóbza* parochia catholica, iugerorum 1596. Comitum Csáky.

§. 368. *Trepecz* parochiae Dobra filialis, iugerorum 260. Comitum Barkóczy.

§. 369. *Valkó* parochia Graeca iugerorum 767. Comitum Barkóczy.

§. 370. *Bodzás*, parochia Graeca, iugerorum 739. Baronum Barkóczy, et Nobilium Szirmay, et Szulyóvszky.

§. 271. *Lomna* parochia Graeca iugerorum 658. Comitum Barkóczy, et Csáky.

§. 372. *Orosz-Krucsó* parochia Graeca, iugerorum 542. Nobilium Bánó.

§. 373. *Orosz-Volya*, *cum Fias* pagi coniuncti, ad parochiam Graeco-catholicam Mátyáska affiliati, prior 460. alter 122. iugerorum, ad Comitem Forgách, et Nobilem Matyasóvszky pertinet.

§. 374. *Felsö*, *et Alsó-Ósva* duo pagi distincti, parochia Graeca, vtrique vna suffragante, prior 1524. alter. 927. iugerorum, estque hic solius Nobilis Matyasovszky, ille vero Comitum Dessöffy, Baronum Meskó, et Nobilium Krasznecz.

§.

§. 375. *Mátyáska* parochia Graeca, iugerorum 1127. Comitis Forgách.

§. 376. *Remenye*, in quo parochia Graeca, 909. iugera agrorum, ad Comites Csáky, et Nobiles Szirmay, et Szulovszky pertinet.

§. 377. *Proszács* prioris filialis, 508. iugera agrorum habet, estque Melchioris Szúlóvszky.

§. 378. *Györgyös* hic quoque parochia Graeca, 533. iugera agrorum, Nobiles Szirmay, et Kádas Dominos agnoscit.

§. 376. *Kobulnicza*, cum parochia Graeca 635. iugera agrorum numerans, Nobilibus Pothornyay paret.

§. 380. *Micsák* prioris Filialis, 240. iugera agrorum complectitur, estque Nobilium Pothornyay, Kádas, Csengery.

§. 381. *Vavrincz* ad Mátyáska affiliatus, 561. iugerorum in agris, Nobilium Bánó.

§. 382. *Detrik*, in quo parochia Graeca, 1103. iugera agrorum, Comitibus Csaky subiectus.

§. 383. *Kvakócz* parochiae catholicae Dobra filialis, 1207. iugera agrorum numerans, iam dominii Sztropkó cum subsequis vsque §. 391. pagis appertinentia, Baronibus Vécsey paret.

§. 384. *Tóth-Kajnya*, parochiae Dobra affiliatus, 477. iugera agrorum excolit, estque Nobilium Bydeskúty.

§. 385. *Nagy-Domása*, parochiae Dobra filialis 484. iugerorum in agris, per connubium cum vidua Baronis Vécsey ad Nobilem Iekelfalússy pertinet.

§. 386. *Kis-Domása* parochiae Matyasócz filialis, 599. iugerorum, subest Baronibus Perény, et Nobilibus Ibrány, Rholly, Nedeczky.

§. 387.

§. 387. *Kelcse* parochiae Dobra filialis, 866. iugerorum, prius Baronum Vécsey, nunc Nobils Iekelfalusy, qui et cultiorem habitationem ibidem habet. Prorumpunt et hic acidi fontes, thermaeque suluberrimae §. 77.

§. 388. *Pethö-falva* ad parochiam Craecam Hrabócziensem affiliatus, 245. iugerorum a Comitibus Petheö dominii Sztropkó possessoribus, qui pagum fundarunt, nomen accepit, nunc Baronibus Horváth de Muranicz subiectus.

§. 389. *Turány* parochiae Sztropkó filialis 593. iugerorum, per Comites Wiczay, et Barones Sennyey, Horváth possidetur.

§. 390. *Minyócz* ad Sztropkó affiliatus, 335. iugerorum, ad Comites Barkóczy spectat.

§. 391. *Petkócz*, Graeca parochia prouisus, 478. iugerorum, castri Mogyorós appertinentia, nunc Baronibus Fischer paret.

§. 392. *Mihálkó* parochiae Mogyoróska filialis, et castri appertinentia, 1254. iugerorum, Nobilibus Keczer parebat, ab iis dum haec scribimus, per Comites Csáky relutus.

§. 393. Decimus iam venit districtus Stropkoviensis vocatus, coloniis Slavicis insessus, in quo pagi omnes ad arcem, et dynastiam Stropkó pertinent, primumque locum tenet *Sztropkó* oppidum, parochia catholica provisum, 1284. iugera agrorum complectens.

Arcem habet in cliuo fluuii Ondavae, forma pentagona, in cuius medio templum, sepulchro Sigismundi Petheü memorabile, et turri insignibus familiae Petheö ornata supereminet, hoc circumueniunt habitacula, mansionesque heriles, adiacet arci hortus, quem Comes Michaël Petheö Xisto, et domo ornauit, insigni-

signiuitque Dianae. Ita enim Epigraphe: haeC habI-taCLa satIs VenantI grata DIanae, hortI fragrantes, arbVta, sILVa neMVs.

Ab anno 1245. in possessoriò arcis fuit familia Zudar, quae illam post cladem Tartaricam éxstruxit. Donec

Circa annum 1404. Petrus Zudar Not. Hist. §. 54. et 55. nominatus concitata contra Sigismundum Regem seditione illam amisisset.

Anno 1414. Donata est arx per sigismundum Regem Petro de Perény. Not. Hist. §. 54.

Anno 1440. Simon de Rozgony Episcopus Agriensis infestus arci imminebat. Not. Hist. §. 71.

Anno 1473. Poloni arcem occuparunt. eodem anno per Matthiam Regem receptam. Not. Hist. §. 119.

Anno 1483. Ob insolentias Nicolai de Perény per Regias copias expugnata, et Andreae Lábathlan Capitaneo custodienda tradita. Not Hist. §. 120. 122. 124.

Anno 1486. Emerico de Perény, Stephani filio in gratiam recepto per Regem Matthiam restituta. Not. Hist. §. 123.

Anno 1491. Albertus Poloniae Princeps arcem expugnauit duobus Peréniis adolescentibus in praelio cum Polonis facto occumbentibus. Not. Hist. §. 135.

Anno 1492. Pace cum Polonis confecta, Perénianae ditioni arx iterum adiecta. Not. Hist. §. 138.

Anno 1493. Emericus de Perény castrum Sztropkó cum appertinentiis Thomae Bakach Cardinali pro 20. mille aureorum summa vendidit, hancque venditionem Wladislaus Rex consensu suo firmauit. Ex Archv. Desseöffy.

Anno 1539. Petrus Perénius, Emerici filius e commissione Ferdinandi I. Imp. arcem a Bakacsianis recepit,

pit, possidebaturque ad arcem Patak applicata, per eius etiam filium Gabrielem, donec

Anno 1567. Gabriele Perinio sine haeredum solatio e vivis sublato.

Anno 1569. Ioanni Pethö per Maximilianum Imp. donaretur. Not. Hist. §. 256.

Anno 1570. Peractam statutionem propter diuersam ab hodierna locorum nomenclaturam, nos hicce daturos promisimus Not. Hist. §. 257. En illius Synopsim: „ Statutoriae capituli Ecclesiae Strigoniensis, quibus „ Mag. Ioannes Petthö de Gerse cubicicularіorum Rega„ lium magister, Comes comitatus, et ciuitatis Sopron, „ in totalibus pertinentiis Regiis Sztropkó vocatis, ad „ arcem Regiam S. Patak, antea per cameram Regiam „ Scepusiensem de speciali commissione Regia tradi„ tis, et possessis, per mortem autem, et defectum „ senioris Gabrielis de Perény, alias Iudicis curiae Re„ giae ad coronam regni deuolutis, totalibus videlicet, „ et integris possessionibus Keleze, alias Kelese, Gya„ palócz, Kosarocz, Gyrócz, superiori Sitnyicze, alias „ Felsö-Sitnyicze, Kolbócz, Petrocz, Brusznicza, Pri„ tulián, Pravrócz, Varehócz, Sztaskócz, Búkocz, „ Breznicza, alias Kis-Breznicza, Vojtócz, Pothuczka, „ Zalnik, Puczák, Zavoda, Kajnin, Rohoznik, Pisko„ rócz, Tokaj, Hrabócz, Mrazovecz, Minyócz, Krislócz, „ Iakusócz, Poruba, Bisztra, ac portione possessiona„ ria in possessione Vladicsa in comitatu Zemplin ex„ isten. habitis, pro summa 22000 fl. Item in oppido „ Sztropkó cum totalibus Possessionibus Breznicze, „ alias N. Breznicza, Thurány, Nagy Domássa, Mali„ Domás, alias Kis-Domása, Giglocz, Holikócz, alias „ Holiczikovecz, Szitnyicze, alias alsó-Szitnyicze, Oly„ ka, alias Ilka, Havaj, Michalow, Paulova Polana, „ alias Pawla-Polyána, Makovecz, alias Makócz, Vel„ krop.

„ krop. Wladjszka, Soltész, alias Ladicsa, et Hattchia,
„ alias Hocsa possessionibus, sic dictis, haeredesque,
„ et posteritates masculini sexus tantum, illis exs an-
„ tibus, illis vero deficientibus etiam faeminei sexus
„ vniuersi, atque his quoque forte deficientibus fra-
„ tres quoque eiusdem Ioannis Pethö ex propinquiori
„ linea descendentes de generatione, iuxta memorati
„ Ioannis Pethö dispositionem testamentariam, ex do-
„ natione Maximiliani Imp. pure in anno 1570. statu-
„ tus est. "

Anno 1686. Complices Tökölii oppidum incendio deleuerunt, arce in manibus Croatarum permanente.

Anno 1709. Grassabatur hic pestilentia, quae oppidanorum 775. absorpsit.

Anno 1711. Inclinata Rákóczianorum sorte, venit a Csicsva arce Generalis Lauken, qui concurrente a Zborovia Generali Volffskenio, non obstante fidelitate arcis Domini Michaëlis Pethö Not. Hist. §. 743. descripta, sed nec eo obstante: quod arci Caesareo diplomate cautum fuerit, arcem, et ditionem eius, diffugientibus colonis, foedum in modum devastauit, donec Comes Sigismundus Pethö titulo condonati incendii cum eo in summa pecuniaria conuenisset. Puncta conuentionis videri possunt in Ind. Tract. Kovachich. Nro 1040.

Anno 1766. Exstincta in Sigismundo virili stirpe Pethöiorum, arx cum ditione in possessorium sexus faeminei deuenit. §. 128.

Praefectorum arcis nonnisi sequentium nomina eruere potuimus:

Anno 1440. Erant Nicolaus Wargaw, et Georgius de Beméthe. Not. Hist. §. 71.

Anno 1483. Andreas Lábathlan. Not. Hist. §. 120. 124.

An-

Anno 1487. Georgius Haday. Ex Actis Arch. Civ. Cassou.

Jus gladii etiam ad Comites Pethö pertinebat.

Nundinae septies quotannis fiunt, diebus purificationis B. M. V. Viridium, Inuentae Crucis, Corporis Christi, Margarethae, Bartholomaei, atque Luciae.

Diuina hic loci peragunt Patres Franciscani, in conuentu ad S. S. Trinitatem dicto.

Ante annum 1673. inhabitabatur per Patres Polonos conuentuales, siue Minoritas, qui ligneum conuentum deseruerunt.

Anno 1673. Comes Sigismundus Pethö loci herus petiit a Prouinciali Ministro Hungaros, fundationem volens facere pro 12. personis.

Missi ergo sunt duo, Tiburtius Hermaniensis Slavus, et Innocentius Pásztohy Hungarus, ac tertius frater Laicus, sub quibus inchoatum nouum aedificium opere lateritio.

Anno 1677. Comite Sigismundo Pethö fatis functo, vidua eius Anna Paczoth fundationem restrinxit tantum ad 6. personas. Ad quas intertenendas filii Franciscus, Sigismundus, Ladislaus, et Stephanus confectis de nouo fundationalibus anno 1686. se obligarunt.

Anno 1721. Posteaquam conuentus conflagrasset, reliquis Pethöianis in sexu virili exstinctis.

Anno 1747. Vnicus remanens haeres Sigismundus Pethö cum consorte Helena Skavinszky restaurato conuentu fundauit 12. personas, inscribendo pro intertentione eorum possessiones Nagy-Breznicze, Minócz, et Piskorócz.

Adaucto tamen ex mendicatione, eorum prouentu, intertenebantur 16. personae, sed

Anno 1785. Iosephus II. Imperator iuxta fundationales anni 1677. eos rursus tantum ad sex restrinxit,

et

et onus Parochialium functionum illis imposuit, qui hodiedum etiam Parochiam admistrant.

Superiores	*Conuentus:*
Anno	Anno
1673. Tiburtius Hermaniensis Praesidens.	1712. Augus. Hamernik.
1675. Michaël Habdalics.	1713. Mart. Padiasi.
1677. Tiburtius Hermaniensis Guardianus.	1714. Benig. Piskovszky.
1678. Aegidius Parniczky.	1715. Bernar. Neyman.
1680. Arsenius Dióssy.	1717. Eust. Sopanch.
1681. Ambr. Podiebradszky	1718. Bart. Valovics.
1682. Isidor. Krisidovvszky	1719. Capist. Mokrus.
1685. Benignus Prussius.	1720. Bruno Mocskó.
1687. Vencesl. Ulnovics.	1722. Vences. Koricsánszki.
1683. Clarus Ladsperg.	1724. Volff. Nemecskay.
1689. Isidor. Krizidóvszky.	1726. Godeff. Rozman.
1690. Ladisl. Radosini.	1728. Emer. Ragyóczy.
1692. Isidor Krizidóvszky.	1731. Ludov. Smidek.
1694. Carol. Fidler.	1732. Libor. Dalezal.
1695. Vences. Uhrovics.	1734. Nicol. Augustini.
1696. Augus. Ujhelyi.	1735. Casp. Teberi.
1697. Mich. Benovics.	1736. Bernar. Polakovics.
1699. Mart. Ziveczky.	1742. Paul· Szalóky.
1701. Isidor. Krizidóvszky.	1744. Cypr. Bansky.
1702. Ambr. Strecha.	1747. Xaver Sumrak.
1705. Ant. Kozák.	1748. Nicol. Augustini.
1709. Carol. Fidler.	1751. Petr. Baros.
1710. Mich. Benovics,	1752. Gaudent. Iablonszky.
1711. Carol. Kabovics.	1753. Thomas Kapik.
	1755. Philip. Ujfalusi.
	1758. Columbus Tiger.

Sequuntur pagi ditionis Stropkoviensis omnes Slauici, Russici, religionis catholicae, vtriusque ritus. Vnde per Graecos, Graeci-ritus catholicos intelligemus.

Pos-

Possidet arcis, et oppidi Stropko quatuor sextalitates, vna cum maiore dominii parte, siue 24. possessionibus partim integris, totalibus, partim portionibus Illustrissimus Iosephus Iekelfalussy de Ickelfalva S. C. R. A. Maiestatis camerarius. Possessiones autem sunt sequentes:

Kelcse, Kassarocz, O Hrabocz, Velkrop, Poruba, Krakocz, N. Domasa, Holcsikocz, O. Tokaik, Gyrócz, Varechocz, Praurocz, Zarada, F. Sitnicze, Gyglocz, Gyapalocz, Rafajocz, Vladusa, Sztaskocz, Turány, Mrazocz, Petheö falva, Ollyka, Rohoznik.

Hae possessiones sunt, quas Illustrissimus Iekelfalussy possidet — antiquissima sane stirpe genitus, literarum amantissimus, insigni in patriae gloriam, ac salutem studio, et amore pollens, — cuius egregia occasione nouissimi belli Gallici specimina, subsidiis fere 20. mille fl. efficientibus, ediderat.

§. 394. *Hocsa* filialis oppidi Sztropko, 769. iugerorum in agris, Comitum Keglevich.

§. 395. *Vojtócz* filialis parochiae Graecae Kis-Breznicze, iugerorum 394. Comitum Barkóczy.

§. 396. *Potócska* filialis nominatae Kis-Breznicze, iugerorum 230. Comitum Barkóczy.

§. 397. *Kis-Breznicze* parochia Graeca, iuger. 351. Comitum Barkóczy.

§. 398. *Bukócz* iugerorum 213. Comitum Barkóczy. Hic Patres ordinis S. Basilii in monte Bukova-Horka iam ad comitatum Sáros pertinente Sacra peragunt.

§. 399. *Vladicsa* filialis parochiae Graecae Staskócz, iugerorum 185. Comitum Barkóczy.

§. 400. *Sztaskócz* parochia Graeca, iugerorum 245. Comitum Barkóczy.

§. 401. *Drecsna* parochia Graeca, iugerorum 203. Comitum Barkóczy.

§. 402.

§. 402. *Mikova*, parochia Graeca, iugerorum 737. Comitum Barkóczy. Hic fontibus petroleum innatat. §. 77.

§. 403. *Polena*, filialis prioris, 417. iugerorum, Comitum Barkoczy.

§. 404. *Praurocz*, Parochiae Graecae Repejö filialis, 439. iugerorum, Baronum Desseöffy.

§. 405. *Repejö*, parochia Graeca, 370. iugerorum, Nobilium Szirmay.

§. 406. *Varechócz* filialis prioris, 247. iugerorum, Nobilium Desseöffy.

§. 407. *Orosz-Bisztra*, §. 402. filialis, 99. iugerorum, Comitis Desseüffy.

§. 408. *Havaj*, parochiae Graecae Mikova filialis, 426. iugerorum, Comitum Keglevcih.

§. 409. *Velkrop*, parochia Graeca, 690. iugerorum, Nobilium Bosnyák.

§. *Mákócz* filialis prioris, 327. iugerorum, Comitum Keglevich.

§. 411. *Szálnik* parochiae Graecae Zavada filialis, 252. iugerorum, Comitum Keglevich.

§. 412. *Puczák* etiam ad Zavada affiliatus, 619. iugerorum, Nobilium Bernáth.

§. 413. *Kolbócz*, parochiae Graecae Brusnicza filialis, 561. iugerorum, Nobilium Desseüffy, Bernáth, Rédey.

§. 414. *Iakusócz*, pariter ad Brúsnicza affiliatus, 256. iugerorum, Nobilium Desseüffy.

§. 415. *Pritulyán*, parochiae Graecae Poruba filialis, iugerorum 259. ad Nobiles Desseüffy pertinet.

§. 416. *Poruba*, parochia Graeca, 636. iugerorum, Baronum Sennyey, et Horváth.

§. 417. *Závada*, parochia Graeca, 417. iugerorum, Baronum Sennyey, et Horváth.

§. 418. *Orosz-Kajnya* parochiae Graecae Sztropkó-Ollyka filialis, 376. iugerorum. Comitum Barkóczy.

§. 419. *Nagy-Breznicze* parochiae Catholicae Sztropkó filialis. 930. iugerorum, Comitum Barkóczy.

§. 420. *Brusnicza*, parochia Graeca, 728. iugerorum, Comitum Barkóczy. Hic olim vivarium ferarum erat, et piscina truttarum ferax, sed his quoque per Generalem Lauken anno 1711. destructis, restat nihil.

§. 421. *Krislócz* filialis prioris, 229. iugerorum, Comitum Barkóczy.

§. 422. *Mrazócz* parochiae Graecae Orosz-Hrabócz filialis 282. iugerorum, Baronum Sennyei, et Horváth.

§. 423. *Orosz-Hrabócz* parochia Graeca, 353. iugerorum, Baronum Vécsey.

§. 424. *Rohosnyik*, parochiae Graecae Porubensis filialis, 174. iugerorum, nobilium Desseüffy.

§. 425. *Orosz-Tokay*, parochiae Graecae Orosz-Hrabócz filialis, 323. iugerorum, Baronum Vécsey.

§. 426. *Piskorócz*, parochiae Graecae Rafajócz filialis, 475. iugerorum, Baronum Sennyey, et Horváth.

§. 427. *Roskócz* iam ad Dominium Homonna pertinet, per nobiles Kéry possidetur, habet parochiam Graecam, 1016. iugera in agris.

§. 428. Vndecimus Districtus sequitur Homonnensis, coloniis pariter Slauicis, in quo primum locum obtinet oppidum *Homonna* parochiis Catholicis vtriusque ritus prouisum, 2765. iugera agrorum complectens.

A Russis conditum esse nominis vox innuit. *Humenne* enim idem significat, quod area horrealis. Iam ante aduentum Hungarorum hanc oram Russi tenebant. §. 84. et diploma etiam Nátafalusiorum anno 1254. ad fluuium Laborcz, qui Homonnam alluit, collocat sepulcreta Ruthenorum §. 555. Plurimas tamen colonias

Theo-

Theodorus Keriatovics horsum adduxit, §. 86. non vana itaque coniectura est, primores gentis hic villam, allodium, locumque horrei habuisse.

Ditio tamen Dominii Homonna, quae nunc 100. pagos, et oppida ambitu suo complectitur, olim non fuit ita extensa: nam Dynastias arcium Barcó, et Ieszenö, quae nunc magnam dominii Homonna partem efficiunt, iam ante annum 1330. Drugethii, ditionem vero terrae *Humenau* cum oppido Pápina, vsque montes lupi, siue Bezkédios §. 107.

Anno 1360. Theodorus Keriatovich dux Ruthenorum possidebat, quo sine haerede decedente.

A. 1380. Terram Humennau, cum oppido Pápina, et montibus lupi rex Ludovicus, Ioanni, Nicolao, Ladislao, Philippo, et Pascha, filiis Ioannis Drugeth donauit, taliterque tres istae Dynastiae Barcó, Ieszenö, et Homonna, in vnam conflatae sunt.

Anno 1397. Falso de regis Sigismundi ad Nicopolim caede rumore in errorem inducti Drugethiani, et ideo reuolutioni Döbreianae impliciti. Not. Hist. §. 55. parum aberat, quin non ita pridem adeptam dynastiam amitterent, sed errorem deprecantes.

Anno 1400. In gratiam recepti confirmationem donationis cum distinctione metarum dominii Homonna obtinuerunt. §. 86.

Castellum Homonnense, quis ex Drugethiis erexerit? incertum est; plurimum in eius ornamentum impenderunt anno 1610. Georgius Drúgeth Not. Hist. §. 376. et anno 1675. Sigismundus Not. Hist. §. 609. memorati. Ambitu passus 400. occupat, et vti quatuor lateribus in alterum ordinem conclauium contignatur, ita singulis in angulis singulas turres ostendit, in summo aequaliter cum reliquis muris ornatas ita: vt tectum ipsum intime superpositum coronides, clathrorum

specie summitati murorum incisae circumueniant, et non celent magis interiora, quam extus ornent. In medio est area laxa carpentorum inter se commeantium capax, eam vndique ornant pergulae, et ambulacra, quibus adeuntur conclauia solidis laquearibus instructa.

Erat hic Drugethiorum tantus apparatus, vt prandia lituis, et tympanis promulgarent, ac velut Banderiati regni magnates (*Zászlós Urak*) praeequitante labaro centenis aliquot militibus stiparentur. Vladis. Decr. 3. art. 15. 20. 22.

Anno 1449. Castrum iam stetisse, et per Hussitas Bohemos captum fuisse, patet ex Not. Hist. §. 79.

Anno 1450. Tricesima in Homonna penes Bohemos relicta. Not. Hist. §. 83.

Anno 1473. Castellum Poloni in potestatem redegerunt, gloriosis Matthiae Corvini armis recuperatum. Not. Hist. §. 119.

Anno 1527. Fugiens in Poloniam rex Ioannes Zapolya in castello Homonnensi delituit. Not. Hist. §. 166. Eoque superioris Vngariae ciuitates conuocatae. Not. Hist. §. 155.

Anno 1529. Redux ex Polonia rex Ioannes copias suas Homonnam praemisit. Not. Hist. §. 171.

Anno 1582. Ioannes Tussay ex fenestra castelli praeceps actus. Not. Hist. §. 285.

Anno 1607. Bocskaianae opes Homonnam pertractae. Not. Hist. §. 363.

Anno 1612. Patres Societatis Iesu Homonnam inducti. Not. Hist. §. 381.

Anno 1619. Georgius Drugeth acri praelio pone oppidum cum Georgio Rákóczy conflixit. Not. Hist. §. 594.

Anno 1644. Castellum, et dominium per Georgium Rákóczy occupatum. Not. Hist. §. 468.

Anno

Anno 1684. per Emericum Tököly deditione captum. Not. Hist. §. 649.

Anno 1691. Stirpe masculorum in Valentino Episcopo Corbaviensi deficiente, in foeminei sexus descendentes donatione Leopoldi I. Imp. transderiuatum §. 111. per Comites Csáky, et van Dernath possidetur.

Nundinae septies quotannis celebrantur, 6. Febr. 25. Martii, 5. Maii, 29. Iunii, 14. Sept. 1. Novembr. 21. Decembris.

Celebrem quoque hoc in oppido Patres Franciscani Conuentum ad S. Bonifacium Martyrem habuere.

Iam ante cladem Mohácsianam stetisse debuit: Nam

Anno 1529. exustus a Germanis militibue Duce Cociano memoratur in Annalibus ordinis.

Anno 1531. Adhuc pertinebat ad custodiam Patakinensem, expost per fratres derelictus.

Anno 1613. Ad hunc conuentum inducti Iesuvitae per Comitem Georgium Drugeth, qui

Anno 1615. Transiuerunt Ungvárinum.

Anno 1642. In cinctura Ecclesiae erecta est capella Lauretana, cuius Iconem inter miraculosas refert P. Martinus Szentiványi Dissert. Paralip.

Anno 1651. Comes Georgius Drugeth reducit Franciscanos, facta fundatione pro 12. personis ita: vt victualia, et vestimenta necessaria iisdem suppeditentur per successores Drugethianos, in reliquo se sustentent ex mendicatione.

Anno 1663. Ex residentia eleuatus est in Conuentum.

Anno 1672. Sub reuolutione Tököliana ad oppidum Szinna se recipiunt, sed pro celebrando festo S. Francisci ad conuentum 4. Octobris reduces, noctu per Tökölianos inuaduntur, ac ex fossa glaciali protracti de-

denudantur, nudique Nagy-Mihályinum abducuntur, expilata sacra supellectili, calicibus pro poculis, oleo sacro pro sclopis ungendis, albis pro indusiis vxorum Tökölianorum militum conuersis. Solutis demum 18. thalleris, eos Alexander Barkóccy redemit. Expost Sztropkoviam fugere volentes a Ruthenis spoliantur, et aliqui sauciantur.

Anno 1676. Conuentus per Tökölianos iterum exuritur. Gvardianus Gregorius Kulcsár cum Vicario suo Gerardo Kecskeméty ex conuentu extracti, equis militaribus adligati, scuticis stimulati, ad carcerem abducuntur. Sed Commendans Cassoviensis aliquot ministros Reformatorum, et Evangelicorum in Cassouiensi vicinia comprehendi curauit, tamdiuque Cassoviae in carcere detinuit, donec tanta pro eis pecuniarum summa deposita fuisset, quantam Tököliani pro praedictis patribus postulassent, qua Tökölianis transmissa, patres quoque in libertatem sunt asserti.

Anno 1677. Comes Sigismundus Drugeth salutandi summi Pontificis Innocentii XI. gratia, quem iam antea Benedictum Odeschalchi dictum nouerat, Romam est profectus, vnde donarii titulo reliquias corporis S. Bonifacii accepit, in sacello castelli repositas.

Anno 1735. 14. Iulii Comes nata Zichy, Comitis Gotthardi a Dernath vidua erecta ara ex lapide polito, praevias reliquias ad templum Franciscanorum, capellam S. Antonii sub ferreis cratibus, tabulaque chrystallina collocari fecit maxima solennitate. Tumulati iacent hic loci Comes Anna Berényi, Comes Maria Theresia Keglevich, C. Sigismundi Drugeth vidua 1710. Thomas aetatis annorum duorum, et dimidii. Michael mensium duorum, Comitis Francisci Csáky filii 1734. Theresia Comes a Dernath aetatis anno 18. 1755. Comes Franciscus Barkóczy cum coniuge Comite Susanna

Pe-

Pethö. Paulus Okolicsány, cum coniuge Iulianna Szent-Iványi.

Anno 1786. Per Iosephum II. Imperatorem sublatus conuentus.

Superiores eiusdem:

Anno
1531. Lucas Thagian Gvardian, dein Conuentus desolatus.
1663. 1667. 1674. Paulinus Szokol.
1665. Laur. Bárczy.
1668. Bern. Paulini.
1669. 1676. Gregorius Kulcsár.
1671. Paulus Szegedy.
1672. Ioannes Barkányi.
1673. Andreas Fülöp.
1675. 1677. Nicol. Honti.
1678. Tiburt. Hermaniensis
1679. Bern. Literati.
1681. Ioannes Barkányi.
1682. Franciscus Pettes.
1684. Gabriel Nagy.
1685. Stephanus Farkas.
1687. Conrad. Maskóczy.
1690. Raph. Samkó.
1691. Leon. Ondrejkovics.
1692. Emer. Nyájas.
1693. 1700. Ioseph. Biró.
1694. Innoc. Hajdú.
1695. Franc. Sürtey.

Anno
1697. 1702. Thomas Kis.
1698. Stephanus Tarkos
1699. Bern. Barkányi.
1701. Ioach. Molitoris.
1703. 1715. 1720. Athanasius Sisto.
1707. Michael Benovics.
1708. Bonav. Csetö.
1711. 1714. Basil. Maróthy.
1712. Chrisos. Szalkay.
1713. 1729. Franc. Kós.
1716. Mich. Ferenczy.
1719. Alex. Sütö.
1722. Fort. Föczén.
1724. Petr. Roll. Provinc.
1726. Mart. Sebesténvi.
1727. Bern. Horváth.
1728. Math. Csiszer.
1730. Ladis. Tarnóczy.
1732. Franc. Györy.
1734. Steph. Fischer.
1736. Ant. Farkas.
1737. 1741. Dion. Major.
1738. Bonav. Kovács.
1739. Alex. Badzey.
1742. Em. Szent-Királyi.

Anno

Anno
1743. 1746. Cornelius Megyessy.
1744. Ioach. Szombathy.
1745. Blasius Szilágyi.
1746. Corn. Megyessy.
1747. Franc. Vrancsics.
1750. 1758. Capist. Nozdroviczky.

Anno
1753. Bruno Thúrzó.
1754. Gregorius Nagy.
1755. Math. Budiacs.
1756. Alex. Makay.
1757. Emericus Szovay.

Sequentia porro populosa loca in hoc Districtu ad Dominium Homonna pertinent:

§. 429. *Szinna* oppidum, a supereminente ei monte *Sinai* dictum §. 39. parochiae Catholicae Cziróka-hoszszú-mezö affiliatum, 2115. iugerorum in agris, Basilitarum monasterio anno 1487. clarum, per nobilem Rolly. possidetur Reliqui pagi.

§. 430. *Cziróka-Bela* filialis nominatae Hoszúmezö, 515. iugerorum, nobilium Péchy.

§. 431. *Cziróka-hoszú-mezö*, parochia Romano-Catholica prouisus, 1330. iugerorum per nobiles Szirmay possidetur.

§. 433. *Valaskócz*, lingua Russica significat opilionum coloniam, parochiae Graecae Porubka filialis, 260. iugerorum, ad nobilem Rholly pertinet.

§. 432. *Modra* nominatae Hoszú-mezö filialis, 682. iugerorum, Comitum Van Dernath.

§. 434. *Nagy-Kemenczе*, eiusdem Hoszúmezö filialis, 1397. iugerorum, olim Collegii Societatis Iesu Ungvárinensis. Not. Hist. §. 381. nunc ad viduam Thomae Szirmay spectat.

§. 435. *Kis-Kemenczе* pariter ad Hoszúmezy adfiliatus, 288. iugerorum, olim nominati Collegii. Not. Hist. §. 381. nunc per Comites Csáky receptus.

§. 436

§. 436. *Petiese* parochiae Homonna filialis, 263. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 437. *Porubka*, parochia Graeca gaudens, 244. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 438. *Helmeczke*, parochiae Homonna filialis, 396. iugerornm, ad Comites Van-Dernath pertinet.

§. 439. *Hazsina*, eiusdem Homonna filialis, 507. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 440. *Láczfalva*, pariter Homonnae filialis, 270. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 441. *Kudlócz* Homonnae filialis, 405. iugerorum, Comitum Csáky, et Van-Dernáth.

§. 442. *Ieszenö* Homonnae filialis, 818. iugerorum. Hic olim arx dynastiae caput. Incubabat monti alto, et a reliquis remoto, duplici muro cincta. Post Tartarorum irruptionem exstructa, ad familiam Ráskay de genere Guth-Keled ortam pertinebat, vti patet ex inquisitoriis pro parte Wyd, filii Lorandi de Ráska, quod castrum Ieszeneu fuerit praedecessorum eius haereditarium, anno 1382. peractis. Elencho Búttkay Nro 55.

Sed iam anno 1330. ad Willermum Drugeth Palatinum pertinebat. §. 107.

Anno 1616. Adhuc integra fuit, vti patet ex testamento Barbarae Thelegdy, primum Christophori Csápi, dein Sigismundi Rákóczy viduae de dato 2. Febr. in quo castellani arcis Ieszenö facit mentionem.

Anno 1644. Per Georgium Rákóczy euersa. Not. Hist. §. 468. nunc cum pago ad Comites Van-Dernath pertinet.

§. 443. *Eörmezö*, parochiis Catholicis vtriusque ritus prouisus, 1470. iugerorum. Ante annum 1527. fuit locus excubiarum spiculatorum regiorum, *Eör* dictorum. §. 48.

Anno

Anno 1469. Ad Petrum de Eör-mezö pertinebat. Elench. Búttkay.

Dein Drugethiorum Dominio applicatus, nunc per Illustrissimum Ioannem Okolicsányi de Eadem, et Rákócz, S. C. R. A. Maiestatis Camerarium Consiliarium, et Comitatus ordinarium, Vice-Comitem possidetur. Hic antiqua, de rege, et Patria optime merita Hungarorum stirpe ortus, Pauli Okolicsányi Vice-Comitis olim meritissimi nepos, Ioannis autem Equitum Magistri filius, ducta in vxorem Comite Anna Van-Dernath, Comitum Drugeth descendente, pagum residentionali castello, noua Catholica Ecclesia, ferarum viuariis, hortis, ambulacris, ad omnem elegantiam ornat. Vir, sicut meritissimus, ita Suae Maiestati sacratissimae, suisque popularibus acceptissimus.

§. 444. *Barkó* filialis prioris, 815. iugerorum, habuit arcem dynastiae caput, opere firmam, nunc triste rudus.

Hanc quoque post cladem Tartaricam conditam ante annum 1330. Willermus Drugeth Palatinus possedit. §. 107.

Anno 1527. Stephani Drugeth refugii locus fuit. Not. Hist. §. 167.

Anno 1558. In potestatem Francis ciKendy partium Ferdinandi I. desertoris deuenit, vnde per Emericum Telekessium capta, et munimentis nudata. Not. Hist. 6. 228.

Anno 1575. Per Nicolaum Drugeth instaurata.

Anno 1644. Per Georgium Rákóczy solo aequata. Not. Hist. §. 468. nunc ad Comites Csáky pertinet.

§. 445. *Kohanócz*, parochiae Homonna filialis 428. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 446.

§. 446. *Velopolya*, parochiae Catholicae Udva filialis, 662. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 447. *Udva*, parochia Catholica prouisus 780. iuger. Comitum Csáky, quibus aestiuum diuerticulum, et vivarium ferarum praebet.

§. 448. *Felsö-Körtvélyes* prioris filialis, 802. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 449. *Agyidócz* etiam Udvae filialis, 261. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 450. *Rovna*, pariter Udvae filialis, 649. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 451. Sequuntur loca huius Districtus extra ambitum Dominii Homonna sita, inter quae eminet.

Sztára oppidum, quod perantiquae Ztáraiorum genti nomen dedit, parochia Catholica prouisum, 918. iugera agrorum in agris complectitur.

Origines stirpis a Wencellino S. Stephani Pro-Regis copiarum duce §. 112. descripsimus.

Adhuc Ladislaus IV. Rex „terras Peteche, et Ztáa-
„ ra vocatas in Comitatu Zemplin existentes donauit,
„ Magistro, Andreae, et Iakou, Magistro Pincerna-
„ rum fratri eiusdem, filiis Comitis Iakou, pro praesti-
„ tis fidelibus seruitiis in omnibus expeditionibus regni,
„ et specialiter in exercitu regis generali, quem con-
„ tra regem Bohemorum inimicum suum capitalem ha-
„ buit, vbi eodem rege interempto, diuina permitten-
„ te gratia viriliter dimicantes triumphum laudabilem
„ reportarunt. Datum per manus discreti viri M. Nico-
„ lai Albensis Ecclesiae Electi, Aulae Vice-Cancellarii,
„ anno Domini 1279. Regni autem sui anno 8.“ Ex orig. Com. Sztáray.

Confirmauit donationem Sigismundus Imperator anno 1418. Not. Hist. §. 63. cum distincta enumeratione meritorum.

Idem-

Idemque Imperator, et Rex anno 1418. arma, seu nobilitatis insignia Illustri familiae contulit. Palma Herald. pag. 103.

Anno 1563. Possessionem axiomate oppidi, et nundinali priuilegio Ferdinandus I. Imp. decorauit.

Anno 1756. Maria Theresia Imperatrix confirmavit.

Supersunt hodie ex antiquissima stirpe Comites, et Camerarii Regii Ioannes Philippus, Comitatus Unghensis Supremus Comes, per quem oppidum possidetur, Michael, Comitatus Zabolchiensis Supremus Comes, et Antonius Generalis Campi Mareschalli Locumenens, Ordinis Theresiani, ac Militensis Eques, et vnius Legionis pedestris Vngaricae proprietarius, multarum palmarum Dux, ac vulneribus, quae bellis Borussico septennali, et alio 1778. Turcico, 1789. Gallico sexennali plura, et grauia accepit, decorus.

Est in oppido castellum familiae perelegans. Sequuntur pagi:

§. 452. *Krivostyán* parochiae Eörmezy filialis 174. iugerorum, reliquum vineae occupant, ad Comites Sztáray, et nobilem Okolicsány spectat.

§. 453. *Oreszka*, parochiae Sztára filialis, 654. iugerorum, Comitum Sztáray.

§. 454. *Laborcz-Volya* parochia Graeca prouisus, 380. iugerorum, Comitum Sztáray.

§. 455. *Náthafalva*, parochiae Sztára filialis, 586. iugerorum, antiquae stirpi Nátafalusiorum, hodiedum superstiti nomen dedit.

Est haec stirps ex primis illis progenitoribus Hungaris orta, qui dulcem, quam colimus, patriam sanguine suo aquisiuerunt.

Anno

Anno 1219. Adhuc ante cladem Tartaricam in ritu explorandae veritatis §. 85. legitur Adamus de villa *Nata*.

Anno 1254. Iam fuisse possessionatam patet ex diplomatae Belae IV. „ quo terras Gregorii, filii *Náta*, „ quarum nomina sunt Gyken, Poya Holoszeg, et „ Egerpataka ad 15. aratra sufficientes, infra castrum „ Tubul mansionatas, ac populatas ab ipso recepit, et „ ad vtilitatem castri Tubul perpetualiter dat, volens „ tamen ex officii sui debito, ne cuiquam grauis in sua „ iustitia existat, in concambium earundem terrarum „ dicto Gregorio, filio Nata terras quasdam Lezna, et „ Czemerna ad 30. aratra sufficientes, sitas in Comi- „ tatu Zemlyn, in quibus Mykota, et Nawalad an- „ tea residebant, vacuas omnino, et habitatoribus ca- „ rentes eidem, et per eum suis haeredibus, haeredum- „ que successoribus confert iure perpertuo possidendas. Apud Katona Tom. VI. pag. 217.

Anno 1321. Mark, filius Gregorii, filii Nata iam fuit Vice-Comes. Not. Hist. §. 40.

Anno 1473. Dum Matthias Corvinus Polonos Comitatum percursantes compesceret, Not. Hist. §. 119. et Natafalvae pranderet, Natafalusios in possessione pagorum Natafalva, Petrócz, Leznye, Csontosócz, Márkusfalva, Márk-Csemernye, Vogyakócz, Volicza, et Ztankócz noua donatione confirmauit, vti ex Tabulis familiae constat.

Anno 1526. In pugna Mohácsiana Ductor Huszszarorum Comitatus fuit Benedictus de Nátafalva. Not. Hist. §. 151.

Possidetur hodiedum pagus per Nátafalusios aliqua parte ad nobiles Viczmándy, Szúlyóvszky, et viduam Thomae Szirmay pertinente.

Ca-

Castrum etiam regale Tubul Not. Hist. §. 27. memoratum hic alicubi fuisse ex praeuio Belae IV. diplomate patet, cuius tamen nullum amplius vestigium.

§. 456. *Izbugya*, olim *Zbugya*, filialis parochiae Vinna in Comitatu Unghensi sitae, 267. iugerorum, familiae agnomini §. 138. memoratae nomen dedit.

Ex qua anno 1450. Bernardus Zbugyay dum inter equites Simonis Drúgeth de Homonna vexilliferum ageret, familiariusque in Aula Ducis sui versaretur, tanto illius amore vnica filia Simonis Drúgeth Hedvigis dicta abrepta est: vt postquam insciis parentibus filiam Susannam ex Bernardo genuisset, tandem legitimo matrimonio eidem iungi debuerit.

Magnum tractum ditionis Barkoviensis arcis versus Comitatum Unghensem protensum parentes cum filia dotis nomine Bernardo tradidere, qui suis locis cum praenomine *Izbugya* occurret, ac hodiedum Izbugyai-Krajnya vocatur.

Suscepit Hedvigis Drugeth ex Bernardo plures proles, Susannam, Dorotheam, et Hedvigam filias, ac Martinum, et Georgium filios, ex quibus masculis exstinctis descendunt hodierni per sexum foemineum ditionis Izbugyensis (inter quos et nos sumus) possessores prae caeteris nobiles Wiczmándy, qui et praedictum de Izbugya assumpsere, et in pago Zbugya potiores sunt, reliqua parte pagi ad nobiles Ujlaky, Benczik, et viduam Thomae Szirmay spectante.

§. 457. Duodecimus Districtus Nagy-Mihályiensis partim Hungaris, partim Slauis diuersae religionis insessus, cuius caput.

Nagy-Mihály oppidum, parochiis Catholicis vtriusque ritus prouisum, 1938. iugerorum.

An-

Antiquissimae Nagy-Mihályiorum genti, in Comitibus Sztáray superstiti nomen dedit. §. 124.

Wencellini Comitis §. 112. memorati fuit filius Rado anno 1056. regni Palatinus, huius filius Michael passim Mischa dictus, et ob praeclara facinora magnus compelatus (Palat. Ung. pag. 10.) conditor arcis, et oppidi Nagy-Mihály fuit. Vnde a magno hoc Michaele, et posteris eius nomen Nsgy-Mihály adhaesit.

Anno 1273. Diploma Episcopatus Agriensis subsignat Magister Iacou, Magnus de Nagy-Mihály Not. Hist. §. 26 pro custodia Castri Tubul mittitur Stephanus Magnus Not. Hist. §. 27.

Diplomata, merita, et nexum Familiae passim iam rocensuimus. §. 112. 124. 126. 451. Not. Hist. §. 17. 26. 33. 63. 136. 151. 239. 296. 327. 330. 69. sed et recenset Pray Dissert. de prioratu auranae pag. 30. cuius praefectura Alhertus de Nagy-Mihaly Anno. 1416. potiebatur, et palma Herald. pag. 103.

Anno 1473. Castellum poloni occuparunt, gloriosis Matthiae Coruini armis receptum, in cuius expugnatione Nicolaus Chiupor Waiuoda Transyluanus occubuit. Not. Hist. §. 119.

Anno 1770. 1772. 1773. Aemulus Matthiae Coruini Regis Iosephus II. Imperator Regna sua peragrans hic stationem habuit.

Parochia, et Ecclesia Oppidi honoribus B. V. Mariae dicata est, antiquitate sua clara, iam.

Anno 1314. apparet eam stetisse, ex decisione controuersiae „ per Nicolaum Episcopum Agriensem „ inter Laurentium, Filium Andreae de Nagy Michael, „ et Ladislaum Filium Iacou de eadem, quem pro au- „ diendis diuinis nolebat frater Laurentius admittere, „ et domina consors eiusdem Laurentii quadam uice „ irruens super aram rapuit calicem, et impediuit Sa-

„ cer-

„ cerdotem, ne celebraret praesente Ladislao. Dat. „ Agriae in crastino festi B. Dominici. Ex Tab. Com. „ Sztáray. "

Nundinae septies in oppido quotannis celebrantur, 2. Febr. Dominica palmarum, 7. May, 15. Augusti, 18. Octobris 30. Nouembris 25. Decembris.

Qua Laborcza amne ab Unghensi Comitatu alluitur, a transeuntibus telonium exigendi ius habet Dominum, contulit illud Rex Carolus anno 1312. Gregorio filio Laurentii de Nagy-Mihály. Not. Hist. §. 33.

Simile tributum in Hanajna ex aduersa Laborczae ripa exigendi priuilegium dedit Ioanni Nagy-Mihályi aulae familiari anno 1545. Isabella Regina.

Vtrumque anno 1557. Ferdinandus I. Imp. confirmauit.

Dominatur nunc oppipo Comes Michael Sztáray de Sztára, et Nagy-Mihály, §. 451. memoratus, praenominatorum heroum nepos, olim conscholaris noster.

§. 458. *Buttka* oppidum parochia Catholica prouisum, 1500. iugerorum, familiae agnomini nomen dedit. Ortum, merita, diplomata, et successores stirpis. §. 102—105. descripsimus.

Possidetur hodie per Comitem Schmidegh, qui castellum Butkaiorum inhabitat, et nobiles Viczmándy de Búttka ex Matthia Not. Hist. §. 223. memorato descendentes.

Celebrantur in oppido etiam nundinae, sed non magna cum frequentia.

Medium oppidi interluit riuus Dussa §. 69. descriptus, quem cum stagnantem cannabibus, et fimo repleant incolae, non inficetum est de oppido prouincialibus epigramma:

Aemula Venetiis vrbs est celeberrima Búttka.
Haec iacet in medio stercoris, illa maris.

§. 459.

§. 459. Adiacent terreno oppidi praedia *Nagy* et *Kis-Kamonya*, quae familiae agnomini §. 118. memoratae nomen dedere.

Anno 1323. *Kamuna* possessio fuit cambiata per Andream, filium Dionysii de Imbregh cum Nicolao, filio Pauli Bani, Buttkaiorum antenato pro possessione Elek in Zólth Comitatu. Elench. Búttkay.

Anno 1339. Repcritur in Elencho eodem „ meta- „ lis litera pro Paulo Bani, et Nicolao aeque Bani fi- „ liis, Nicolao, filio alterius condam Pauli Bani, et „ Andrea, filio Michaelis de Kamonya, ratione terra- „ rum contra ipsos Bani filios litigiosarum, vigore man- „ dati Palatinalis Wilhelmi Drugeth in facie possessio- „ nis Kamonya a parte Falkus, et Berethey peracta. „ Cui reambulationi a parte Dubróka per ipsos Bani „ filios contradictum est.

Anno 1450. Blasius de Kamonya in Elencho eodem Fasc. R. Nro 75. adhuc legitur.

Exstincta demum sexus virilis Kamonnaiorum stirpe praedia in Búttkaianos deuoluta, per nominatos Comitem Schmidegh, et nobiles Wiczmándy possidentur, qui et ius telonium ibidem exigendi habent. Sequuntur pagi:

§. 460. *Vásárhely* parochia Catholica prouisus, 715. iugerorum, ad Dominium Terebes. Comitum Csáky pertinet.

Anno 1219. In ritu explorandae veritatis, iam eiusdem mentio occurrit, fuitque locus celelebrandarum pecuariarum nundinarum.

§. 461. *Bánócz* filialis prioris, 912. iugerorum, familiae agnomini actu superstiti nomen dedit, possideturque per nobiles Bánóczy, Reviczky, Lehóczky, Parnay, Rithner, Budaházy, Hevessy, Vályi, Malo-

nay, Véges, Farkas, Sasényi, Ghilány, Hazuga, et Comitem Schmidegh.

§. 462. *Lazony*, parochiae Vásárhely filialis, 630. iugerorum, familiae agnomini §. 119. memoratae nomen dedit. Ante annum 1324. possidebatur per Petrum filium Bothond, de Thólddy. Not. Hist. §. 42. per cuius notam

Anno 1324. Stephano de Monak donatus §. 122.

Anno 1643. Anna Monaky Baronis Matthiae Andrássy consorte in sexum masculinum praefecta transiuit in Andrásios §. 121. Hodie per Paulum Szirmay possidetur, qui elegans castellum ibidem exstruxit.

Sacellum pagi, sepulchra Monakiorum ostentat.

Super effigie viri barbati cataphracti sceptrum ductorale tenentis marmori incisa inscriptio haec legitur:

Nobilis ossa Petri Monaky cum carne sepulta
Hic sunt, at coelum spiritus eius adit.

Obiit anno Domini 1599. 27. Novembris, circa horam 7. matutinam, aetatis suae 49.

Insigne a latere positum est leo, sceptrum ductorale tenens, cui adstat Turca, eleuatis digitis iurantis in modum. Altera inscriptio visitur in pauimento aree anno 1506. Monaky, reliqua illegibilia. Tertia marmorea effigies sine inscriptione.

§. 463. *Berettö* parochiae Vásárhely filialis, 471. iugerorum.

Anno 1280. fuit filiorum Comitis Omodaei Palatini de genere Aba §. 233.

Anno 1324. Per notam Petri filii Bothond, Stephano Monaky donatus §. 122.

Anno 1643. Transiuit in Keczerios. Nunc per nobilem Andream Kazinczy, qui et cultiorem habitationem ibi habet, et viduam Aizdorffer possidetur.

§. 464.

§. 464. *Falkus* parochiae Buttka filialis, 554. iugerorum. Nomen accepit a Falkus, filio Harach seruiente Stephani Wyd Búttkaiorum antenati, qui terram hanc eidem seruienti suo donauit anno 1200. coram Capitulo Agriensi. Elench. Búttkay.

Anno 1343. Búttkay Folkus dicebatur, signis metalibus a castro regali Paris separata. §. 102.

Anno 1411. Donatione Sigismundi Imper. Búttkaianis confirmata. §. 104. Nunc possidetur per nobiles Kazinczy, Aizdorffer, et Marschalko.

§. 465. *Kácsánd* parochiae Buttka filialis 196. iugerorum per viduam nobilis Kovásznay possidetur.

§. 466. *Márk* parochiae Buttka filialis 828. iugerorum, familiae agnomini §. 104. memoratae nomen dedit, possidebaturque per eandem anno 1411. Nunc plures heros agnoscit nobiles vtpote: Stepán, Orosz, Nempti, Galambos, Fekete, Vas, et Vékey.

§. 467. *Máloza*, oratorio, et ministro Helveticae confessionis, ac locali capellano Catholico prouisus. 748. iugerorum.

Anno 1411. possidebatur per familiam agnominem §. 104. Nunc diuisus inter plures, vtpote nobiles Orosz, Richter, Lacsny, Vékey, Szentiványi, Liszkay, Galambos, Rimanóczy, Egyed, Balog, Bóth.

In colle pagi sunt vestigia munimenti, quod accolis Béla-Vár audit, nullo certo indicio. Alii autumant per Belam regem pro praesidio accolarum contra incurrentes Tartaros, alii concitata contra Matthiam Corvinum seditione fuisse erectum, quod sub nomine castelli Gelényes art. 29. 1471. solo aequatum est.

§. 468. *Petrik*, filialis parochiae Buttka, 278. iugerorum, olim familiae Márky possessio, nunc ad nobiles Orosz, Vékey, Besenyey pertinet.

§. 469. *Nézpest*, parochiae Búttka filialis, 71. iugerorum, iuris Barkócziani, per nobilem Karóve possidetur.

§. 470. *Abara* Helueticae confessionis oratorio, et ministro prouisus, 624. iugera agrorum, colonosque linguae Vngaricae ita tenaces habet: vt aliam nec discere, nec loqui velint.

Anno 1324. In Elencho Buttkaiano reperitur „ven„ ditio perennalis Paulo Benee, nec non Petro, An„ dreae, et Ioanni fratribus eiusdem Pauli, omnibus „ Michaelis de dicta Benee filiis facta per Baxa filium „ Petri, filii Petri de Cseb, Michaelemque, et Ioannem „ filios eiusdem Baxa, ac Andream, Ladislaum, et Pe„ trum fratres suos super certa terra eorum *Abra* di„ cta in Comitatu Zemplin existen, cum cursu, et re„ ambulatione metali. Vnde veteres loci possessores „ patent.

Anno 1471. Pertinebat ad Ladislaum de Upor, qui et castellum ibi erexit, per art. 29. 1471. solo aequatum.

Anno 1490. Per connubium Barbarae Upori transiuit in possessorium Ioannis de Czéke.

Anno 1510. In Dominicum Dobó per connubium cum Sophia Czékey, ab hoc in Lórándtffianos, et Rákóczianos. §. 257.

Anno 1512. Per Nicolaum Tárczy cambiatus §. 199.

Anno 1684. Per Helenam Zriny Francisci I. Rákóczi viduam Francisco Klobusiczky in pignus locatus.

Anno 1686. Eidem nouae donationis titulo per Leopoldum Imperatorem collatus. Not. Hist. §. 664.

Anno

Anno 1705. Incolae fidelitatem erga regem suum testari volentes aliquot milites Rákóczianos ibi pernoctantes interemerunt, supplicio per Rákóczium affecti.

Anno 1780. Per Comitem Aspremonth iure Rákócziano, nobis causam referentibus, pagus relutus, per quem possidetur.

§. 471. *Nagy-Ráska*, Helveticae confessionis oratorio, et ministro prouisus, 654. iugerorum, celebri familiae Ráskay §. 132. memoratae nomen dedit, nunc possidetur per nobiles Kis, Mészáros, Horváth, Stepán, et Bálpataky.

§. 472. *Kis-Ráska* parochiae Búttka filialis, 565. iugerorum, olim familiae Ráskay, nunc nobilium Ujhelyi, Vályi, Kulin, Stepán, Mészáros, Kiss, Besenyey, Szinyey, Turánszky, Richter, Nedeczky, Tasnády.

§. 473. *Hegyi*, Capellania locali Catholica prouisus, 683. iugerorum, olim familiae Ráskay, §. 104. nunc nobilium Rozgonyi, Lacsny, Kovács, Unghváry, Turánszky, Mészáros, Stepán, Harsághy, Révész, Vizy, Boka.

§. 474. *Szalók*, parochiae Búttka filialis, 807. iugerorum, olim familiae agnominis §. 136. cum familia Pazdichy identicae, dein Semseianorum §. 134. nunc nobilium Kazinczy, Ibrányi, Nozdroviczky.

§. 475. *Deregnyö* olim oppidum, actu nundinas ex veteri splendore, sed exigua frequentia celebrari solitas retinet, oratorio, et ministro Helv. Confessionis prouisum 873. iugerorum in agris, familiae agnomini §. 107. nomen dedit. Fuit olim terra Petri, filii Renolow. Not. Hist. §. 37.

Anno 1322. Magistro Michaeli, filio Michaelis de gente Akus Supremo Comiti per Carolum regem donata. Not. Hist. §. 37. ex quo propagata familia Deregnyey. Not. Hist. §. 45. in plures ramos diuisa.

Anno

Anno 1435. Locum hunc possedit Demetrius, filius Ioannis, dicti Bessemu de Deregnye, qui priuilegium Caroli regis in octauis coram Matthaeo de Pálócz regni Palatino transsummi curauit. In hoc metae possessionis Deregneö sic definiuntur: „prima meta „ad fluuium Laborcz peruenit ad riuulum Perk, quem „versus occidentem transeundo vadit ad metas terreas „inter possessiones Zeleuk, et Higi vocatas, transit „ad riuulum Ieszeneu, versus septemtrionem reflecti„tur, ex parte possessionis Lachúl versus orientem „per veteres metas, ex parte possessionis Buttka per„uenit ad finem prati Hozúzénasság vocati, venit ad „riuum Hatavér, et per eundem cadit in fluuium Du„sa, at saliendo de eodem directe peruenit ad sta„gnum Stetus vocatum, deinde procedendo superius „ad stagnum Nagy-Keriche vocatum, et villam Zyoch„na cadit in fluuium Laborcz, et peruenit ad primam „metam capitalem.“

Anno 1526. Michael Deregnyey pugnae ad Mohách interfuit. Not. Hist. §. 151.

Anno 1604. Masculis Deregnyeianae stirpis deficientibus per Cameram Regiam occupata possessio. Not. Hist. §. 342.

Anno 1606. Foeminei sexus descendentium praetensio in proximis Comitiis reuidenda decreta. Not. Hist. §. 357.

Anno 1614. Possidebatur per Franciscum Daróczy de Deregnyö §. 107. qui et castellum erexit.

Anno 1730. Per connubium cum filia Darócziana transiuit in possessorium Francisci Lónyay eximii Poetae, sequenti cum epitaphio sepulti:

Dobsza cunas, Patak libros, thalamumque Deregnyö.
Som requiem, aeternam dat super astra Deus.
Per cuius filium Ioannem Lónyay possidetur.

§. 467.

§. 476. *Szelepka* parochiae Catholicae Buttka filialis, 248. iugerorum. Fuit olim appertinentia castri Buttka §. 104. nunc per Comites Schmidegh, et nobiles Wiczmándy possidetur.

§. 477. *Dubróka*, parochiae Buttka filialis, 714. iugerorum, olim castri Buttka appertinentia, nunc ad nobiles Wiczmándy pertinet.

§. 478. *Gatály* parochiae Buttka filialis 647. iugerorum. Nomen accepit a possessore terrae Gathal dicto, vti docet „ Conuictiua Comitum Ivanka. et Ladis-„ lai filiorum Gathal, quos mediante adiudicatione Co-„ mitis Stephani castellani Supruniensis magister La-„ dislaus, filius Nicolai Bani ob non comparitionem vi-„ gore citationis pro septimo iam termino sub onere „ byrsagii 13. marcarum proclamari, et conuinci fecit, „ Anno 1278. " In Elench. Fam. Buttkay.

Horum dein descendentes Gathály nominabantur, eiusdem cum Csebianis originis, vnde et possessio Gathál, aliter Alsó-Cseb vocabatur. §. 115.

Anno 1371. Csebiani praedicatum de Németfalva assumpserunt. §. 106.

Anno 1505. Introductus est per Conuentum de Lelesz in possessorium totalis portionis in possessione Gathál, alias Alsó-Csebb vocata, Ladislaus de Búttka, ipsum ex fassione perennali Ladislai Gathály de Német concernentis, ad mandatum, collationemque Petri Comitis de S. Georgio, et de Bozyn Iudicis Curiae regiae, cui statutioni Gaspar de Gathál contradixit. In Elench. Buttkay. Nunc per Comites Schmidegh, nobiles item Bégányi, Ujlaky, Boronkay, Katalin, et Wiczmándy possidetur.

§. 479. *Nagy* et *Kis-Csebb* duo pagi distincti, parochiae Buttka affiliati, 590. iugerorum, olim familiae

agno-

agnominis §. 106. nunc Baronum Barkóczy, quorum castello ornantur, nisi quod et nobilis Gulacsy 14. iu. gera agrorum in Kis-Csebb possideat, qui olim tam exiguus pagus fuit: vt anno 1454. *Egyházas-Cseb* vocaretur. Elench. Buttkay Fasc. 2. Nro 7.

§. 480. *Füzessér* parochiae Buttka filialis, 468. iugerorum, perantiquae agnomini familiae nomen dedit, sed ea reuolutioni Döbreianae implicata, anno 1403. Ioanni literato de Tyvis origine Siculo donatus. Not. Hist. § 55. per cuius posteros nunc Füzesséry dictos in maiori parte possidetur, parte aliqua ad nobiles Kis, Lacsny, Héthy, Krivácsy, Szilvássy, et Sztankay pertinente.

§. 481. *Sámogy*, parochia Graeco-Catholica prouisus, 523. iugerorum. Castri Pazdics appertinentia per adoptionem in Stephanum de Sempse anno 1421. translatus §. 134. nunc maternae haereditatis titulo per nobiles Szirmay possidetur.

§. 482. *Lasztomér* parochiae Nagy-Mihály filialis, 1175. iugerorum, familiae agnomini in plures ramos diuisae nomen dedit §. 119. nunc ad nobiles Boronkay, Vladár, Szirmay, Füzesséry, Domcso, Szöllössy, Kovács, Vahl, Szánky, Szilvásy, Olcsvári, Balog, Bánóczy, Nyeviczkey, Bekes, Gógh, Kereskényi, et Nikléczy pertinet.

§. 483. *Topolyán* parochia Graeco-Catholica prouisus, 430. iugerorum, Dominii Nagy-Mihály appertinentia, Comi es Sztáray Dominos agnoscit.

§. 484. *Petrócz* parochiae Nagy-Mihály filialis, 313 iugerorum, Dominii Nagy-Mihály appertinentia, ad Comites Sztáray pertinet.

§. 485. *Mocsár* 218. iugerorum, incolis Graeci-ritus parochiae Sámogyiensi, latini ritus Nagy-Mihályiensi

ensi affiliatis, olim familiae Cseby, Semsey, §. 134. 487. Pazdicsy, nunc per nobiles Boronkay, Szirmay, et Marschalkó possidetur.

§. 486. *Krasznócz* olim Kraszna, iisdem parochiis, quibus immediate prior, affiliatus, 414. iugerorum, olim castri Pazdics appertinentia, §. 134. nunc nobilium Boronkay.

§. 487. *Pazdics* oratorio, et ministro Augustanae Confessionis prouisus, 709. iugerorum. Fuit olim terra Petri, filii Renolow, vti nomen indigitat Russi.

Anno 1315. Magistro Michaeli de gente Akus Supremo Comiti donata. Not. Hist. §. 37. ex quo propagata familia Pazdichy Not. Hist. 45.

Anno 1323. Metae possessionis diplomate Caroli I. Regis sic erant definitae: „Prima meta incipit iuxta „ syluam Lezna vocatam ex parte septemtrionali, et „ ibi sub arbore querci est vna meta terreá, a qua pro„ cedit versus meridiem, in latere eiusdem syluae den„ sae, et peruenit ad quemdam paruum riuulum, et „ iuxta eundem riuulum cadit in fluuium Dusa voca„ tum, et iuxta eundem sub quadam arbore ceruli„ vulgariter Gyertyánfa vocata est vna meta terrea, „ et descendit per meatum eiusdem flunii Dusa, deinde „ saltat de ipso fluuio, vadit iuxta duas villas Mochár, „ et Topolya vocatas, et versus orientem, et ibi sunt „ duae metae lapideae, deinde directe procedit ad „ vnam metam lapideam, deinde directe eundo perue„ nit ad metam terrae Bethlen vocatae, et ibi est me„ ta terrea, et sic directe eundo est alia meta, deinde „ peruenit ad metas nobilium de Lasztómér, et ibi „ iuxta quendam riuulum est meta terrea, deinde per„ venit ad viam quamdam magnam, et sic eundo di„ recte per eandem viam inflectitur versus occidentem, „ et peruenit ad quemdam riuulum Füzessér vocatum,

et

„ et iuxta eundem riuulum est meta terrea, deinde
„ descendendo per eundem riuulum versus meridiem
„ peruenit ad terram filiorum Ruffi, et ibi est meta ter-
„ rea, deinde reflectitur versus occidentem, et cadit
„ in fluuium Dusa, iuxta locum eiusdem molendini, et
„ sic per meatum eiusdem fluuii ascendit versus aqui-
„ lonem, et sic ascendendo per eundem fluuium satis
„ longe saltat de eodem fluuio versus occidentem, et
„ peruenit ad metas villae Lazon vocatae, et ibi
„ sub arbore pyri est meta terrea, deinde directe eun-
„ do versus occidentem, peruenit ad quemdam riuulum
„ Balk vocatum, et iuxta eundem riuulum sub qua-
„ dam arbore querci sunt duae metae terreae, deinde
„ per metam eiusdem fluuii ascendit versus aquilonem,
„ venit ad metas terrae Moroua, et ibi sunt tres me-
„ tae terreae, deinde eundo per syluam, peruenit, ad
„ quemdam riuulum Lypólcz vocatum, et per eun-
„ dem peruenit ad terram Rákólcz, et ibi est meta
„ terrea, deinde peruenit ad terram Lezna vocatam, et
„ in quodam Berek, sub quadam arbore querci est
„ meta terrea, deinde directe eundo peruenit ad quod-
„ dam pratum Bán-réte vocatum, deinde transit ad ri-
„ vulum Ieszen-pataka, quem transeundo peruenit ad
„ postremam metam. "

Anno 1365. Castrum iam ibi stetisse ostendit quietantia Niçolai magni castellani de Pazdich, super exolutione dotis Elizabeth consortis magistri Pauli Búttkay. In Elencho Búttkay.

Anno 1403. Sigismundus rex Nicolao Ruffo, filio Laurentii de Csebb, ac Matthiae, filio Nicolai de Kelecheny, ac per ipsos Nicolao, et Georgio filiis Thomae de Némethfalva, dicti Nicolai Ruffi, nec non Nicalao, Petro, et Benedicto, filiis Benedicti de Liszka, praedicti Matthiae fratribus Patruelibus, pro fidelibus ser-

seruitiis in exercituali expeditione in regno Bohemiae pro S. R. Imperii Patronatus honore prosequendo mota sollicite exhibitis possessiones Pazdich, Zalogh, Samogh, Kraszna, Mochár et Zuha, vna *cum fortalitio in eadem Pazdich constructo*, quae quondam Ladislai, filii Nicolai, filii Lorandi de Wjvár, hominis sine haeredum solatio deficientis praefuissent, donauit. Homines regii designati erant Thomas de Leztemér, vel Ioannes filius Nicolai de eadem, aut Valentinus de Hoszúmezeö. Contradicentibus pluribus Wpory, Pazdichy, et Deregnyey, velut fratribus praefati Ladislai condiuisionalibus.

Anno 1421. Nicolaus Ruffus de Pazdich in medietate praedictarum possessionum in haeredem adoptauit Stephanum de Sempse §. 134.

Anno 1435. Pazdich possedit nobilis Domina Ursula vocata, relicta, ac Nicolaus, et Stephanus, filii condam Matthíae de Pazdich, item filius Emerici de Wpor, qui metale priuilegium Caroli regis in octauis iudiciorum coram Matthaeo de Pálócz regni Palatino transumi curarunt.

Anno 1461. Ioannem, et Wilhelmum filios Ladislai de Sempse in directis medietatibus possessionum Pazdich, Zuha, Ujfalú, Muchar, Krazna, Samogy, et Zaluk rex Matthias noua donatione confirmauit. Elench. Fam. Semsey.

Anno 1465. In Elencho literarum familiae Sempsey legitur Nicolaus Koporczy de Pazdich.

Anno 1640. In possessorium Petri Szirmay. Not. Hist. §. 479. nominati deuenit, qui anno 1648. Castellum amplum, et solido muro cinctum ibidem erexit, per cuius haeredes in maiori parte possidetur, aliqua solum parte pagi ad nobiles Boronkay spectante.

Est

Est Szirmaiorum genus in Comitatu Zemplén perantiquae nobilitatis, vti diplomata Not. Hist. §. 64. et 728. perhibent.

Cum postremo Hungarorum in Pannoniam aduentu consedisse videtur in Syrmio, ideo successiue Hungaris *Szirmiai*, dein per abbreuiationem *Szirmay* dictum.

Numerosum fuisse ostendit diploma Belae IV. Regis apud Katona Tom. V. pag. 1052. „Quum multitudo inaestimabilis rabidae gentis Tartaricae caput „ nostrum regium truncare, aut nos in miserabile iu„ gum paganismum traducere conassent, *Raák* vocatus, „ de *Syrmio* oriundus, vt fortis athleta cum 38. for„ tissimis pugnatorum fratribus, et consanguineis suis „ viriliter se contulit pugnaturum, caput nostrum re„ gium prius, quam sua propria fideliter eliberans. An„ no 1242.

Huius ergo *Raák* in pugna occumbentis filiis Otthobor, Iannus, et Cheburka, *vulgariter autem* (vti diploma loquitur) *Zirma vocatis*, idem rex Bela IV. terram Zantho ad fluuium Sovioi u positam, habitatoribus vacuam donauit anno 1245.

Et hinc etiam originem summit *Cancer* gentilitium insigne familiae. Iam enim sub Ludouico I. rege Szirmaios in perpetuam progenitoris sui *Raák* memoriam, cancrum in scutis suis gestasse memorat Carolus VI. Imp. in diplomate anno 1723. edito, sed et vetusta haec familiae insignia Sigismundus rex anno 1417. diplomate constantiae edito confirmauit. Prot. 31.

Anno 1260. Ioannes, filius Iannus castrum Zyrma, in terra ad fluuium Sajó, condidit, de quo art. 83. 1649. et noua donatio Sigismundaea. Not. Hist. §. 64. Anno 1273. Otthobor Comes Comitatus de Zolnok partem terrae Zánthó Ladislao IV. Regi tunc in

arce

arce Thorna delitescenti, vt commodiorem rex exinde subsistentiam haberet pro terra Hethen in Comitatu Ugocha cambiauit.

Anno 1295. Myko, siue Nicolaus, filius Otthobor super Hethen obtinuit ab Andrea III. rege pro se, et fratribus suis confirmationem. Archiv. nostri Fasc. EE. Nro. 306. repositam; et inter acta conuentus Lelesz §. 316. memoratam. In qua est mentio praememoratarum Cambialium.

Anno 1300. Idem Nicolaus dein Comes de Ugocha in terra Hethen possessionem Zyrma aedificauit, donatione Ludouici I. anno 1352. et Matthiae Coruini Regum anno 1469. posteris eius adfirmatam: vti literae prae manibus nostris habitae perhibent, sed et Matth. Bell. in Mss. Hist. Comit. Ugocha, in Biblioth. Cardin. Iosephi de Batthyán reposita sic habet: Parte I. membro 2. §. 23. „Supremorum Comitum dignitate, sub „ priscis regibus bene de rege, et Patria meriti viri „ nobiles ornabantur, in horum numero inuenio sub „ Carolo Roberto Ioannem Drágffy, et Valentinum „ Pásztohy, sub Ludouico I. Nicolaum de Zyrma. §. „ 4. Szirmay de Szirma gens priscae nobilitatis, cuius „ maiores Seculo XIII. terram Hetteny partiebantur. „ Parte II. membro 1. §. 9. Szirma alias Tisza-Szir- „ ma, est locus insulanus intra geminum Tybisci al- „ veum copiosiorem hunc, tenuiorem illum positus ex „ terra Hetteny olim excisus, dedit originem sparsae „ in plures ramos cognitae antiquitatis familiae Szir- „ may. Hactenus Belius.

Et hinc genus Szirmaiorum in duas stirpes diuiditur, vti §. 141. indicauimus, viros vero Illustres eiusdem in Notitia Historica recensuimus.

§. 438.

§. 488. Possessioni Pazdics adiacet praedium *Bethlen*, 352. iugerorum, olim familiae agnominis §. 98. nunc familiae Szirmay.

§. 489. *Lask* parochia Graeco-Catholica prouisus, 414. iugerorum, olim familiae Bothond, Monaky. Not. Hist. §. 42. dein Comitum Andrássy, nunc nobilium Szirmay.

§. 490. Decimus tertius Districtus sequitur Sztakcsinensis vocatus, colonis Slauicis Graeco-Catholicis insessus, in quo omnes pagi ad Dominium Homonna pertinent, sed per diuersos possidentur, suntque

§. 491. *Sztakcsin* parochia Graeca, 1452. iugerorum, nobilium Szirmay.

§. 492. *Kolonicza* parochia Graeca, 926. iugerorum, familae Szirmay.

§. 493. *Lodomér* parochia Graeca, 692. iugerorum, nobilium Vladár.

§. 494. *Miháljó* parochiae Ublya fllialis, 275. iugerorum, nobilium Mokcsay.

§. 495. *Sztrihócz* parochiae Ladomér filialis, 441. iugerorum, Baronum Vécsey.

§. 496. *Hrabova-Rosztoka* parochiae Orosz-Hrabócz filialis, 226. iugerorum, nobilium Klobusiczky.

§. 497. *Orosz-Bisztra* parochiae Orosz-Hrabócz filialis, 244. iugerorum, pertinet ad fundum studiorum.

§. 498. *OroszHrabócz* parochia Graeca 515. iugerorum, Baronum Vécsey.

§. 496. *Dubrava* cum *Smugócz* duo pagi coniuncti, parochiae Orosz-Hrabócz affiliati, 497. iugerorum, Baronum Vécsey.

§. 500. *Inócz* parochiae Orosz-Hrabócz filialis, 317. iugerorum, nobilium Ibrány.

§. 501. *Ublya* parochia Graeca, 936. iugerorum, Comitum Szirmay.

§. 502.

§. 502. *Klenova* parochia Graeca, 1093. iugerorum, Comitum Barkóczy.

§. 503. *Kálna* cum *Rosztoka* duo pagi coniuncti, parochia Graeca, 955. iugerorum, nobilium Szirmay.

§. 504. *Orosz-Volova* parochiae Klenova filialis, 608. iugerorum, Comitum Barkóczy.

§. 505. *Brezovecz* parochiae Ublya filialis, 151. iuiugerorum, olim claustri Paulinorum Terebessiensium, nunc Fundi Religionis.

§. 506. *Sztakcsin-Rosztoka* parochia Graeca 562. iugerorrum, nobilium Szirmay.

§. 507. *Ulics*, parochia Graeca, 666. iugerorum, nobilium Szirmay.

§. 508. *Ulics-Kriva* parochia Graeca, 427. iugerorum, nobilium Kovásznay.

§. 509. *Zboj* parochia Graeca, 1064. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 510. *Novo-Sedlicza* parochiae Zboj filialis, 732. iugerorum, nobilium Szirmay

§. 511. *Orosz-Patak* parochiae Ulics-Kriva filialis, 280. iugerorum, nobilium Mokcsay.

§. 512. *Topolya* parochia Graeca, 609. iugerorum, nobilium Szirmay.

§. 513. *Kolbászó* parochiae Ulics filialis, 191. iugerorum, olim claustri Paulinorum Terebessiensium, nunc Fundi Religionis.

§. 614. *Priszlop* parochiae Sztarina filialis, 215. iugerorum, olim claustri §. 513. nominati, nunc Fundi Religionis.

§. 515. *Runyina* parochiae Topolya filialis, 316. iugerorum, nobilium Pramer.

§. 516. *Rúszka* parochia Graeca, 994. iugerorum, nobilium Szirmay.

§. 517.

§. 517. *Polena* parochiae Ruszka filialis, 1229. iugerorum, nobilium Révész.

§. 518. *Sztarina* cum *Dara* duo pagi coniuncti, parochia Graeca prouisi, 1430. iugerorum, nobilium Révész.

§. 519. *Ialova*, parochiae Sztakscin filialis, 203. iugerorum, nobilium Réuész.

§. 520. Sextus, et vltimus venit processus Görög-inyensis, in tres pariter Districtus diuisus. Primus in hoc, ordine vero decimus quartus est Districtus Zsalobinensis, ex appertinentiis arcium Csicsva, Sztropkó, et Homonna conflatus, colonis Slauis, Catholicis vtriusque ritus, sequentes pagos incolentibus:

§. 521. *Matyasócz* parochia Catholica latini ritus prouisus, 561. iugerorum, Comitum Barkóczy, Forgách, et nobilium Bydeskúthy.

§. 522. *Zsalobina* filialis prioris, 844. iugerorum, Comitum Barkóczy, et nobilium Bydeskúty.

§. 523. *Jeszenöcz* parochiae Matyasócz filialis, 366. iugerorum, Comitum Barkóczy.

§. 524. *Giglócz* parochiae Dobra filialis, 379. iugerorum, Comitis Sztáray, et nobilium Beöthy.

§. 525. *Holcsikócz* parochiae Dobra filialis, 429. iugerorum, Baronum Vécsey.

§. 526. *Grócz* parochiae Rafajócz filialis 179 iugerorum, Comitis 'Sennyei.

§. 527. *Rafajócz* parochia Graeca, 336. iugerorum, nobilium Beöthy.

§. 528. *Gyapalócz* parochiae Iankócz filialis 508. iugerorum, nobilium Rhóly, et Nedeczky.

§. 529. *Kosarocz* parochiae Iankócz filialis, 525. iugerorum, Baronum Vécsey.

§. 530. *Lukasocz* parochiae Iankócz filialis 589. iugerorum.

§. 531.

§. 531. *Jankócz* parochia Catholica 439. iugerorum.

§. 532. *Alsó-Sitnyicze* parochiae Iankócz filialis, 729. iugerorum, Comitum Barkóczy.

§. 533. *Felsö-Sitnicze* parochiae Iankócz filialis, 379. iugerorum, Baronum Vécsey.

§. 534. *Pakasztó* parochiae Homonna-Olyka filialis, 589. iugerorum.

§. 535. *Orosz-Petrócz* parochiae Iankócz filialis, 315. iugerorum, Comitum Barkóczy, et Baronum Vécsey.

§. 536. *Olyka-Kriva* parochiae Homonna Olyka filialis, 67. iugerorum, nobilium Zambory.

§. 537. *Sztropkó-Olyka* parochia Graeca, 592. iugerorum, nobilium Desseüffy.

§. 538. *Homonna-Olyka* parochia Graeca, 495. iugerorum, nobilium Szúlyóvszky.

§. 539. *Rokitócz* parochia Graeca, 581. iugerorum, nobilium Szirmay.

§. 540. *Csertész* parochia Graeca, 1137. iugerorum, collibus olim vitiferis gloriabatur. „ Namque „ Csertész possessioni Petrus, filius Stephani de Nagy- „ Mihály, filii Laurentii condam Magistri Tauernicorum „ Karuli Regis, nec non Plebanus de rivulo Domina- „ rum eam concessit libertatem, vineas plantandi, or- „ dinandi, vendendi, aliis cedendi, sicut habet Cas- „ souia Ciuitas Regiae Maiestatis. “ Anno 1431. nunc possidetur per nobiles Szirmay.

§. 541. *Habura* parochia Graeca, 1936. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 542. *Borró* parochia Graeca, 704. iugerorum, nobilium Szirmay, et Márjássy.

§. 543. *Kaleno* filialis prioris, 403. iugerorum, nobilium Szirmay.

§. 544. *Mezö-Laborcz* parochia Graeca, 1042. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 545. *Vidrány* filialis prioris, 700. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 546. *Kraznibrod* latine *Pulehrum vadum* ad Laborczium amnem, qui hic transuadatur, 849. iugerorum, per nobiles Szirmay possidetur.

Parochiam Graeco-Catholicam administrant Patres ordinis S. Basilii, qui coenobium hic habent, peregrinationibus sacris, prodigiosa B. V. icone, et nundinis olim puellarum, viduarumque memorabile §. 87.

Ortum, progressum, et fata Monasterii a Patribus sic accepimus:

Anno ignoratur quo? caecus mendicus stipem quaeritans vigilia ante Pentecosten per viae ductorem deductus est ad fonticulum (qui nunc puteus muratus ad Ecclesiam sub colliculo visitur) vbi cum sitibundus aqua refocillaretur, et oculos lauaret, vidit crucem ex aqua prouenientem, visumque recepit. Prodigio mox vulgato concurrere ad fontem coeperunt leprosi, aliisque morbis laborantes, qui aqua loti ad pristinam sanitatem reducebantur, et hodiedum reducuntur permulti. Mendicus accepto lumine oculorum gratitudinem suam testari volens ex corrasa stipe sacellum in loco erigi curauit, et icone B. V. Mariae ornauit, moxque ad illud vicini parochi vigilia Pentecostes Processiones ducere, locusque singulo anno magno populi concursu frequentari coepit, cum forte Comes Drugethus Homonnaius, ignoratur quis? et quo anno? illac praeterueheretur, equi cantibus, peregrinantium, et vexillorum conspectu perterriti carpentum Drugethii raptarunt, confregerunt ita: vt ipse Comes luxatis, et fractis ossibus humi exponeretur. Ira itaque excandescens, missis satellitibus capellam accendi, flammisque ab-

absummi curauit. In hoc incendio icon Thammaturga non modo illaesa in mediis flammis permansit, sed et ad vallem Taharócz ad decem lapidis iactus a sacello distantem miro modo avolauit, ibique in arbore fago considens conuersa ad Capellam facie incendium quasi spectauit, post anni dimidium a pastoribus ovium inventa, et magna solennitate reportata, nunc etiam velut miraculis clara colitur. Samuel quoque Timon in Tybisci, et aquarum Hungariae notione prodigium isthoc describit, et sequens epigramma subiungit:

In quodam Marcus vates epigrammate scripsit: *)
Portentum est, quoties coepit imago loqui.
Illius metro belle subiunxeris istud:
Amplius est, quando picta tabella volat.

Interim succenso sacello Comes Homonnaius mox graui morbo correptus est, a quo non prius liberari potuit, quam erecto ex voto in Krasznibrod nouo templo, ac fundato insuper Monasterio.

Primaeuae fundationis Tabulae non exstant, sed mentio earum est in confirmatoriis: „ Nos Theresia „ S. R. I. Comes Van-Dernáth nata Comes Zichy hae- „ reditaria Domina de Homonna, Varanó, Terebes, „ &c. quod nos attentis, et consideratis singulari zelo, „ et deuotione piae memoriae praedecessorum nostro- „ rum, specialiter vero Inclytae familiae Comitum de „ Drugeth, qualiter iidem in honorem Magnae Matris, „ Patronae regni Hungariae Ecclesiam Spiritui Sancto „ dedicatam ad Krasznobrod aedificari curassent, ibi- „ dem Ordinis S. Basilii Magni Monasterium fundassent, „ consecutiue religiosos eiusdem ordinis induxissent.

*) Martial. Libr. XI. in Lydiam.

„ (Hic confirmat pro iis terrenum intra Krasznibrod,
„ Alsó et Felsö-Csebény situm pro nunc Monasteriale
„ communiter vocatum) Homonnae in arce 15. Martii
„ 1756. " Ex Archiuo Coenobii.

Monasterii huius curam, et inspectionem habebant Archi-Diaconi, sed cum sacram Eleemosynam in maiori parte ad se pertraxissent, et ideo continuae inter illos, et religiosos disceptationes fuissent.

Anno 1724. Per Ierotheum Hodermarszky Vicarium generalem, et Archi-mandritam exclusis Archi-Diaconis directioni religiosorum Patrum traditum est.

Anno 1729. Confirmante factum Georgio Byzantio Episcopo Sebastinensi, et Munkácsiensi.

Anno 1744. Noua ex solidis materialibus Ecclesia erigi coepta, cum hactenus fuerit lignea.

Anno 1762. Nouum pariter muratum Monasterium erectum, ad contignationem eleuatum.

Superiorum loci (Hegumenos vocant) sequentium nomina erui poterant:

Anno 1750. Gervasius Raminszky.
— 1754. Macarius Suhajda.
— 1757. Gabriel Bacsinszky.
— 1762. Sylvester Kovecsak.
— 1766. Benjamin Fejér.
— 1769. Macarius Suhajda.
— 1775. Germanus Hvatala.
— 1778. Sylvester Kovecsák.
— 1779. Innocentius Danielovich.
— 1781. Ierotheus Sarkady.
— 1784. Germanus Cvatala.
— 1786. Hieronymus Ilkovich.
— 1789. Ierotheus Sarkady.
— 1792. Innocentius Danielovich. Inhabitant nunc Monasterium 6. Patres 5. Fratres.

§. 547.

§. 547. *Szúko* parochia Graeca, 514. iugerorum, nobilium Szirmay.

§. 548. *Felsö-Csebinye* parochia Graeca, 1195. iugerorum, nobilium Szirmay.

§. 549. *Alsó-Csebinye*, filialis prioris, 707. iugerorum, nobilium Szirmay.

§. 550. *Horbok-Csebinye* filialis §. 548. iugera agrorum 474. complectitur, nobilium Szirmay, Desseüffy, Nemessány.

§. 551. *Radvány* parochia Graeca, 797. iugerorum, nobilium Kazinczy.

§. 552. *Hrúbó* parochiae Catholicae Iankócz filialis, 438. iugerorum, a scala sua §. 51. memorabilis, nobilium Szirmay.

§. 553. *Csernyina* pariter parochiae Iankócz filialis, 672. iugerorum, nobilium Mariássy, et Pothornay.

§. 554. *Palota* parochia Graeca, 1152. iugerorum Comitum Csáky.

Decimus quintus Districtus est Görögínyensis, colonis pariter Slauis, Catholicae partim religionis, partim Augustanae Confessionis insessus, in quo pagi:

§. 555. *Morva* parochiae Vásárhely filialis, 903. iugerorum, familiae agnomini §. 123. memoratae nomen dedit, nunc per nobiles Eszenyi, Sziráky, Szulóvszky, Szirmay possidetur.

§. 556. *Szucha* parochiae Alsó-Körtvélyes filialis, 426. iugerorum, castri autem Pazdich appertinentia, §. 486. nobilium Szirmay, Pothornay, Mokcsay.

§. 557. *Leszna* parochia Catholica provisus 599. iugerorum.

Anno 1254. Familiae Nátafalúsi §. 454. per Belam IV. Regem cum pago Csemernye donatus, vbi in statutione metae possessionum harum sic definiuntur:

„ Pri-

„ Prima meta incipit a parte orientali de flumine La-
„ borcz, et vadit ad *Sepulturam Ruthenorum*, et ibi
„ tenet metam cum villa Peturi, et inde venit ad flu-
„ vium Ieszeneu ad plagam meridionalem, et ibi est
„ meta. Inde per fluuium Ieszeneu venit inferius vs-
„ que riuulum Hlenna, inde ascendit superius ad mon-
„ tem, qui dicitur Berk, et inde vadit vsque caput riuuli
„ Hlenna, et ibi tenet metam cum Gopol Comite, et
„ inde venit ad partem occidentalem, ad caput riuuli
„ Chemna, et inde tendit ad caput riuuli qui dicitur
„ Gouzpatak, et ibi tenet metam cum filiis Hytlen, et
„ inde vadit ad septemtrionem ad syluam Gozbontha,
„ et inde per syluam Gozbontha vadit ad riuulum Lu-
„ dun, et inde venit inferius pet riuulum Ludun, inde
„ transit ad Malnal-Csarne, inde vadit ad primam me-
„ tam Laborch, et sic terminantur metae dictarum ter-
„ rarum.“ Ex orig. Fam. Natafalusy.

Nunc per Barones Barkóczy, et nobiles Szirmay possidetur.

§. 558. *Márk-Csemernye* parochiae Alsó-Körtvélyes filialis, 391. iugerorum.

Anno 1254. Familiae Nátafalúsi donatus §. 454. 557.

Anno 1321. Praenomen *Márk* a Márk, filio Gregorii, filii Nata §. 454. nominato accepit, cui pagus incunabula debet. — Nunc possidetur per nobiles Okolicsány, et Szirmay.

§. 559. *Rákócz* parochiae Alsó-Körtvélyes filialis, 1319. iugerorum, familiae Rákóczy §. 130. 131. memoratae nomen dedit.

Anno 1750. Vltimo ex Rákócziorum stirpe Andrea mortuo, pars pagi Ioanni Okolicsány Capitaneo per Divam Mariam Theresiam donata.

Nunc

Nunc per nobiles Szirmay, Boronkay, et Szulovszky possidetur. Adiacet pago diuerticulum Ricsejó.

§. 560. *Alsó-Körtvélyes*, parochia Catholica prouisus, 1036. iugerorum, olim familiae agnominis §. 118. memoratae.

Anno 1730. Ad Barones Barkóczy, et nobilem Paulum Okolicsány spectabat; nunc per nobiles Szirmay et Okolicsány possidetur.

Adiacet pago praedium Kyó.

§. 561. *Possa* filialis prioris, 525. iugerorum, olim familiae agnominis. §. 126.

Anno 1730. Baroni Barkóczy, et nobili Szegedy parebat. Nunc est nobilium Szirmay, Horváth, Szilágyi. Adiacet pago praedium Arach, olim familiae agnominis §. 97.

§. 562. *Alsó-Hrabócz* parochiae Alsó-Körtvélyes filialis, 656. iugerorum, olim familiae agnominis §. 116. Nunc est Baronum Perény, et nobilium Bessenyey, Vas, Malonyay, Mauks, Horváth, Kossúth, Nikléczy, Deniczky, Krivácsy.

§. 563. *Kucsin*, parochiae Alsó-Körtvélyes filialis, 294. iuger. olim familiae Duka §. 107. nunc nobilium Szent-Léleky, Bálpatiky Orosz, et Kárász.

§. 564. *Kladzány* parochiae Alsó-Körtvélyes filialis, 540. iugerorum, nunc nobilium Szulyovszky, Szirmay, Szentléleky, Kiszely.

§. 565. *Tavarna* parochiae Mátyásócz filialis 744. iugerorum. Olim ad castrum Zemlun, qua bonum castrense spectabat, incolae loci curriferi militum arcis Zemplén erant, Hungaris *Tábornokok*, et *Társzekeresek* dicti. Patet hoc ex ritu explorandae veritatis §. 279. vbi curriferi de villa *Tavarne*, et Iudex eorum

Ta-

Tavernicorum Curialis Comes item §. 17. incolae *Tavornici Regis* nominantur, et ideo hodiedum etiam Currus Castrensis, a voce *Tár*, quae promptuarium designat, Hungaris *Tár-Szekér*, Slauis a pago Tauarna, *Tövorni voz* audit. Curialis eorum Comes *Tábor, nokok Ispánnya* vocabatur, eratque Magistro Tavernicorum subiectus.

Hodie pagus cum Castello ad Comites Barkóczy pertinet.

§. 566. *Tavarna-Polyánka* parochiae Stephanócz filialis, 395. iugerorum, Comitum Barkóczy.

§. 567. *Hegediis-falva* parochiae Leszkócz filialis, 565. iugerorum, nobilium Szirmay, et Comitum Barkóczy.

§. 568. *Topoloka* parochiae Leszkócz filialis, 857. iugerorum nobilium Szirmay, quibus et castellum est in pago.

§. 569. *Leszkócz* parochia Catholica, 329. iugerorum, ad nobiles Keczer pertinet.

§. 570. *Stephanocz* parochia Graeca, 577. iugerorum, Comitum Barkóczy.

§. 571. *Karna* parochiae Leszkócz filialis, 901. iugerorum, nobilium Zámbory.

§. 572. *Görögínye* parochia Catholica, 1264. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 573. *Szopkócz*, parochiae Görögínye filialis. 489. iugerorum, Comitum Klobusiczky.

§. 574. *Turczócz*, parochiae Görögínye filialis; 808. iugerorum, Comitum Klobusiczky.

§. 575. *Baskócz* parochiae Görögínye filialis, 613. iugerorum, Comitum Klobusiczky.

§. 576. *Felsö-Ladiskócz* parochiae Göroginye filialis, 585. iuger. Comitum Klobusiczky.

§. 577.

§. 577. *Alsó-Ladiskócz*, parochiae Görögínye filialis, 661. iuger. Comitum Klobusiczky.

§. 578. *Homonna-Bresztó* parochiae Homonna filialis, 519. iuger. Comitum Van-Dernath.

§. 579. *Grozócz* parochiae Görögínye filialis, 392. iuger. nobilium Syirmay.

§. 580. *Tóth-Volova*, parochiae Görögínye filialis, 794. iugerum, Comitum Van-Dernath.

§. 581. *Mislina* olim *Misle* parochiae Homonna filialis, 635. iugerorum, nobilium Szirmay.

Anno 1330. Willermus Drugeth do Scepus, et de Ujvár testamento cauit: vt posssessio *Misle* vocata, inter castra Borków, et Iezeneu vocata existens, quam cuidam nobili iniuste eripuerat, eidem restituatur. Katona Tom. VIII. pag. 524.

§. 582. *Závatka*, parochiae Leszkócz filialis, 561. iugerorum, nobilium Szirmay.

§. 583. Decimus sextus, et vltimus Districtus est Papinensis, colonis pariter Slauis, Romano, et Graeco-Catholicae religionis, ad ditionem partim Homonnensem, partim Izbugyensem pertinentibus. In quo pagi:

Pápina olim oppidum §. 427. parochia Catholica, 1819. iugerorum nobilium Kácsándy.

§. 584. *Lubische*, parochiae Udva filialis, 651. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 585. *Maskócz* parochia Graeca, 498: iugerorum, Comitum Csáky.

§. 586. *Dédasócz* parochiae Maskócz filialis, 267. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 587. *Hankócz* parochiae Udva filialis, 598. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 588. *Koskócz* parochiae Udva filialis, 567. iugerorum Comitum Csáky.

§. 589.

§. 589. *Tóth-Kriva* Parochiae Pápina filialis 224. iugerorum, nobilium Fogarassy.

§. 590. *Tóth-Jablonya* parochiae Papina filialis, 761. iugerorum, nobilium Almássy.

§. 591. *Izbugya-hoszú-mező* parochiae Papina filialis, 361. iugerorum, nobilium Desseüffy, et Kazinczy.

§. 592. *Izbugya-Hrabócz* parochiae Papina filialis, 664. iugerorum, nobilium Kazinczy, Viczmándy, Desseöffy Sárossy.

§. 593. *Izbugya-Bresztó* parochiae Horbok-Radvány filialis, 791. iugerorum, nobilium Desseöffy, Zombory, Boronkay.

§. 594. *Horbók-Radvány* parochia Graeca, 422. iugerorum, nobilium Kazinczy.

§. 595. *Homonna-Rokitó* parochia Graeca, 1053. iugerorum, nobilium Almássy.

§. 596. *Izbugya-Rokitó* parochiae Homonna-Rokitó filialis, 742. iuger. nobilium Szirmay, Kéry, Sárossy, Boronkay.

§. 597. *Homonna-Zbojna* parochia Graeca, 309. iugerorum, nobilium Almássy.

§. 598. *Izbugya-Zbojna* prioris Zbojna filialis, 485. iugerorum, nobilium Nemessányi, Pika, Desseöffy.

§. 599. *Izbugya-Béla cum Válentócz* duo pagi coniuncti, parochia Graeca prouisi, 1251. iugerorum, nobilium Szirmay, Desseöffy Wladár.

§. 600. *Volicza* parochiae §. 599. filialis, 518. iugerorum, nobilium Szirmay, Boronkay, Bernáth, Szentléleky.

§. 601. *Nyágó*, parochia Graeca, 707. iuger. nobilium Szirmay, Orosz, Soós.

§. 602. *Sterkócz* parochiae Csabalócz filialis, 389. iugerorum, nobilium Szirmay, Kéry, Bernáth, Boronkay.

§. 603.

§. 1603. *Csabalócz* parochia Graeca 709. iugeror. Comitum Barkóczy.

§. 604. *Virava* parochia Graeca, 944. iugerorum, Comitum Barkóczy. Est hic statio Tricesimalis, et domus Contumationalis impensis Comitatus triginta mille florenorum anno 1772. erecta.

§. 605. *Világ* parochia Graeca, 2021. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 606. *Olsinkó* parochia Graeca, 437. iugerorum, nobilium Szirmay.

§. 607. *Alsó-Jablonka* parochia Graeca, 645. iugerorum, nobilium Kácsándy.

§. 608. *Felsö-Jablonka* parochia Graeca 726. iugerorum, nobilium Szirmay.

§. 609. *Telepócz* parochia Graeca, 752. iugerorum, Comitum Van-Dernath.

§. 610. *Hosztovicza* parochia Graeca 1133. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 611. *Parihúzócz* parochiae Csukalócz filialis, 434. iugerorum, nobilium Szirmay.

§. 612. *Osztroznicza* parochiae Csukalócz filialis, 217. iugerorum, olim Paulinorum Terebessiensium, nunc Fundi religionis.

§. 613. *Zuella* parochia Graeca, 525. iugerorum, nobilium Szirmay.

§. 614. *Szmolnik* parochiae Zuella filialis, 580. iugerorum, nobilium Pramer.

§. 615. *Csukalócz* parochia Graeca, 797. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 616. *Pcsolina* parochia Graeca, 1509. iugerorum, Comitum Csáky.

§. 617. *Pichnye* parochia Graeca, 1163. iugerorum, nobilium Berhelyi.

§. 618.

§. 618. *Nechvál-Polyánka* parochia Graeca, 919. iugerorum, Comitum Klobusiczky.

§. 619. *Zubna* parochia Graeca, 1001. iugerorum, nobilium Aizdorffer.

§. 620. Descripta sic locorum Politica, Topographicaque Notitia, restat describendus modus vivendi incolarum, et quomodo eorum conditio ad statum meliorem, florentioremque perduci possset?

§. 621. Processus Tokaiensis incolae, qui Megyaszóviensem campestrem tractum incolunt, vitam sustentant ex agricultura, et re pecuaria, quam in gleba fertili maxime exercent. Ad haec penes viam capitalem Buda in Transyluaniam, et Galliciam ducentem, frequens item populo oppidum Miskólcz domicilia habentes, distractionis terrae productorum aliquem modum habent. Manuali item opera in vicinis promontoriis Tokaiensibus, et Miskólczinensibus, piscatura, distractione Tabaccae foliatae, et asparagi, quae hic sine cultura quouis fere campestri tractu prouenit, pecunias quaeritant.

§. 622. Melior posset reddi eorum conditio: Equorum maioris staturae educatione, quae si alicubi, hic certe cum fructu promoueretur, propter abundans pascuum, et genium incolarum Equariam amantium. Vnde melioris notae admissarii cum bona superinspectione publici iisdem dari deberent. Totus iste tractus lignatione caret. Vnde si alicubi, hic certe in locis humidioribus locum haberet inplantatio salicum, et aliorum velocius crescentium germinum, pro lignatione focali deseruiturorum. Cum Districtus iste Megyaszóviensis inter Comitatus frumenti maxime feraces, vtpote Szabólcsiensem, et Borsodiensem situetur, et ideo propter abundantiam vicinorum distrahendi sufficientia media non habeat, maior consumptio, vel eductio frumenti

ti in his partibus requireretur. Maior consumptio esset per introductionem fabricarum panni, et aliarum intra vicinum Camerale oppidum Miskólcz, et Diós-Györ pro his maxime opportunum. Promoueretur consumptio si periti opifices in vicina Cameralia dominia Miskólcz, Tokay, et Patak illocarentur. Pro illis alliciendis plurimum conferret, si haec oppida, in liberarum, Regiarumque ciuitatum numerum cooptarentur, vt hac ratione exemptionem a iurisdictione Comitatensi, vecturis, infamantibusque eos poenis artifices haberent, si adhaec sedem mansionis fixuris immunitas a contributione per aliquot annos concederetur. Eductio, si nauigatio per vicinum Tybiscum, et commercium frumenti per Danubium ad pontum Euxinum, vel mare Adriaticum ad maiorem florem poneretur, et obstacula huius commercii remouerentur. Cum antacei hic tantum media aestate capiantnr, et ideo propter calidiorem tempestatem neque longius deuehi, neque diutius conseruari possint, sed pretio viliori cum reliquis piscibus in loco distrahi debeant; cogitandum esset de methodo saliendorum, siccandorum, fumandorumque piscium, quibus fluuii abundant eorumque eductione, ad exemplum Hollandorum, et aliarum nationum Haleces salientium, salpas exsiccantium, piscesque diuersimode in longius tempus conseruantium. Idem fieri posset cum pecorum carnibus.

§. 623. Reliqua pars processus Tokaiensis ex cultura vinearum viuit, si distracttonis vini melior modus incolis suppeteret. Interrupti commercii causae sunt: diuisio Poloniae, occupatio regionum illarum, per regem Borussiae, per quas maxime floruit vini commercium, vtpote: partis Silesiae, et Poloniae versus mare Balthicum sitae. Impositum vinis Hungaricis in ditione Borussica graue vectigal. Dantiscanorum vexae.

§. 624.

§. 624. Si alicubi, hic certe, felix esset incolarum conditio, si commercium versus mare Balthicum cum nationibus septemtrionalibus constabiliretur; cum enim versus mare Adriaticum propter longinquum intermedium vsque portum Fluminensem, vel Tergestinum terrestre iter, copiam item vinorum Italicorum, Gallicorum, Cypriorum, versus mare autem nigrum propter obstacula ditionum Turcicarum, et solius nationis Russicae viciniam, florens vini huius commercium vix sperari possit; e contra situs partium istarum ita sit positus: vt per nauigabilem Fluuium Popradum ex Comitatu Scepusiensi in Vistulam defluentem, omnia partium istarum producta in propinquo usque mare Balticum beneficio aquae transponi, et ibi non solum cum nationibus Septemtrionalibus Russis, Danis, Suecis, hoc naturae producto carentibus, sed etiam cum Hollandis, Anglis, quin maiori Germaniae parte, per mare Germanicum longe utilissimum commercium institui possit, hoc constabiliri, et obstacula remoueri opporteret. Remouerentur autem: si cum Rege Borusiae tractatus iniretur, vt vectigalia ad minus a transportandis aliorsum vinis (Transito) imminueret. Si vina pro mercibus illis extraneis, vtpote pellibus, et aliis, quibus ditiones Caesareo-Regiae carent, permutarentur; Taliter optimo cum successu mercaturam olim exercebant quaestores, et pelliones Scepusienses, dum vina Tokaiensia pro pellibns in nundinis Lipsiensibus Dresdae, et Hamburgi permutabant: Similis permutatio institui posset cum Polonis, et Silesitis pro tela, cera, cannabe. Posset augeri hoc commercium; Si Viennae, Tergesti, et Flumine talis societas coalesceret quae merces Caesarearum fabricarum Zacharum, Fabasque Arabicas pro vinis Tokajensibus permutaret. Permutationem talem optimo cum successu iam faciebant

bant Tokayni quaestores Stegner, et Keffala; Non exiguum exinde etiam in populum dimanat commodum, quod Imperator Russiae residentem suum Tokayni habeat, quid si depositoria adhuc vinorum pro exercendo cum Russis commercio Leopoli in terris Austriacis, Kiuoiae, ac in Oczakov. ad fluuios Boristenem, et Bohum in terris Russicis instituerentur, et tam ibidem, quam Tokayni societates Mercatoriae coalescerent?

§. 625. Promouendum hoc commercium nonnulli putant: si diuersae qualitatis vina ad instar Gallicorum, Hispanicorum, Lusitanicorum, et Italicorum ex vino quoque Tokajensi ordinario per excoctionem, ac spirituosi etiam potus, et liquores per distillationem conficerentur. Negare quidem non possumus; naturam arte iuuari posse, et ideo excoctio spiritus vini ex briza, vel faecibus, confectio vini absinthiaci, inpraegnatio noui vasis, cui mustum infunditur, odore florum sambuci, aliaque innocua, quae vel saporem, vel odorem vino conciliant, nullam subeunt reflexionem, sed quod excoctionem, aut artificiose procuratum dulcorem, vel efferuescentiam adtinet, tantum distare nobis videtur vinum tale arte paratum ab illo, quod sol beneficus in ipsa matre vite paravit; quantum distant figmenta alchimistarum ab auro per matrem in visceribus terrae parari solito. Excoctione impeditur debita fermentatio particulae auolant, dulcor sic praeparatus successiue vertitur in aciditatem, stabilis efferuescentia paratur rebus abominabilibus, dulcor saepe sanitati noxiis, vti plumbo, color sulphureo odore plurimis ardorem internum causante, et ideo sinceri Hungari maneamus in posterum etiam in prisca gentis, vinique nostri sinceritate, quae nobis creditum apud exteros hactenus conciliauit. Ipse Wanierus dum confectionem vinorum Gallicorum arte paratorum describit, et docet, optime subiungit.

Dini-

Diuitibus quicunque volet fucata venenis
Dolia corrumpat, tu purum a vite Liaeum
Semper ama, medicata placent, sincera ruentem
Vina fouent stomachum.

§. 626. Ad prouehendam sortem incolarum nonnulli autumant: Legem illam Regni art. 12. 1729. qua coemptio vuarum passarum non possessionatis est prohibita, mitigandam, confectionemque vinorum irrestricte omnibus tam indigenis, quam alienigenis concedendam venire, Hi pro motiuis adducunt: quod extranei natura ad commercia nobis accommodatiores in societatem potius alliciendi, quam alienandi veniant. Quod non possessionati quoque onera publica ferant, et ideo conueniens sit; vt ex commodo pariter publico participent. Quod per tales quoque productum istud intraregnanum consummatur, et educatur, consumptionis vero, et eductionis fontes non praecludendi, ast potius in plures ramos aperiendi. Quod fraudes non aliae praemetui possint, quam vel substitutio vilioris vini, et vuarum occasione vindemiae, vel adulteratio per artificiose procuratum dulcorem. Priorem sat, superque praecauent Magistratus Comitatensis, localis, et Dominia terrestralia; posterior coemptione vuarum passarum non fit, sed alia ratione, vnde stante etiam lege, apud diuersitores nunquam sufficienter praecauebitur, et plerumque impunita manet. Denique obtendunt experientiam optimam rerum magistram regnante Diuo Iosepho II. ostendisse indultum tunc omnibus promiscue liberum cum vuis passis quaestum nullo prorsus incolarum damno, quin cum lucro interuenisse. Libertas haec plurimos, praesertim extraneos ad emendum allexit, per concursum plurium emptorum musti, et vuarum passarum pretium adeo increuit; vt pro felicissi-

mo

mo reputaretur, qui occasione vindemiae mustum, et vuas passas distrahere poterat, plebsque contribuens, cuius ratio haberi debet, plurimum parati aeris ex concursu tali emptorum participauit.

§. 627. Eadem est ratio viuendi processus Ujheliensis incolarum, agrorum, vinearumque cultura, ac manuali opera in vicinis promonthoriis vitam sustentantium.

§. 628. Processus Zempléniensis accolae omnibus naturae bonis abundarent, sed Tybisci, Bodrogi, confluentiumque aquarum exundationibus ita opprimuntur: vt omnium fere inopes viuere debeant. Ex pecuaria solum, et plantatione Tabaccae, ac captura lampretarum, et confectione storearum aliquid aeris promereri possunt.

§. 629. Felix redderetur horum conditio, si exundationibus aquarum obex poneretur; quod fieri posset, vel maxime per transectionem gyrorum Tybisci, et Bodrogi ad pagum Karád in loco Palej dicto, ad Tárkány, intra Lagmocz, et Szöllöske. Sinuosus iste aquarum meatus celeritatem defluxus impedit, solutis autem repente niuibus praecipites ex montibus aquas extra alveum exorbitare facit. Sed et sunt stagna, quae nullum defluxum habent. Stagnantem nunc fluuium Karcsa olim fuisse nauigabilem, salesque regios per illum vsque Tokainum anno 1613. fuisse deuectos; meatum Tybisci peritorum Hydraularum opera anno 1646. regulatum, demum transfossis canalibus per Franciscum Rákóczy anno 1705. destructum §. 59. ostendimus. Nulla huius reducendi posteritati cura, quamuis vel solius huius adapertione quatuordecim locorum, transectione vero gyrorum quindecim locorum terrena fructuosa populo reddi possent. Conferret multum ad impediendam exundationem solidorum aggerum ex vtraque rippa in maiori ab ea distantia, sicut ad flu-

vium Padum in Italia cernitur, erectio, et aquarum per canales in adiacentes Comitatus aquis carentes abductio. Possidemus proiectum peritorum Hydraularum exterorum, hoc fine per Carolum VI. Imperatorem aduocatorum, in Comitiis anni 1722. propositum. De Tybisci deriuatione versus ciuitatem Debrecen infra Tokaynum, inchoando ex possessione Dob ad oppida Haydonicalia maiora, inde ad Debreczen, dehinc ad Thúr in Körös, seu Crisium, vsque ad Csongrád per 24. milliaria. De eiusdem Tybisci versus Iász-Berény deriuatione, ab Ároktő versus Füged ad Bód in fluuium Tarna, inde versus possessiones Eörs, Dózsa, infra Iász-Berény in fluuium Zagyva, inde ad Szólnok vsque Tybiscum per 8. milliaria. De Danubii canali ad Tybiscum dirigendo infra Váczium, vel Pesthinum versus Monor, inde declinando ad fluuium Tapio ad Zagyvam vsque Szólnokinum per 15. milliaria. De alio Danubii canali instituendo infra Kalocsam versus Zombor per fluuium Mosztonya Szabadkam versus, inde in Tybiscum per 8. milliaria. De beneficiis per hanc Tybisci, et Danubii deriuationem procurandis. De Lacuum Balaton, et Fertö ad Danubium deriuatione. De mediis ad eiusmodi canales perficiendos adhibendis. Sed hoc quoque salutare gratae memoriae regis nostri propositum in Archiuo regni obliuione consepultum haeret.

§. 630. Educatio maioris staturae equorum in hoc quoque processu optatum haberet successum. Sed et Tabaccae foliatae, ac storearum pro colligandis mercibus ad portus necessariarum eductio incolarum industriam multum acueret.

§. 631. Reliqua pars Comitatus agricolatione, vectura salis cocti Sóvárino Terebessinum, lapidei item ex Tárkány, vinorum, ac Tabaccae foliatae in Galliciam, textura item telae, Rutheni autem sola educatione

ne ovium, casei, et crassioris panni confectione, ac divagatione per alienas messes vitam sustentant.

§. 632. His prospiciendi alter modus non est, quam fabricarum intranearum inductione, peritorum opificum, praesertim textorum aduocatione, eorumque, qui meliorem confectionis casei methodum plebem edocerent.

§. 633. In genere autem, si partes Krajnyenses excipias, cultura serici, et mororum in toto Comitatu optimum successum haberet. Sed neque modum culturae plebs nouit, neque distractionis galetarum occasionem habet. Deberet itaque plebs primum salubribus culturae mororum, et educationis bombycum praeceptis imbui, galetae autem, vel producendum sericum aere parato per dominia Cameralia redimi, vtique cum lucro ad fabricas Caesareas applicandum.

§. 634. Viarum etiam capitalium refectio, et cum lateralibus coniunctio, multum ad vtilitatem publici, et incolarum conferret. Inchoandum esset opus a possessione Köröm, vbi incipit passus viae Pesthiensis, et Tergestinae, et vsque passum Duklensem in Galliciam per sequentia loca perficiendum, vtpote: a Köröm per Bekecs, Szerencs, Liszka, Vámos-Ujfalú, Patak, Ujhely, Csörgö, Velejthe, Terebes, Miglécz, Vécse, Hor, Vásárhely, Morva-Rákócz, Alsó-Körtvélyes, Póssa, Alsó-Hrabócz, Kucsin, Kladzány, Mátyásócz, Ki-Domása, Nagy-Domása, Kelcse, Pethö-falva, Turány, Minyócz, Nagy-Breznicze, Sztropkó. Vnde in Comitatu Sáros ad Komárnik iam ingreditur passum Duklyensem Gallicianum.

§. 635. Vt haec via cum passu Vereczkensi in Bukovinam ducente coniungatur, exiguum intervallum requiritur, ab intermedia possessione Vásárhely, per Paz-

dics, Mocsár, ad Nagy-Mihály, vbi per pontem telonialem iam ingreditur Comitatum Unghensem, in quo per Szobrancz, Unghvár, Szerednye, Munkács, in Comitatu Bereghiensi est passus Vereczkensis.

§. 636. Ad bonum statum positis his viis, curari etiam deberent intermediae. Prima ad Tokay, vbi viae commerciales hungaricae ex septem Comitatibus concentrantur. Potest autem cum via capitali coniungi exiguo interuallo ab intermedia via Liszkensi per Keresztúr ad Tokay. Oppidum hoc in superiore Vngaria celeberrimum euaderet emporium, si praesertim vti Carolostadium, aut Brodium iisdem priuilegiis, ac libertatibus prouideretur, aut in liberam, regiamque ciuitatem eueheretur. Altera via versus Leopolim multo breuior, quam per passum Duklyensem, aut Vereczkiensem exiguo pariter interuallo ab intermedia possessione Rákócz per Homonna, Virava ad Liszkó iam in Gallicia, inde ad Chirov, Leopolim vsque nonnisi per 12. milliaria posset coniungi. Tertia via Cassouiensis exiguo similiter interuallo cum capitali ab intermedio oppido Terebes, per Gálszécs, Szinye vsque Cassouiam, coniungeretur.

§. 637. Breuiorem, et commodiorem ductum excinderent Geometrae. Materialia plebs opportuno tempore conueheret. Pro manuali opera in propinquo adhiberi possent, etiam numerosi condemnati captiui. Periti manuductores operariis praeficiendi, et ne sola plebs hoc onere grauetur, subsidium a nobilitate etiam exoperandum veniret.

§. 638. Numerosae demum in hoc Comitatu Russicae nationis cultura ad prouehendam huius felicitatem multum conduceret. Obtineri haec posset per inducendas ad oppida Homonna, et Sztropkó scholas nationales, sacrosque curiones cultis moribus paraeciis praeficien-

ficiendos. Qui vt politiores haberi queant, de meliori subsistentia Cleri Graeco-Catholici ex Fundo publico esset prospiciendum. Magna hi plerumque conflictantur paupertate, solum aratro vertere, messemque suam triturare coguntur, vt si quos cultiores mores ex Seminario Cleri secum attulerint, eos noua aggresti feritate permutent. Vnde non sine causa Alexius Illkovich Canonicus Munkácsiensis, Conscholaris olim noster Diuum Imperatorem Iosephum II. oras has perlustrantem in oblato eidem eximio Poëmate allocutus est versu sequenti:

Ergo ades o Caesar! mundi suprema potestas!
Ergo ades! atque plagas prolixo colle remotas,
Ac poene ignotas orbi, nec forsitan vnquam
Vlli conspectas Regum dignaris adire?
Subiectosque Tibi fidos, Regnoque coaeuos
Innumeros equidem, verum sub nocte iacentes,
Atque sepultos tristri paupertate Ruthenos *)
Non tantum narrari, alienoque ore referri.
Excipis auditu; sed cominus aspicis ipse,
Stramineasque casas, et ligno condita Templa,
Ac funestum huius populi miraris amictum.

INDEX

*) Sexcenta millia animarum in sola Diaecesi Munkácsiensi constituunt, Regno coaeui patent. §. 84.

INDEX
FAMILIARUM ET PERSONARUM
CUM PROVOCATIONE AD PAGINAS.

A.

Aba de genere, Omodeus Palatinus 370.
Nobiles de gen. Aba 239.
Abaffy 78.
Nicol. 140.
Abloncsy fam. 110.
Abony 174.
Abram (de) Michael 166.
Aczél 110.
Adam 110.
Adorjányi 110.
Aegyptii 54.
Affra 110.
Agárd (de) 311. Anton. 314. Laurentius 313. 314. Steph. Georg. 63.
Agárdy 331. 333. Ludovicus. Stephanus.
Agárdy de Nagy et Kis-Agárd 63.
Agh Cserney 306. vide sub *Cherney*.
Agócz (de) 68.
Agoston 110.
Aisdorffer 110. 370. 371. 396.
Akacs 110.
Akus de genere 76. de gente *Mychk* 91. 373.
de genere *Upor* 105. *Ladislaus Mychk-Bani* 176. *Lorand. Stephanus.*
de *Gegen* 313.
de *gente Akus.*
Ladislaus Mich. 327.
Mich. 377.
Amos Comenius Ioannes 216.
Agoczy 63. Demetrius 309. Dionysius, Ladislaus.
Agoch (de) Ladislaus 222,
Agriensis fam. 110.
Allaghy de Bekény 63.
Cathar. 60.
Francisc. 60. 158. 161.
Georg.

Georg. 161.
Ioan. 160. 161.
Iudith. 158. 161.
Melch. 36. 158. 161. 162. 256. 294. 321.
Mich. 161.
Steph. 161.
Alamutzy 110.
Albert 110. 269.
Alföldy 110.
Almásy 96. 110. 169. 172. 174. 225 237. 238, 282. 297. 330. 336. 341. 343. 394.
Mich. 170. —
de Zsadány, et Török Sz. Miklós 106—236.
Alpary de Bolly 64. 285. — 326,
Althan (ab) Franc. Mich. 79.
